BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 F
40

14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

3. 3. 22. 3. 3.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

343.



3

P. GODARTIJ
LEXICON
PHILOSOPHICVM.

ITEM,

ACCVRATISSIMA TOTIVS
PHILOSOPHIÆ

SVMMA.

TOMVS PRIMVS.

POSTREMA EDITIO CÆTERIS
præſtantior, & amplior.

Ὕστεραι φρόντιδες σοφώτεραι.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud Viduam IOANNIS DE LA CAILLE, &
ROBERTVM I. B. DE LA CAILLE, Bibliopolam
& Typographum, viâ Iacobæâ, ſub ſigno
trium Coturnicum.

M. DC. LXXV.
Cum Priuilegio Regis, & Approbatione.

Digitized by Google

SANCTÆ ROMANÆ Eccleſiæ.

ELECTA, & à Deo dilecta Chriſti Saluatoris (qui Rex regum eſt, & Dominus dominantium) vnica & ſponſa, & virgo Eccleſiarum omnium digniſſima mater, & magiſtra, à Spiritu vnctionis, gratiarum vbertate abundantiſſimè fœcundata, illiuſque luminis ſplendore per vias rectas indeſinenter, & infallibiliter directa, in viâ iuſtitiæ ambulans. Es Regina cuius mens coruſcat Veritatis candore, cor flagrat incendio Charitatis, ſinus eminet Sanctitatis decore. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, ori tuo credita ſunt diuinæ ſapientiæ oracula, & manibus traditæ claues regni cœlorum. Regnum tuum, regnum ſæculorum, cuius ditio, vniuerſa orbis amplitudo; & duratio, ipſa mundi perennitas; tuum impe-

rium, iuſtitia, & pax; theſaurus autem, gratiarum plenitudo; hoſtes verò, ignorantiæ temeritas, mendacij pertinacia, necnon impietatis proteruia; victoria demum, vitiorum, hæreſeωn, cuiuſque erroris, & nequitiæ proſtratio, atque profligatio, triumphus tandem immenſum pondus, & ineffabilis æternæ gloriæ irradiatio. Omnis igitur ſapientia naturalis ad tuam arcem, velut ad tutiſſimum veritatis propugnaculum debet confugere, tuiſque oraculis ancillari. Quamobrem tuæ Maieſtatis celſitudini, prima Philoſophiæ meæ rudimenta humillimè offero, atque ſi fortè quid in iis humanitùs irrepſerit, id omne tuæ æquitatis cenſuræ corrigendum ſubmitto; eòque lubentiùs ſubjicio, quòd me tuum (licet immeritum) eſſe alumnum, inſigni gratiæ, ſummoque honori duco, idque palàm, atque publicè profiteor, propalo, promulgo.

PETRVS GODART.



SAPIENTIÆ

Ode tricolos tetraſtrophos.

VIRTVS repulſæ neſcia ſordidæ
Interminatis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Occulta virtus quæ tenebris riget,
Hanc ſi laceſſas feruidior viget
Vireſque depromit ſupra ſpem,
Atque animum generoſa prodit.

Dux in quietis temporibus latet,
Dux inquietis temporibus patet
Dum marte profligat rebelles
Magnanimus, metit & cateruas.

Merx è profundo pulchrior euenit,
Aurumque cuſum ſplendidiùs micat,
Diroque fornacis liquatum
Igne, trahit Decus, & valorem.
Intaminatum ſeruet edacibus,
Purumque flammis inſidiantibus
Aurum, ſuperbit firma virtus
Dum rutilans inimica ſentit.
Vt gemma ſordens fæcibus, inſitum
Seruat nitorem, ſic Sapientia
Sublimis, aut depreſſa fulget
Perpetuo radians honore.
Illâ potentes æquiter imperant,
Et temperatè iuſtitiam colunt.
Illâ nocentes contremiſcunt,
Virque bonus regitur beatè.
Hæc cogitatis, lumine ſplendida
Præeſt ſupernis, turgida gloriæ
Eſt mater immortalitatis,
Virgineique parens amoris.
Semper beatus, vir ſapiens viret;
Et ridet expers ſollicitudine,
Spernitque fortunæ caducas
Æquanimus, ſtabiliſque fraudes.
Nec ſpe mouetur, nec capitur metu,
Præſente gaudet ſorte cupidines
Frænare, contentuſque viuit
Rege beatior æſtimandus.

Digitized by Google

Eſto innocenti murus ahæneus
Pallere nullo crimine, nil ſibi
Conſcire, nam qui damnat Æquum,
Mole ruet propriâ obruendus.
Quamuis ſupremo ſit ſolio ſedens
Demiſſa probris ſerpit inertia
Languenſque, delati fauoris,
Obruta pondere defatiſcit.
Conſtanter ergo viribus aſſequi
Nitatur almam quiſque ſcientiam
Inſenſus auerſans inertes,
Lethiferos fugit vt colubros.

ADVERSVS INIQVVM ſcientiæ judicem.

Ode prima tricolos tetraſtrophos.

SOL *lucis auctor prata coloribus*
Viuis adumbrat, murice purpuram
Et tingit Auroræ, micantes
Conciliat radios pyropo.
Fulgore Solis limpida ſyderum
Candet venuſtas, & facies maris
Ridet ſmaragdino nitore,
Lucidus & recreatur orbis.

Auguſta gaudens veſtibus aureis
Et mille præſtans Iris honoribus
Arridet, obuerſo parente
Dum recipit roſeos amores.
Abſente Solis Lumine, quilibet
Splendor coloris protinus excidens
Marceſſit vt laurus, receſſu
Principij interiùs mouentis.
Nil ergo Solis lumine cariùs,
Nil ergo Solis luce venuſtius,
Cum ſit venuſtas, atque candor,
Gratia, flos, acies decòris.
Solis perennem noctua gloriam,
Et cæca damnat lucis originem
Obſcuritate, illamque viſûs
Inſimulat radiis nocere.
Ignara laudat luce, caligines,
Noctiſque ſpectrum, mortis imaginem;
Laudat tenebrarum receſſus
Sollicitudinibus ſacratos.

Ode ſecunda, dicolos tetraſtrophos.

T*HESAVROS ſuperat diuitis Indiæ,*
Et quas Oceanus condit opes ſinu
Veri perpetuis fulgida dotibus
Maieſtas ſapientiæ.

Digitized by Google

Regum namque thronis, celſior eminet;
Cum ſit nobilitas vnica principum.
Quorum tergeminis laudibus efferens
Nomen perpetuum facit.
Indoctus ſtolidè balbutit arbiter,
Quòd mendis ſcateant, atque quod abdita
Sint fuliginibus, ſenſa ſcientium
Cedro digna loquentium.
Doctrinæ radios, & ſophiæ jubar
Errorum tenebras, inſipiens vocat;
Cæcus quippe putat fæcem animi facem,
Iudex judicio carens.
Heu quantam populis perniciem parit!
Qui luci tenebras impius antefert,
Et damno Sophiæ dat temerarius
Primas inſipientiæ.
Regni præſidium, temperiem, Decus,
Vrbis delicias, gaudia publicæ
Pacis, conſilium, vitam animæ rapit,
Es ſolatia ciuium.
O fortuna viris inuida fortibus!
Quàm non æqua bonis præmia diuidis!
Tu namque immeritos tollis honoribus,
Æquos cladibus afficis.
Quam fœlice parùm, quem temeraria
Cenſuræ grauiùs vexat iniquitas,
Fortunâ premitur: ſed ſapiens, feris
Extat caſibus altior.

Digitized by Google

EPILOGVS.

Ode tertia dicolos tetraſtrophos.

O Fœlix nimiùm, quem Sapientia
Obfirmat validè mœnibus æreis
Aduersùs rabidos inuidiæ impetus,
Et ludibria caſuum.
Ex alto impauidus proſpiciens minas,
Conatus vacuos deſpicit hoſtium;
Conflictûs etenim gloria quem manet,
Tutus prælia ſuſtinet.
Vt Phœbus radiis nubila diſſipans,
Obductus grauidis ipſe vaporibus
Effulget ſolitâ luce ſerenior,
Iucundam referens diem.
Sic Verum radians Sole perennius,
Falſi præcipites inſidias fugat:
Sic Virtus, Vitij paſſa diù dolos,
Surgit robore fortior.
Vt Virtus valida eſt Inuidiæ ſcopus;
Sic eſt & ſcopulus, *nam ruit impotens,*
Virtutiſque ſacros frangitur ad pedes
Alliſus Vitij furor.
Pulchri quicquid habet quod cecini, tuum eſt
O quæ virgineis vberibus Parens
Lactaſti ſophiam quâ regitur Polus;
Si quid deficit, eſt meum.

LECTORI.

CVM animaduerterem complurimos homines errare grauiter in viâ ſcientiarum, quòd Veritatis calles non callerent, ducem itineris, non tenerent, principia illius non perciperent, præcepta non caperent, nec vim terminorum viderent. Idcirco quilibet illorum (vt potè ſpeculator cœcus, præcurſor Claudus, præco mutus, Doctor inſcius) è ſemitâ *veritatis* egrediens, & *vanitatis* iter ingrediens, per vias deuias, & errorum caligine opertas grauiter impingerent, corruerent, præcipitarentur; & quod peius eſt, (vt qui parùm proſpiciunt, callidos admirantes, eorum malitiam, prudentiam eſſe judicant) ſic incauti qui omni circunferuntur nouitatis inanitate, parùm gnari, admirantes ſpecioſam quorundam ignorantiam, ſapientiam eſſe pertinaciter autumant. Idcirco (Lector amantiſſime) nè in tenebris ambulares; quicquid è porticu Salomonis, è Platonis Aca-

Digitized by Google

demiâ, & Ariſtotelis Licæo (extra quæ ſapientia profectò exulat) lucis referre potui, id ſine inuidiâ communicare ſuſcepi, ſtrictiſſimo ſcilicet ſtylo (& quidem quantùm ſufficit ei qui abſtruſiores Philoſophiæ quæſtiones non cupit diſputando agitare) rerum omnium amplam tibi tradens explanationem.

Hæ *quippe* ſunt *Deus*, *opera Dei*, *hominiſque operationes*; quorum omnium notitia, & expoſitio cumulatiſſimè huiuſce libri ſerie continentur.

Omne enim ENS eſt *reale* vel *rationis*; illud eſt *ſubſtantia*, vel *accidens*, illa eſt *corporea*, vel *ſpiritalis*; hæc eſt *Deus*, & *Angelus*, de ijs omnibus luculenter & accuratè agitur in Metaphyſicâ inſtitutione.

Subſtantia corporea, ſeu *corpus naturale*, præcipuè *homo*, de quo præſertim exacta notio habetur in Phyſicâ Introductione, cum ipſa abſoluatur, & concludatur animæ rationalis contemplatione, cuius operationes, putà *voluntatis*, à Morali; *intellectûs* autem à Logicâ Manuductione ampliſſimè pertractantur.

Quamobrem debuimus ordiri à Metaphyſicâ Synopſi quæ ſpeculatur *Ens*, eiuſque *inferiora*, vſque ad *corpus* excluſiuè: at quia

corpus eſt obiectum phyſicæ, debuit ipſa immediatè Metaphyſicam ſequi; cum autem ex profeſſo *Logica*, & *Moralis* pertractent operationes hominis quas *Animaſtica* tantùm delibat, *Phyſicæ* connecti debuerunt: ipſa autem *Moralis*; quia componit *Mores*, præſtatque vt ratio ſuis opibus, putà *Veritatis inuentione* delectetur, & liberiùs perfruatur, debuit præcedere compendium Logicæ, quod eſt aptiſſima diſpoſitio ad commentarios Philoſophiæ, ſcientiarumque omnium, ſine erroris formidine percipiendos.

Non ibi ad nauſeam, & faſtidium bis idem repetii, vt ij qui ſtudent ſuos auditores deludere, & dedocere verborum farragine; non verò ipſos eruditione, & rerum amplitudine edocere.

ADVERTE diſtinctionem characterum, notarum arithmeticarum, tum literarum Alphabeti, eorumque omnium ordinem ſequere; *vt videre eſt in hoc ſubiecto exemplo*. Vid. *pag.* 130.

DISTINCTIO eſt, *vel*

1. *Realis* quæ præcedit, &c.

2. MAIOR, ſeu diſtinctio rei, à re, eſtque ea quæ intercedit inter ea, *vel*

α. Quorum vnum poteſt eſſe, &c.

Digitized by Google

β. Quorum vnum eſt principium, &c.

γ. Quæ ſeorſim exiſtunt, &c.

b. MINOR, *modalis*, ſeu, &c.

2. *DISTINCTIO rationis* eſt ea quæ non præcedit mentis, &c.

Hæcque eſt vel *rationis*

a. RATIOCINANTIS, ſeu ſine, &c.

b. RATIOCINATÆ, quæ &c.

Sic legas, Diſtinctio eſt realis, vel rationis, *tum* DISTINCTIO REALIS eſt ea,&c. *DISTINCTIO* RATIONIS, eſt ea, &c.

Tum dicas, *DISTINCTIO* REALIS, eſt MAIOR, *vel* MINOR. MAIOR, eſt ea quæ intercedit inter ea, vel quorum vnum poteſt eſſe ſine alio, &c. Vel quorum vnum, &c. *Semper & ſupplendo, aut repetendo prædicta; vt patet* ex præſuppoſito exemplo.

IDEM *præſtes circa* diſtinctionem rationis.

QVAMVIS omnes homines naturaliter ad *Fœlicitatem* propendeant; quia pauci media ad eam aſſequendam idonea ſuſcipiunt, rari *Beatitudinem* aſſequuntur. Similiter quamuis omnes homines à naturâ ſcire deſiderent; quia tamen quàm-plurimi eius principia negligunt, pauciſſimi ipſius prærogatiuis perfruuntur; idcirco, vt ea ſedulè addiſceres quàm potui breuiter, & ordinatè (*Amantiſſime Lector*) tibi expoſui.



Tres Reges, Trinum Dominum venerantur in vno;
Praxim auro dant, Thure preces, Myrrhâque Labores.

IN TOTIVS PHILOSOPHIÆ INTRODVCTIONEM.

PRÆFATIO.

ANTIQVVS quidam Philoſophus legatos ad ſe venientes, & verentes ingredi furnile in quo ipſum degentem detexerant, locum vt potè exiſtimantes indecorum, tantoque viro indignum, ſagaciter eos, vt intrarent his verbis adduxit. *Nec vos pudeat inquàm, hunc locum ſubire, & hìc quòque* DEVS *eſt*. Efficaci prorsùs, mirabilique ratione, Vir Sapientiſſimus, meo quidem iudicio, eos vt ipſum adirent, adegit; Nonne etenim, locus iſte quem pulchritudinis, ſplendoriſque puritas, *nimi-*

Digitized by Google

rum DEVS, exornat, ſatis eſt decorus. Pari ferè modo (*Lector amantiſſime*) poſſum te compellare, & ad lectionem huiuſce libelli compellere, nec te pudeat, inquàm, hunc librum quamuis paruulum voluere, & hic quòque, ſunt Philoſophiæ fundamenta eiuſmodi ordine conſtituta, vt hæc alibi, tali methodo digeſta tibi difficile ſit inuenire. Nec quæſo libri exiguitate dimouearis; *Opus enim, non extenſione materiæ, ſed artis intenſione debet æſtimari.* Enimverò Diuinæ ſapientiæ *ſumma*, omnipotentiæque *virtus*, & *activitas*, in tenuis formicæ conformatione manifeſtiùs effulgere deprehenduntur, quàm in ingentis elephanti fabricæ conſtructione: Diuinior profectò fuit illius artificis ſubtilitas, & induſtria, qui elegantes, eâ dexteritate curſum, equoſque adaptauerat, vt exilis alæ vnius muſcæ potuerint obtegi velamine; quàm illius opificis ars, & ſolertia, qui procerum Rhodi Coloſſum ære fuderat; in amplâ quippe materiâ *quodlibet*, in ſtrictâ verò, ſolùm *quod licet*, induci poteſt.

Vnde *res anguſtiores*, vt plurimùm ſunt *anguſtiores*; gemmæ quippe exiguitas præcellit craſſitiei, & ſilicis magnitudini. Id etiam in ſermonibus animaduerti licet; nec enim tibi ſatagendum eſt quàm numeroſa, ſed quàm ponderoſa, nec quàm prolixa, ſed quàm præclara tua ſit oratio. *Virtus* quippe, *vnita vegetior eſt ſeipsâ diſperſâ.* Satiùs enim eſt multa comprehendere paucis, quàm pauca effutire multis. Hinc egregiè canit Poëta.

Quicquid præcipias eſto breuis, vt citò ſenſa,
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

QVAPROPTER hic liber eò præſtantius eſt præambulum ad ſtudium *Sapientiæ*, quò ſtrictiori ſtylo abundantiſſimè, & accuratiſſimè rerum omnium ampliſſimam continet explanationem: Igitur.

11

PHILOSOPHIAM ordimur ab Epitome *(ſtudioſi ſapientia candidati)* ipſiuſque immenſum ferè corpus, ſicut Geographi, terram, vnico intuitu, annuente cœleſti favore, euidenter ſubjiciemus; vt in propemodùm infinitis, & veluti Dædaleis difficultatum ambagibus, rationis, orat oniſque noſtræ filum poſſitis tenere, & certiſſimè ad elucubrationum veſtrarum finem, & optabilem exitum queatis peruenire.

TVM quia quælibet doctrina, & methodus naturæ *ſubſidium* eſt, & *imitatio*; quælibet ars, illius *ſimia* eſt, & *amula*; vt enim *Natura*, DEVM; ſimiliter *Ars*, NATVRAM imitari conatur. Quamobrem quantùm fieri poteſt, ad illius *normam* debet conformari: Natura verò nihil derepentè producit perfectum, ſed opera ſua, primò ſummatim edita, pedetentim abſoluit, non enim parit *auem*, aut *pullum*, niſi priùs *ouum*. pulli *compendium*, efformauerit.

Quapropter optimus eſt doctrinæ in animis tyronum inſinuandæ modus, quo leui primùm, tum exactâ diſ uſſione ſingula pertractentur, quòd *(afflante numine, & affulgente lumine eius qui linguas infantium diſertas facit)* fœliciter exequemur: vt non ab obſcuris ignorantiæ tenebris, *Sapientia opus*, alioqui deſperatum, repetatis; ſed ipſum, in veritatis ſplendore, inuenire valeatis.

HINC Ariſtoteles noſter, *Categorias*, totius Philoſophiæ *ſummam*; Porphyrius, *Iſagogen* Categoriarum *Epitomen*; Euclides, Mathematicæ *Elementa*; Hippocrates Medecinæ *Aphoriſmos*, Dorotheus, Theophylus, Trebonianus, iubente Iuſtiniano imperatore, Iuriſprudentiæ, *Inſtitutiones*, & alij diſciplinarum principes, ſuarum artium ſummulas primùm concinnauerunt.

Quandoquidem breuitas cum claritate *memoriam*, & diſtinctio cum ordine *iudicium* efformant. Nos

eorum veſtigiis inſiſtentes aditum ad Ariſtotelis Philoſophiæ adyta breui, & accuratâ introductione præmuniemus, in quâ dilucidè totius Philoſophiæ fundamenta ponemus, exponemuſque *principia*, *mole*, *parua*, *virtute*, *maxima*, in quibus erit & fœcunda breuitas, & euidens certitudo, virtus quippe ſermonis eſt breuitas, & fœcunditas, tum euidentia, & firmitas. Cum autem *omnia principiis inſint*, ſine horum notitiâ, quemlibet in veritatis indagatione, proculdubiò turpiter hallucinari neceſſe eſt; *error enim in principio leuis, grauiſſimus eſt in fine*. Quamobrem ne quis *in lumine cæcutiat, & aberret à limine*, quæ ſumus hic pertractaturi ſedulò ediſcere moliatur.

Sapientissime Epicteto, tota Philoſophiæ vis, duobus hiſce continetur, *ἀνέχου ϗ ἀπέχου*, Svstine (*veritatem* ſcilicet, & *virtutem*) Abstine (*à falſitate* nimirùm, & *vitio*) etenim quemadmodum Philoſophus veritatem audit, & virtutem proſequitur; ſic falſitatem odit, & vitium perſequitur; illius quippe ſtudium, ſtadium eſt, cuius meta Veritas, & Virtvs, brauium autem, eſt ipſa BEATITVDO.

Vnde clariùs tota, Philoſophiæ vis, & excellentia, *ἔστι ἀλήθεια ϗ ἀρετή*, eſt veritas, & virtvs, quæ ſunt res tantæ dignitatis, & excellentiæ; vt quis dicere non dubitauerit quòd ſi per impoſſibile Deus foret quoddam compoſitum, eius *Corpus* eſſet lvx, *anima*, veritas; virtvs verò, *vltima* illius *perfectio*.

Quanquam duabus hiſce rebus innixa fulciatur tota Philoſophiæ ratio; eget tamen potiori, faciliorique terminorum expoſitione, & principiorum explanatione, quibus ipſius immenſitas, & amplitudo, attentiùs expendatur, & planiùs expandatur.

Igitur hic ſigillatim, ſed ſummatim tractandæ ſunt illius partes, & priùs quidem agendum eſt.

DE PHILOSOPHIA VNIVERSIM.

PHILOSOPHIA dicitur, φιλία τῆς σοφίας, *ſtudium Sapientiæ*, id eſt vehemens, & aſſidua ad *ſapientiam* magnâ cum voluntate applicata occupatio; etenim eſt ***amor ſapientiæ ſedulâ cum inquiſitione coniunctus.***

Ad ſtudium requiruntur
1. Mentis attentio.
2. Vehemens animi contentio.
3. Aſſidua diligentia.
4. Magna voluntatis intentio.

Siue vehementia conatûs, aſſiduitas laboris, tum magna voluntatis inclinatio.

Quamobrem, qui ſegniter, quandòque, vel inuitò Philoſophiæ, vel cuiuis alteri diſciplinæ operam nauat, non dicitur illius ſtudioſus.

Hæc doctrina olim *Sapientia* nuncupabatur. Vnde ſeptem qui ipſius laude in Græcià floruerunt, SAPIENTES fuerunt appellati, nempe.

THALES *Mileſius.*	PITTACVS *Mitileneus.*
SOLON *Salaminius.*	BIAS *Prieneus.*
CHILO *Lacedemonius.*	CLEOBVLVS *Lindius.*
	PERIANDER *Corinthius.*

SIENTIARVM tamen cœtus, à Pithagorâ conuenientiùs poſteà *Philoſophia* nominatus eſt; quòd ſcilicet noſtra eruditio adeò imperfecta ſit, vt videatur potiùs ad ſapientiam *niſus*, & *contentio*, quàm ſapientiæ quædam *adeptio*. Enimuerò vt is qui negligit ſcientias non intelligit, ſimiliter qui ardenter cupit illas capit.

Quamobrem, *quandiu homo ſapientiam quærit, ſapit* (non enim eſt mediocris ſapientiæ pars, ſapere velle) *cum autem ad ſapientiæ culmen ſe peruenisſe autumat, deſipit*, inſipientis quippe eſt, fingere ſe illius diſciplinæ, cuius amplitudo, altitudo, & profunditas eſt infinita, apicem attigiſſe: ſapientiæ porro vt & illius *obiecti*, (nempe *veritatis*,) infinitas, eſt immenſa. Igitur qui omnia ſcire ſe putat, ſtultus eſt; qui omnia ſe ignorare credit, eſt ſtupidus; Philoſophus autem eſt, qui ſe quædam ſcire, & quam-plurima ignorare profitetur.

DE PHILOSOPHORVM SECTIS.

PHILOSOPHI, varias in Sectas abiere.

SECTA dicitur à *ſecando*, quòd multos ab aliorum ſententiâ diuidat; vel à *ſectando*, quòd multi aliquem in eâ ſequantur ducem.

Deſcribitur, multitudo hominum eandem diſciplinam, eademque principia propugnantium.

Princeps Sectæ: ITALICÆ, Pithagoras.
IONICÆ, Thales in Ioniâ natus.

THALETI ſucceſſit Socrates; de quo extat illud oraculum.

Sapiens Sophocles, Sapientior Pericles,

Σόφος Σοφοκλῆς, σοφώτερος, Περικλῆς,

Sapientum omnium ſapientiſſimus, Socrates.

Σοφῶν δ' πάντων σοφώτατος, Σωκράτης.

Ex huius ſcholâ cateruatim, velut ex equo Troiano, clariſſimæ Philoſophorum ſectæ prodierunt; nam eius diſcipuli fuerunt.

1. *ANTHISTENES* Cynicæ ſectæ author, quem ſecutus eſt Zeno Cittiæus, Stoicæ ſectæ inuentor.

2. *PLATO* diuinus Academiæ veteris inſtitutor, quem audierunt Speuſippus, & Ariſtoteles, ille *coluit*, hic Academiam *noluit*.

ARISTOTELES philoſophiam collegit, collectam ordinauit, ordinatam adauxit, adauctam, poſteris mandauit. Ipſe verò propter mirabilem ſingularis ſuæ eruditionis copiam, ſtylique breuitatem PHILOSOPHI nomine, meritus eſt à ſapientibus inſigniri: ἦν γὰρ τῆς σχολῆς νοῦς, καὶ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος, eſt enim ipſo authore Platone *Scholæ mens*, *& Philoſophus veritatis*. Idcircò in Philoſophiâ, eſt *Peripateticè* diſſerere, quòd in Eloquentiâ *Atticè* dicere. Hinc eius doctrinam in Philoſophiâ, vt & Tullij, aut Demoſtenis in Rhetoricâ, Hippocratis, vel Galeni in Medecinâ, aut Doctoris Angelici in Theologiâ ſpernere, dementiæ eſt, aut ignaræ temeritatis.

HIC, (*ne nodum in ſcirpo quæram*) non moror quoſdam nouatores deluſæ imaginationis vanitati ſeruientes. Procul igitur faceſſant Carteſij commenta (quippe qui ſit PHILOSOPHVS MILES) cu-

ius deliria iam diu Romæ fuerunt condemnata, iiſque ſolúm placere poſſunt, qui præferunt *carduos lactucis.* Apage quoque Lullij, Gaſſendi, aliorumque iſtius farinæ figmenta etenim dedecet *Philoſophum* ad ignarorum ineptias deſcendere, ij quippe ſunt qui putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti verò facti ſunt. Quapropter nos (vt potè ſtudioſi veritatis) ARISTOTELEM, naturæ *Genium*, & *Interpretem*, vt *lucem* ſequimur, & *Ducem*, eiuſque principiis, tum præceptis adhærentes quærimus

QVID PHILOSOPHIA.

PHILOSOPHIA deſcribitur, *Magiſtra* veritatis, & *Regina* virtutis; etenim & veritatem docet, & ad virtutem ducit.

IPSA ſumitur, vel

1. COLLECTIVE, vt eſt coetus ſcientiarum omnium naturalium, vocaturque ἐγκυκλοπαιδία, quaſi ſcientiarum circulus; vel

2. DISTRIBVTIVE, vt eſt genus ſcientiarum naturalium; poteſtque in recto prædicari de ſingulis Philoſophiæ partibus ſigillatim ſumptis.

PHILOSOPHIA collectivè, eſt ſcientia rerum diuinarum, & humanarum; eſt enim earum cognitio per propriâs cauſas, ſicque vocatur *Sapientia.*

Hoc modo, Logica eſt Philoſophiæ pars, non Philoſophia.

Res { Diuinæ / Humanæ } { ſunt } { Deus, & opera Dei, / Operationes intellectûs, & voluntatis.

Deus, hìc eſt diuina natura, eiuſque perfectiones, tum *abſoluta*, v. g. vnitas, veritas, bonitas, ſimplicitas, &c. tum *relatiuę* ad creaturas, putà omnipotentia, iuſtitia, &c. quatenus videlicet naturali lumine, à nobis *ſunt* cognoſcibiles.

Opera Dei ſunt ſpiritus creati; putà Angeli, vel corpora.

Ad corpora aliquatenùs *quantitas* ſecundùm ſe poteſt reuocari.

A D Deum, & opera Dei, res communes ſpiritalibus, & corporeis referuntur.

Metaphyſica conſiderat Deum, Angelos, reſque communes ſpiritalibus, & corporeis.

Phyſica ſpectat corpus.

Quantitas ſecundùm ſe, à *Mathematicâ* conſideratur.

Logica operationes intellectûs; vt & Moralis, actiones voluntatis dirigit.

Quapropter hoc ſenſu, *Logica* eſt Philoſophia, non Philoſophiæ pars.

2. *PHILOSOPHIA diſtributiuè*, eſt cognitio rei neceſſariæ per proprias cauſas; v. g. cognitio deſcenſûs lapidis, per grauitatem. Sicque dicitur *ſcientia*, hocque modo.

Metaphyſica, ... Prima.
Phyſica, ... Naturalis.
Mathematica, { eſt Philoſophia { Quantitatis.
Logica, ... Rationalis.
Ethica, ... Moralis.

Digitized by Google

DE PRINCIPIJS PHILOSOPHIÆ.

PHILOSOPHIA diuinitùs *infuſa* fuit Adamo, ad poſteros, nimirum Chaldæos, Ægyptios, Iudæos, Græcos, Romanos *tranſfuſa*, & ad nos vſque *diffuſa*.

Philoſophia hominibus euenit,	*Infuſione*		*Adamo.*
	Inuentione	[v.g.	reparatorib⁹.
	Eruditione		*nobis.*

INFVSIO hìc, eſt largitio extraordinaria, & inſtantanea à Deo dotis alicuius, v. g. ſcientiæ.

INVENTIO, eſt cognitio rei priùs latentis, v. g. adeptio artis nauigandi in Argonautis.

ERVDITIO, eſt communicatio ſcientiæ, ſeu huiuſdem largitio, vel receptio; illa eſt *doctrina*, hæc eſt *diſciplina*.

DOCTRINA, eſt facilitas producendæ ſcientiæ; vel actualis ſcientiæ productio.

DISCIPLINA, eſt ſcientiæ receptio, ſeu acquiſitio.

DOCILITAS, eſt diſcendi promptitudo, ſeu quædam capacitatis diſciplinæ excellentia.

PRINCIPIA inuentæ Philoſophiæ, ſunt *admiratio*, & *experientia*.

ADMIRATIO, quandòque, & latè eſt actus mentis rem aliquam ob illius excellentiam æſtimantis. Sic CHRISTVS *Dominus* dicitur miratus fi-

Digitized by Google

dem Centurionis. Admiratio huiuſmodi non includit ignorantiam.

Propriè, & vt eſt principium Philoſophiæ, eſt *deſiderium cognoſcendæ cauſæ cuius effectum nouimus*, v. g. cupiditas quâ inquirimus cur magnes ferrum attrahat. Hinc Pſalti regio *mirabilès elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

In admiratione.

Sunt { Notitia effectûs. Ignorantia cauſæ. Deſiderium huius cognoſcendæ.

Qui ignorat effectum, vel qui huius cauſam agnoſcit, aut cauſam effectûs cogniti, ſcire non curat (quemadmodum ruſtici, qui loca oceani maritima incolunt, ſe habent reſpectu æſtûs maris) non admiratur. Idcirco qui nihil admiratur, aut omnia *ſcit*, vt Deus: vel omnia *ignorat*, vt ſtupidus.

PRAXIS.

Vbi admiratio eſt ignorantia: in Chriſto Domino fuit admiratio. Ergo in Chriſto Domino fuit ignorantia.

Reſponſio. Vbi eſt *admiratio propriè*, eſt ignorantia; non item vbi eſt *admiratio latè*: at in Chriſto Domino fuit *admiratio latè*, non *propriè*.

EXPERIENTIA, eſt *obſeruatio*, & *comparatio multorum ſingularium inter ſe ſimilium memoriâ retentorum*, v. g. collatio plurium animaduerſionum defectûs lucis in Lunâ propter poſitionem terræ Solem inter, & Lunam, & ſi quis obſeruauerit ſolem ad nos vſque, radios non diffundere quoties luna ipſum inter, & noſtrum aſpectum occurrit, experimento nouit.

Defectus Lunę varios, ſoliſque labores.

Ad experientiam potiſſimè, ſenſûs externi perſpi-

cacia, ad accuratam ſingularium notitiam requiritur memoriæ tenacitas, vt illa retineantur, tum ingenij ſagacitas, vt ea conferantur inter ſe, deſiderantur. Vnde Philoſopho, *homo arte, & experientia viuit.*

Experientia eſt vel

1. *Imperfecta*, quæ eſt obſeruatio plurium ſingularium inter ſe ſimilium, memoriâ retentorum abſque vllo mentis examine: v. g. notitia quâ quis fortuitò nouit hominem eſſe animal rationale.

2. *Perfecta*, eſt obſeruatio, & examen ex ſedulâ comparatione plurium ſingularium inter ſe ſimilium memoriâ retentorum; v. g. ea quâ quis nouit, v. g. hunc, & iſtum hominem, &c. eſſe animal rationale; quia animal eſt *genus* proximum hominis, & rationale, eſt illius *differentia* maximè propria.

PRAXIS.

Principium Philoſophiæ non eſt fallax: Experientia eſt fallax.

Reſponſio, experientia *imperfecta*, eſt fallax; non item experientia *perfecta*, quæ eſt principium Philoſophiæ.

SENSATIO præterita, *memoriam*, multiplicis ſenſationis memoria cum comparatione, parit *experientiam*: hæc autem *principia* gignit, vel *præcepta*; ex *principiis* verò ſcientia ſpeculatiua, ex *præceptis* autem quælibet diſciplina practica componitur.

Puta quis fortè ſumpſit Cennam dum melancholiâ laboraret, huiuſque ſumptione curatus fuit, & alij pariter eodem morbo laborantes, vi eiuſdem remedij ſanati fuerunt. Inde orta eſt *memoria* purgatiuæ virtutis in Cennâ, ex quâ natum, comprobatumque hoc *præceptum*, Cenna eſt melancholiæ ſanatiua; ex hoc, ſimilibuſque *præceptis* coaluit *Ars*

Medica. Hinc Poëtæ.

Per varios vſus artem experientia fecit.
Exemplo monſtrante viam.

FORTVNA etiam, quandoque parit diſciplinarum *principia.* Sic quòd quondam ad nidi fabricam coruus, ſalicis ramum roſtro deferens, qui in riuum aquarum eluuione turgentem, caſu deciderit, vndarumque curſu ad truncum arboris fiſſum, lutoque oblimatum appulerit, eique inſertus, in ſalicem adoleuerit, nata fuiſſe videtur ars ſurculos truncis arborum inſerendi. Hinc τίχειν, τύχειν, τύχη, τίχνην. ARS Fortunam (*amat*) Artem, FORTVNA.

EX fortunâ tamen, *inconſtantia* per ſe oritur; vt & ex ſcientiâ, & arte, omnis *ordo*, *euidentia*, & *certitudo* deriuantur. Vnde illud.

Vt Sphara fortuna; *cubo ſic inſidet* Hermes,
Artibus, hic præeſt; *caſibus*, illa ſubeſt.

PHILOSOPHIÆ
DIVISIO.

PHILOSOPHIA Stoicis, eſt diſſerendi ſubtilitas, id eſt *Logica.* Vita, & Mores, ſeu *Moralis*, Naturæ obſcuritas, ſeu *Phyſica.*

Accuratiùs Peripateticis, præſertim eſt vel

1. SPECVLATIVA, quæ conquieſcit in obiecti ſui contemplatione, v. g. ſpeculatio cœleſtium periodorum.

2. PRACTICA, quæ non conquieſcit in obiecti ſui

gnitione, ſed tranſit ad opus; ſeu quæ obiecti ſui proximi cognitionem refert ad opus, v. g. Diſciplina virtutis, *de virtute, quippe ſcire non ſatis eſt, ſed enitendum eſt, eam habere.*

PRACTICA, eſt Logica, vel Moralis.

SPECVLATIVA, eſt Metaphyſica, Phyſica, vel Mathematica.

DE MATHEMATICA.

MATHESIS, definitur *Scientia quantitatis.* SVA iucunditate, *Summates*; vtilitate *Populares*; ſubtilitate *allicit & ſapientes.* Eſtque

1. PVRA, nempe.

Arithmetica	[quæ	numerum,	eiuſque cauſas ſecūdùm ſe conſiderat.
Geometria		magnitudinē,	

HÆ appellantur *Mathematicæ puræ*; quia meram ſpectant quantitatem.

2. IMPVRA eſt præſertim

Optica	*ſeu* Diſciplina cognoſcitiua	*Magnitudinis,*	[vt	*Viſibilis.*
Muſica		Numeri		Audibilis.
Mechanica		*Machinarum,*		*Motiuarum.*
Coſmographia		Mundi,		Mēſurabilis.

COSMOGRAPHIA eſt vel.

1. *ASTRONOMIA*, ſeu ſcientia ſpeculatiua Periodorum cœleſtium.

Astrologia (quæ, quia iudicio caret, vulgò *iudiciaria* dicitur) eſt quædam imaginaria ſcientia eorum quæ ſyderum influxu in nobis euenire fabulantur.

Astrologia naturalis, eſt ſcientia cœleſtium corporum. *Hęc ſpectat ad librum de cœlo.*

2. *GEOGRAPHIA*, eſt deſcriptio terræ.

3. *YDROGRAPHIA*, deſcriptio aquarum.

HÆ dicuntur *Mathematicę impurę*; quia ratione *quantitatis*, ad Mathematicam, ratione verò *qualitatis*, ad Phyſicam pertinent.

DISCRIMEN
PHILOSOPHIÆ
SPECVLATIVÆ, A PRACTICA.

PHILOSOPHIA *ſpeculatiua* differt à *Practicâ*.

1. *MODO attigendi obiectum*; ſiquidem *ſpeculatiua* cognoſcit ſuum obiectum propter ſe; *Practica* verò, propter opus.

2. *FINE*, finis quippe *ſpeculatiua* eſt ſola veritatis contemplatio; cognoſcit enim vt cognoſcat: *Practica* verò, eſt cognitio, & operis productio; ſiquidem cognoſcit, vt operetur.

3. *PRINCIPIO rectitudinis*, obiectum enim

in ſpeculatiuis, eſt menſura earum perfectionis; ſic corpus naturale eſt principium rectitudinis Phyſicæ; quò enim Phyſica accuratiùs penetrat corporis naturalis eſſentiam, eò perfectior eſt, quò minùs autem eam detegit, imperfectior habetur.

IN Practicis regulæ ſunt menſura perfectionis operis, quantò enim opus eſt conformiùs præceptis artis, eò perfectius eſt; quantò autem minùs ipſis reſpondet, imperfectius æſtimatur.

Quamobrem *Panegyris* amentiæ, ſecundùm *præcepta* Eloquentiæ compoſita, foret laude digna, etſi res ſpernenda laudaretur: ſapientiæ verò *Apologia*, abſque *regulis* Eloquentiæ confecta contemnenda foret, licet in eâ res honorabilis commendaretur.

4. *OPERATIONE*; nam operatio propria ſpeculatiuæ, eſt *ſpeculatio*; practicæ verò, eſt *praxis*.

SPECVLATIO, eſt quies in veritatis contemplatione, v. g. cognitio naturæ Solis.

PRAXIS, eſt operatio dirigibilis per præcepta, hæc enim ſubiacet vitiis per regulas emendabilibus, v. g. *ædificatio*.

PRAXIS, ſeu operatio, eſt actio, vel effectio.

Actio ſtrictè, & vt opponitur *effectioni*, eſt *operatio Prudentiæ*; nam habitus actiuus eſt prudentia: actio eſt operatio habitûs actiui; ſicut ſpeculatio, eſt operatio habitûs ſpeculatiui.

Effectio, eſt *operatio artis*, habitus enim effectiuus, eſt ars: effectio eſt operatio habitûs effectiui.

Effectio; vel opus poſt ſe relinquit, v. g. *ædificatio*, domum; Vel nullum opus poſt ſe relinquit, v. g. *ſaltatio*.

Effectio quæ nullum opus relinquit poſt ſe, pluris fit, quàm opus; putà *ſaltatio*, quàm *eſſe ſaltatum*; effectio verò, quæ relinquit opus poſt ſe, minùs

nùs æſtimatur, quàm opus, v. g. *ædificatio* minùs ſit quàm domus.

Operatio prudentiæ differt ab *operatione artis*; quòd illa naturâ ſuâ immediatè ad honeſtatem, ſeu vitæ integritatem tendat, v. g. largitio eleemoſynæ: hæc verò, non item; *ædificatio* quippe per ſe tendit ad commodam habitationem. *Definitio*, ad Rei eſſentiæ expoſitionem, &c.

Ab *actione* homo denominatur bonus ſimpliciter, ab *effectione* verò bonus ſecundùm quid; ſic homo à rectâ pictione bonus pictor, non autem vir bonus denominatur.

IN *actione* non tam attenditur QVID, quàm QVOMODO agas: vnde illud *non cor ex dono, ſed donum ex corde menſuratur*: etenim

Quicquid agant homines intentio iudicat omnes.

Quare in actione qui ex intentione errat grauiùs peccat, quàm qui deficit præter intentionem; hinc pluris æſtimatur operatio, quàm opus per operationem productum.

IN *effectione*, habetur ratio *induſtriæ*, non *intentionis*; quamobrem in arte non damnatur qui datâ operâ, errorem committit: ſed qui illum admittit præter intentionem; nec enim imperitus Grammaticus eſt, qui ex animo, ſed qui ex inaduertentiâ rationis contra Grammaticæ regulas deficit.

COROLLARIVM.

PHILOSOPHIA eſt.

1. DISCVRSIVA, cognoſcit enim effe-

ctus per cauſas, vel vice verſâ. Non per authoritatem poëtarum, aut ſimilium. vt quibuſdam tyronibus placet.

Malè igitur hæc definitur, *cognitio rerum diuinarum, & humanarum, cauſarumque quibus hę res continentur*; cum eiuſmodi cognitio non ſit *diſcurſiua*, ſitque in Deo, in quo non eſt Philoſophia; frigida quippe laus eſt, Deum appellare Philoſophum.

2. EVIDENS, eſt enim diſtincta cognitio rerum vt ſunt in ſe; Philoſophia quippe cognoſcit res per proprias cauſas: at res ſunt præciſè id quod ſunt per proprias cauſas; ſic *homo* præciſè, & eſſentialiter eſt id quod eſt per *corpus humanum, & animam rationalem*: at ea ſunt propriæ hominis cauſæ.

3. CERTA, quia cognoſcit res neceſſarias per principia immutabilia: putà per proprias cauſas: at hæ ſunt immutabiles; cum ſint eſſentiales.

4. VERA, nam eſt conformis rei cognitæ: eſt enim cognitio rerum vt ſunt *ex dictis*: at eiuſmodi cognitio eſt conformis rei cognitæ.

QVAPROPTER perperàm Philoſophia etiam definitur cognitio *certa, vera, euidens, &c.* Hæc enim ſunt proprietates Philoſophiæ; de hâc enim demonſtrantur à priori, eò quòd ſit *cognitio rei neceſſarię per proprias cauſas*

5. ORDINATA, ab ipsâ enim omnis ordo ad cætera deriuatur: *ordo*, quippe *eſt ſapientię fœtus*: at Philoſophia eſt diuinæ radius ſapientiæ.

Quamobrem obſcuritatem, aut confuſionem vnias cum Philoſophiâ, aut ſcientiam à Philoſophiâ diuidas.

—*Tenebras cum lumine iungam.*



MANVDVCTIO
AD
METAPHYSICAM.

LIBER PRIMVS.

EX philoſopho, notitia vniuerſalium debet præcedere cognitionem particularium; vniuerſalia quippe ſunt particularibus euidentiora, certiora, & ſimpliciora, ſicut in Grammaticâ, literæ, ſyllabis; ſyllabæ, dictionibus. Ideoque cum in hoc compendio exponantur, & explicentur termini generaliſſimi, quorum explicatio, & expoſitio cuiuſlibet ſcientiæ principia *firmat*, & *illuſtrat*, à Metaphyſicâ introductione, ſcientias omnes, ea-

rumque Inſtitutiones, neceſſe eſt exordiri.

METAPHISICA dicitur ἀπὸ τῶ μέτα, ἡ φύσικά, à particulâ μέτα, prout ſignificat *poſt*, & *ſupra*; nam Metaphyſica eſt & *inuentione* poſterior, & *dignitate*, Phyſicâ ſuperior, etenim Metaphyſica, res purè ſpiritales contemplatur: at eæ ſunt rebus phyſicis, ſeu corporeis, & *entitate* præſtantiores, & *cognitione* poſteriores; ſiquidem illæ ſolo *intellectu*; hæ verò, & *ſenſu* cognoſcuntur: *ſenſus* autem ſunt in cognoſcendo duces,

METAPHYSICA multifariàm appellatur putà

1. *THEOLOGIA naturalis*, quia de rebus Diuinis, vt à nobis naturali lumine poſſunt cognoſci, diſſerit.

2. *SCIENTIARUM caput*, eſt enim potiſſimà Philoſophiæ pars, quæ ſicuti *caput*, totum animal, & ſpirituum diſtributione mouet, & cognitionis acie dirigit: ita ſuorum principiorum *euidentiâ*, & *certitudine*, cæteras *illuſtrat*, & *regit*, ſcientias.

3. *PRIMA Philoſophia*; quia per primas, & vniuerſaliſſimas cauſas demonſtrat; putà omne ens eſſe *intelligibile*, quia verum; eſſe *optabile*, quia bonum, &c.

4. *PHILOSOPHIA ſimpliciter*; quia eſt ſcientiarum nobiliſſima; cæteris quippe præſtat

1. Fine, putà contemplatione primæ veritatis, v. g. Dei.

2. Obiecto, nempe rebus diuinis, & vniuerſaliſſimis; vt potè à materiâ maximè ſeparatis.

3. Subiecto, videlicet intellectu maximè ſpeculatiuo; verſatur enim circa res maximè ſpeculabiles; vt potè à ſenſu remotiſſimas.

4. Principiis, & *cauſis*, nempe primis, & vni-

uerſaliſſimis; ſpectat enim, Deum, angelos, &c. at res eiuſmodi ſunt maximè diuinæ, & primæ cauſæ.

5. CERTITVDINE, & *euidentiâ*, eſt enim claritatis, & firmitatis cauſa; vt *lux*, viſibilitatis.

METAPHYSICA definitur, *Scientia ſpeculatiua entis realis, completi abſtracti ab omni materiâ.*

Metaphyſica eſt *ſcientia*; cognoſcit enim res neceſſarias per proprias cauſas, putà Deum exiſtere per creaturas. Item Deum eſſe immutabilem; quia eſt æternus.

Eſt *ſpeculatiua*; conquieſcit enim in obiecti ſui cognitione; putà in contemplatione Dei, & angelorum.

Speculatiua entis realis; ſicut enim pictura vmbras adhibet, vt colores magis elucefcant; ita Metaphyſica entis rationis notitiam tradit per accidens, vt entis realis natura euidentiùs appareat.

Speculatiua entis completi; ſpectat enim ens partiale; propter ens totale, putà *differentiam*, propter *ſpeciem*, v. g. *ſpiritalitatem*, propter *Angelum*.

ENS abſtractum ab omni materia, eſt id quod poteſt ESSE, vel CONCIPI ſine quâuis materiâ. *Illud*, ſunt res purè ſpiritales; putà Deus, & Angelus. *Hoc* autem, ſunt res communes ſpiritalibus, & corporeis, v. g. *ſubſtantia*, *accidens*, &c.

Omnis materia eſt, vel

1. *Indiuidualis*, & ſunt ipſa *individua*, v. g. Gabriël, Petrus, Bucephalus, hæc planta, hæc albedo.

2. *Senſibilis*, ſeu affecta qualitate ſenſibili, v. g. *homo*, quatenus videlicet eſt calidus, humidus, &c.

3. *Intelligibilis*, quæ eſt *partium diuiſibilitas*; v. g. materia *circuli* Geometricè conſiderati; circulus e-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nim à Geometriâ ſpectatur vt eſt diuiſibilis, non vt ſenſibilis.

4. *Metaphyſica*, quæ eſt *rei perfectibilitas*, ſeu capacitas recipiendæ perfectionis; v. g. capacitas beatitudinis in angelo.

Deus, abſtrahit ab omni omninò materiâ; perfectibilitas quippe infinitè à Deo exulat; quomodò enim is poſſet perfici, qui omnia dat, nec quicquam recipere poteſt.

Angelus, ut potè perfectibilis; includit materiam Metaphyſicam, cæteras verò excludit.

R E S communes ſpiritalibus, & corporeis, ſunt mentaliter abſtractæ ab omni prorsùs materiâ; poſſunt enim ſine vllâ definiri; putà actus, potentia, &c.

R E S Mathematicæ, non poſſunt exiſtere Realiter ſine materiâ Phyſicâ; putà *circulus*, vel *pyramis*, ſine ligno, aut ære, &c. at à Geometriâ, nudè, & ſine quâuis materiâ ſenſibili conſiderantur.

R E S Phyſicæ, ſunt in materiâ ſenſibili, & ſine eâ concipi nequeunt, v. g. *lapis*.

I G I T V R Res Metaphyſicæ, ſunt abſtractæ ab omni prorsùs materiâ; res *Mathematicæ*, à materiâ ſenſibili; *Phyſicæ* verò à ſolâ indiuiduali, nec enim *datur ſcientia de indiuiduis*.

Indiui'ua, ſaltem ſubſtantiarum ſenſibilium, omnem omninò materiam includunt, v. g. Petrus, eſt enim perfectibilis, diuiſibilis, ſenſibilis, & indiuiduū.

COMPENDIVM *Metaphyſicæ* quatuor tractatibus abſoluetur.

Primus Secundus Tertius Quartus	erit de	principiis cauſis proprietatibus ſpeciebus	entis vniuerſim.

TRACTATVS PRIMVS.

DE PRINCIPIJS ENTIS VNIVERSIM.

PRIVS agimus de principiis, quám de cauſis; quòd illa ſint his priora; vt potè vniuerſaliora; ſicut & cauſæ ſunt priores ſuis proprietatibus. Vltimò denique agemus de ſpeciebus entis vniuerſim; cum *hę*, ex prædictis omnibus (excepto Deo, quippe qui ſit ſimpliciſſimus) coaleſcant.

QVID PRINCIPIVM,

PRÆCLARE definitur, quid primum vnde res *producitur, eſt*, vel *cognoſcitur.*

Hinc triplex eſt, puta *principium.*

productionis	*ſeu* quid	producitur.	vt	*ouum,*	*reſpect.*
cópoſitionis	primum	componitur.		corp⁹.	pulli.
cognitionis	vnde res	cognoſcitur.		*pippit⁹*	

Quodlibet principium generationis eſt principium productionis, non viciſſim; nam pater, & verbum ſunt principium *productionis* ſpiritûs ſancti; non verò *generationis*, ſpiritus enim ſanctus *ex patre, filioque procedit*, non gignitur.

Qualibet mutatio habet principium ſui in fieri, non item quæſuis actio id habet; æternæ quippe

Verbi generationis, nullum eſt principium in *fieri*; *Verbum* etenim *genitum eſt, non factum*: at generatio Verbi Diuini eſt actio præſtantiſſima.

OMNE principium *compoſitionis*, ſeu in *facto eſſe*, eſt principium rei in *fieri*; non vice verſâ; nam *ouum* eſt principium pulli in *fieri*; non item in *facto eſſe*; pullus enim, ex *ouo* non componitur.

OMNIS effectus eſt principium cognitionis ſuæ cauſæ. Sic creaturæ exiſtentia, eſt cauſa cognitionis Dei; ex creaturis quippe neceſſariò colligitur earum creator; ex Die, Exiſtentia Solis, &c.

PRINCIPIVM, rectè definitur à Philoſopho, *aliquid primum vnde res eſt, fit, vel cognoſcitur*; nec enim citra fidei lumen (quo deſtitutus erat) accuratiùs poteſt definiri. Vnde perperàm à quibuſdam reprehenditur, & hæc, *quid primum vnde aliquid*, quaſi principij deſcriptio aſſertur; non enim eſt quid clariùs principio.

PLVRIMA ſunt principia Metaphyſica rei, tùm in *fieri*, tùm in *facto eſſe*: at potiſſima ſunt.

Actus, potentia.	res, terminus.
Eſſentia, exiſtentia.	*Natura, ſingularitas.*
Entitas, modus.	ſubiectum, forma.

Cum autem quodlibet ex his ſit actus, vel potentia; *vel enim eſt* perfectiuum, *v. g.* exiſtentia; *vel eſt* perfectibile, *v. g.* eſſentia, &c. *Idcirco priùs agendum eſt de* actu, *&* potentiâ, *quàm de cæteris. Sed quia ordine perfectionis*, actus *prior eſt* potentiâ; *poſteriùs de hâc agemus, quàm.*

DE ACTV.

ACTVS, idem eſt ac *perfectio*, actuare, eſt *perficere*. Sic anima, eſt actus corporis. Sic diffe-

Digitized by Google

rentia, *actuat* genus, v. g. rationalitas, perficit animalitatem. Vnde quò quid magis eſt *actus*, eò eſt perfectius; ſic quia Deus eſt maximè *actus*, eſt & *perfectiſſimus*.

Actvs dicitur à Philoſopho, *id quo res eſt aliter quàm potentiâ.* Sic ſtatua marmorea eſt aliter per *figuram*, quàm dum marmor illius Brutum erat, & inelaboratum: at tunc erat ſtatua *poteſtate*. Sic noſter intellectus eſt aliter per *ſcientiam*, quàm dùm erat ad eam, veluti *tabula raſa*.

ACTVS eſt vel { primus, ſeu ἐντελέχεια. / ſecundus, ſeu ἐνέργεια.

ACTVS primus eſt intrinſecum operandi principium; eſtque vel Primvs

1. Simpliciter, ſeu intrinſecum cuiuſlibet operationis principium, v. g. anima rationalis in homine; eſt enim principium vegetationis, ſenſationis, ratiocinij, &c.

2. Secvndvm quid, ſeu intrinſecum alicuius tantùm operationis principium. Hocque eſt, vel

a. *Inſitum*, quod eſt à naturâ, v. g. intellectus, reſpectu intellectionis.

b. *Acquiſitum*, quod actuum repetitione comparatur; v. g. liberalitas, reſpectu eleemoſinæ.

Licet Deus ſit intimum principium cuiuſlibet operationis creaturæ; non tamen eſt illius internum operandi principium; cum non ſit quid creaturæ inſitum, vel acquiſitum. Vnde non dicitur actus primus creaturarum.

In Angelis, non eſt actus primus ſimpliciter; hic enim eſt *forma ſubſtantialis*: at ea non eſt in angelis. In ijs autem eſt actus primus ſecundùm quid; intellectus enim eorum, eſt in potentiâ ad vlteriorem

intellectionem: at in Deo nequidem eſt actus primus ſecundùm quid, niſi ſecundùm noſtrum imperfectum cognoſcendi modum, quo balbutiendo vt poſſumus excelſa Dei reſonamus; intellectus enim diuinus, & eius intellectio ſunt vna, & eadem ſimpliciſſima entitas, &c.

ACTVS *ſecundus*, eſt operatio ipſa, v. g. locutio.

PRAXIS.

Qui non videt, eſt cœcus: qui dormit, non videt.

Reſponſio, qui non videt in *actu primo* eſt cœcus, non item qui non videt in *actu ſecundo*: qui dormit non videt *in actu primo*; quia habet principium videndi; putà *viſum*: at videt *in actu ſecundo*, quia actu non elicit *viſionem*.

Sic aqua calida, eſt frigida in *actu primo*; quia habet in ſe principium frigoris reparatiuum: at non eſt frigida in *actu ſecundo*; quia non afficitur actuali frigore.

OPERATIO eſt, *vel*

1. Termini productio, v. g. calefactio, reſpectu caloris.

2. Adductio ad locum, v. g. deambulatio.

Hinc actio eſt productiua, vel adductiua.

PRODVCERE, eſt dare eſſe; ſic pater Diuinus, verbum æternum producit, quia ei dat eſſe.

FIERI, eſt tranſire de potentiâ ad actum, ſeu de non eſſe ad eſſe. Sic angelus fit dum creatur; flamma dum generatur; item calor cum producitur.

MVTARI eſt tranſire de vno ſtatu ad alium ſtatum. Quicquid *fit* mutatur, non viciſſim; nam manus, quæ de frigidâ, euadit calida, mutatur: at tunc non fit; quia tunc non tranſit de non eſſe ad eſſe ſimpliciter.

Digitized by Google

Quod accipit eſſe ſi tranſeat de potentiâ ad actum mutatur,ſecùs verò, non mutatur. Nam verbum diuinum accipit eſſe, nec poteſt mutari.

ACTVS item eſt, vel

a. PERFECTVS, qui non neceſſariò tendit ad vlteriorem perfectionem, v. g. calor remiſſus, reſpectu intenſioris, *ille* enim poteſt eſſe ſine *hoc*: putà calor in tertio gradu, eſſe ſine calore in quarto gradu; vnde hic non dicitur actus entis, prout eſt in potentiâ.

b. IMPERFECTVS, is eſt qui eſſentialiter tendit ad vlteriorem perfectionem, v. g. calefactio, ad calorem; eſt enim eſſentialiter productio caloris, Similiter creatio, reſpectu creaturæ; eſt enim eſſentialis huius productio. Sicque hæc eſt *actus entis in potentiâ.*

Actus deſtructiuus, eſt *actus* reſpectu deſtructi, v. g. *combuſtio* reſpectu combuſti, vt *cauſa deficiens*, eſt cauſa reſpectu defectûs, v. g. *claudicans* reſpectu claudicationis.

1. *ACTVS in aliquo*, dicitur, qui eſt in eo cuius eſt actus, v. g. *ſcientia*, in ſciente.

2. *ACTVS ab aliquo*; dicitur is qui exit extra id cujus eſt actus, v. g. *ædificatio*, extra Architectum.

PRAXIS.

Actus eſt in eo cuius eſt actus: calefactio eſt actus calefacientis.

Reſponſio, actus in aliquo, eſt in eo cuius eſt actus; non verò *actus ab aliquo*; calefactio autem eſt actus ab aliquo.

Cum ſcientia ſit euidentia parens, eſt cognoſcitiua oppoſitorum, oppoſita *quippe* iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Quapropter expoſitâ *actûs* naturâ, hic agendum eſt.

DE POTENTIA.

POTENTIA eſt *vel*

1. ACTIVA, ſeu principium productiuum perfectionis, v. g. *facultas loquendi.*

2. PASSIVA, ſeu principium receptiuum perfectionis, v. g. *capacitas ſcientię* in homine.

PRAXIS.

Nulla imperfectio eſt in Deo: potentia eſt imperfectio.

Reſponſio, potentia paſſiua eſt imperfectio, non verò actiua. Vnde hæc eſt in Deo; non illa.

Vtraque potentia eſt, vel
naturalis, ſupernaturalis { poſitiua, priuatiua.
proxima, remota. { cóſúmabilis, incóſúmabilis

POTENTIA actiua naturalis eſt quæ producit effectus non ſuperantes naturæ vires. Hoſque vel VITA.

1. CONCVRRENTE, vocaturque ſimpliciter *potentia vitalis*; hæcque eſt propria viuenti vt viuen eſt, v. g. intellectus, ſenſus, facultas nutrix.

2. NON CONCVRRENTE, vocaturque ſimpliciter *potentia naturalis*; hæcque propria eſt rei vitâ deſtitutæ, v. g. potentia illuminandi, *Soli.*

Omnis effectus eſſentialiter pendens ab *animâ*, eſt *vitalis*, non viciſſim; nam volitio angelica *vitalis* eſt, nec ab *animâ* dependet.

Omnis actus eſſentialiter dependens à vitâ, *vitalis* eſt, non è conuerſo; nam intellectio diuina, eſt *vitalis*, & ſummè independens.

POTENTIA *actiua ſupernaturalis*, eſt ea quæ

Digitized by Google

producit effectus ſuperantes naturæ vires; hæcque eſt vel IN

1. DEO, & dicitur ſimpliciter *potentia ſupernaturalis*; v. g. virtus productiua ſanctitatis.

2. CREATVRA, & appellatur ſimpliciter potentia *obedientialis*. Hæc autem eſt *mobilitas quâ creatura nata eſt obedire, & ſubſeruire Deo ad producendos, vel recipiendos quoſuis effectus ſuperantès naturę vires nullam contradictionem implicantes*, v. g. virtus aquæ baptiſmalis, ad producendam ſanctitatem; vel capacitas animæ, ad eandem recipiendam.

Omnis potentia *obedientialis*, eſt *ſupernaturalis*, non viciſſim; nam hæc eſt in Deo, non item potentia *obedientialis*; ſolus enim Deus eſt qui ſcit *imperâre*, & nulli *obtemperare*.

Reperitur quędam vmbra potentię obedientialis *vnius creaturę ad aliam*, v. g. idoneitas calami ad exarandos caracteres; eos enim nequit exprimere, niſi quatenus ſubiacet manui ſcribentis.

☞ POTENTIA *actiua*, uel eſt

1. *Ad vnum determinata*, v. g. voluntas quâ Deus ſeipſum amat; *vel* ea quâ homo fœlicitatem appetit, aut vis quâ ignis ſurſum tendit, vocaturque NATVRA.

2. *Indifferens ad oppoſita*, v. g. voluntas quâ Deus amat creaturas; *vel* ea quâ homo amat virtutem, vocaturque RATIO. Vnde illud *Natura* eſt ad *vnum*, *Ratio*, ad oppoſita.

PRAXIS.

Libertas eſt voluntas, & voluntas eſt libertas: voluntas neceſſariò agit. Ergo libertas agit neceſſariò.

Reſponſio, libertas eſt voluntas prout hæc eſt *Ratio*, non verò, vt eſt *Natura*.

POTENTIA paſſiua eſt, vel

1. OBIECTIVA, quæ eſt mera rei poſſibilitas, ſeu non repugnantia ad exiſtendum, v. g. capacitas exiſtendi in altero mundo.

2. SVBIECTIVA, quæ *eſt aptitudo ſubiecti ad formam recipiendam*, v. g. *tranſparentia aëris* ad lumen in ſe ſuſcipiendum; hæc enim eſt capacitas admittendi luminis in ſe.

HÆC denotat aliquid poſitiuum in ſubiecto, putà *idoneitatem ad formam*; illa verò nihil poſitiuum ſupponit, ſed ſolam in Deo fœcunditatem producendi quodlibet; ſic *poſſibilitas alterius mundi*, nihil importat, actu in altero mundo, ſed ſolam deſignat diuinæ potentiæ fœcunditatem, à quâ poſſit è potentiâ, ad actum reduci. Hinc vocatur *potententia obiectiua*, quod ſit *obiectum* ſolius omnipotentiæ diuinæ.

POTENTIA ſubiectiua, eſt vel *receptiua* formæ

1. Non excedentis naturæ vires, v. g. *Docilitas*, reſpectu ſcientiæ acquiſitæ, & eſt NATVRALIS.

2. Excedentis naturæ vires, v. g. *capacitas intellectûs creati* ad viſionem intuitiuam Dei, eſtque OBEDIENTIALIS:

POTENTIA *ſubiectiua* iterum eſt, vel

1. MERE RECEPTIVA, quæ ſolùm formam recipit; v. g. *corpus humanum*, reſpectu animæ rationalis; hæc enim eſt ſubſtantia de foris adueniens.

2. EDVCTIVA, quæ tum formam recipit, tum paſſiuè ad illius productionem concurrit, v. g. *lignum* reſpectu ignis; hic enim magnus eſt, pro multo ligno; paruus, pro pauco.

POTENTIA eſt iterum

1. POSITIVA quæ actui coniungitur, v. g. fa-

Digitized by Google

cultas loquendi in eo qui actu, & de facto loquitur.

2. NEGATIVA, quæ eſt mera indifferentia ad actum; v. g. *indeterminatio* ad loquendum in tacente; in eo enim eſt pura *negatio determinationis* ad locutionem. Item *indeterminatio* lapidis, ad hanc, vel illam figuram; hæc enim eſt *mera* ad figuram *indifferentia*.

3. PRIVATIVA, eſt potentia ſeparata ab actu cum idoneitate ad illum; *hacque* eſt, vel

a. *Actiua*, ſeu facultas ſe ſe ad actum determinandi, v. g. *facultas loquendi* in tacente.

b. *Paſſiua*, ſeu idoneitas actus recipiendi, v. g. *capacitas marmoris inelaborati*, ad recipiendam figuram.

Eſt in poteſtate agentis quid in patiente producat: at non eſt in poteſtate patientis vt *patiens* eſt, quid in ipſo recipiatur: ſic eſt penes *ſculptorem*, non item penes *marmor*, vt in, hoc figura *Iouis*, potiùs quàm *Mercurii*, producatur.

POTENTIA eſt rurſus

1. PROXIMA, quæ vnicâ agentis actione, & patientis receptione, poteſt ad actum reduci; v. g. *potentia loquendi in tacente*; vt enim actu loquatur, ſolùm opus eſt debitâ organorum vocalium ab animâ pulſatione, & aëris commotione.

2. REMOTA, quæ, vt ad actum reducatur, eget multiplici ſaltem patientis mutatione, v. g. *capacitas loquendi* in humano cadauere; vt enim reducatur ad actum; puta ad eliciendum ſermonem neceſſaria eſt tum animæ rationalis, tum facultatis loquendi reſtitutio, necnon organorum vocalium commotio.

DENIQVE *potentia* eſt, vel

1. Conſvmmabilis, quæ ſuum actum totaliter ſortiri poteſt, v. g. *viſus*, viſionem.

2. Inconſvmmabilis, quæ ſuum actum nequit vnquam completè ſortiri, v. g *viſus* reſpectu cujuſlibet *viſionis*. Viſus enim plures in infinitum poteſt viſiones elicere, ſed nunquam poteſt ad vltimam peruenire. Sic *numerus* poteſt ſemper creſcere; & nunquam creuiſſe; nullus enim adeò magnus Excogitari poteſt, quin ipſo fingi poſſit numerus duplo major.

OMNIS poteſtas eſt *potentia*, non viciſſim; aëris enim *tranſparentia* eſt potentia, non poteſtas; *hæc* enim eſt tantùm actiua, *illa* non item.

Poteſtas ſtrictè,eſt potentia actiua, non vicè verſâ; nam intellectus eſt *potentia*, non *poteſtas*; hæc enim propriè,eſt *auctoritas*, ſeu jus mouendi alios ad officium. Latè tamen *poteſtas* promiſcuè vſurpatur pro *potentiâ* (nimirùm *ad ſermonis ornatum*.)

Omnis *facultas* eſt *potentia*, non viciſſim; potentia quippe paſſiua, non dicitur facultas. Item in Deo, eſt potentia actiua,nec propriè in Deo, eſt facultas.

Virtvs quàm plurimùm differt à potentiâ; nam nulla *virtus* (vt potè quæ ſit ſolùm ad agendum) eſt *paſſiua*: at quædam potentia, eſt *paſſiua*.

Potentia actiua,poteſt eſſe de ſe indifferens ad benè, vel malè agendum, v. g. *intellectus*, ad ſciendum, vel errandum: *virtus* verò, ſolùm eſt de ſe ad benè agendum determinata, v. g. *perſpicacia oculi*, ad egregiè videndum; *ſcientia*, ad veritatem percipiendam.

Deinde *nulla potentia*, poteſt acquiri: at *quædam virtus*, putà *juſtitia*, poteſt acquiriri.

Præterea omnis *virtus*, eſt perfectio intrinſeca potentiæ;

tentiæ; v. g. *ſagacitas*, vel *ſapientia* reſpectu intellectûs creati: at nulla potentia eſt intrinſeca perfectio alterius potentiæ, v. g. *intellectus*, reſpectu voluntatis.

Item actus, opponitur *potentiæ*; vitium verò, *virtuti. Vid. in comp. mor. vbi de virt.*

Quod habet POTENTIAM

1. ACTIVAM deſignatur nomine deſinente in *-iuus -iua -iuum*. Sic quod poteſt *ſentire*, dicitur *ſenſitiuum*, non, ſenſibile; quòd poteſt *ridere*, dicitur *riſiuum*, non riſibile. Vnde perperam dicitur quòd homo ſit riſibilis; rectè autem quòd ſit riſiuus.

2. PASSIVAM, exprimitur termino deſinente in *-ibilis -ibile*; ſic *planta*, quia pòteſt ſenſu percipi, dici poteſt viuens *ſenſibile*; *color*, quia viſu poteſt apprehendi, dicitur *viſibilis*, non viſiuus.

ACTIVVM, eſt quid productiuum perfectionis, v. g. *intellectiuum*, eſt enim productiuum intellectionis.

PASSIVVM; ſeu *perfectibile*, eſt quid receptiuum perfectionis, v. g. *quæuis creatura*.

Omne actiuum eſt perfectiuum; non viciſſim; *figura*, quippe eſt perfectiua marmoris, nec eſt *actiua*; hæc enim nullius eſt actiuitatis.

Aliquid eſt.

potentia		*principium actiuum*		*intellectus.*
potētiâ	[ſeu {	poſſibile	[v. g. {	alter mundus.
in potētiâ		*idoneū* ad perfectionē recipiendam		*docile*, reſp. ſciētiæ

POSSIBILE eſt quod non implicat contradictionem; ſeu id cujus actus ſi ponatur nihil abſurdi ſequitur, v. g. ſi ponatur *animæ rationalis immortalitas*, nihil inde abſurdi, accidit.

IMPOSSIBILE, eſt quicquid implicat con-

traditionem, ſeu id cujus actus ſi ponatur aliquid incompatibile ſequitur, v. g. ſi ponatur quòd *Deus non exiſtat*, creatura non poſſet exiſtere; vt potè quæ ſit ens à Deo eſſentialiter dependens: at abſurdum eſt quòd creatura, cum actu exiſtat, ſit impoſſibilis.

AXIOMATA
DE ACTV, ET POTENTIA.

IN *Bonis actus melior eſt potentiâ*; melius eſt benè *operari*; quam *poſſe* benè agere, v. g. melius eſt benè *pugnare*, quàm *poſſe* benè pugnare; benè quippe agere ſolius eſt perfecti; at id poſſe, perinde eſt perfecti, & imperfecti. Benè viuere ſolius eſt viri juſti, id autem poſſe, conuenit & impijs.

IN malis actus deterior eſt potentiâ; deterius enim eſt malè agere, quàm id poſſe, v.g. deterius eſt furari, quàm poſſe furari; nam poſſe malè agere, conuenit & perfecto; *beatus* enim eſt *qui potuit facere mala, & non fecit.*

EIVS eſt actus cuius eſt potentia; eius quippe eſt videre, cuius eſt viſus.

ACTVS perficit potentiam (poſitiuam) *perimit autem potentiam* negatiuam; ſic actus liber perficit libertatem; perimit autem meram ad agendum indifferentiam; qui enim liberè agit, non eſt ampliùs indifferens negatiuè, ſeu indeterminatus ad Agendum liberè; ad id enim actu determinatur; licet tunc ſit indifferens poſitiuè ad agendum; quia ſeipſum ad agendum determinat, poteſtque ſe ab agendo co-

hibere, imò & contrarium agere.

Sic *figura Iouis* perficit capacitatem marmoris ad *figuram*; deſtruit verò *indifferentiam* ad illam recipiendam; dum enim marmor afficitur *figurâ*, non eſt ampliùs, ad eam *indifferens*.

ACTVS reſpondet potentiæ; ſeu habet proportionem cum potentiâ; ſic actus inconſummabilis, eſt potentiæ quæ nequit conſummari.

PROPORTIO, eſt vel

1. *Habitudinis*; ſeu ordo vnius ad alterum, ratione eorum conuenientiæ ad ſeinuicem, v. g. *intellectûs*, ad intelligibile, & viciſſim; vel animæ rationalis ad corpus.

2. *Entitatis*, eſt ordo vnius ad alterum ratione ſui eſſe, v. g. *habitudo* duorum hominum ad ſe inuicem, ratione humanitatis.

Anima equina habet vtramque proportionem cum equino corpore; nam apta nata eſt ad illud perficiendum, eſtque materialis. Anima rationalis non item, nam licet habeat ordinem ad informandum corpus, non tamen eſt corporea.

NVLLA eſt, *potentia cuius actus eſt impoſſibilis.* Sic nulla, ſeu fictitia eſt potentia loquendi in *Simiâ*; quia eius locutio eſt impoſſibilis.

IN æternis idem eſt eſſe, ac poſſe, ſic Deum eſſe, &c. ipſum poſſe exiſtere idem eſt. Siquidem æterna poſitiua carent potentiâ paſſiuâ: hinc in ijs à *potentiâ* ad *actum* valet conſecutio. Vnde valet concludere *Deus eſt poſſibilis.* Ergo *Deus* exiſtit.

In æternis liberis non ita ſe habet. Hinc non valet concludere poteſt Deus ab æterno mundum producere; ergò ab æterno producit.

QVÆ ſunt potentiâ (priuatiuâ) non ſunt actu, & vice versâ. Sic alter mundus non eſt *actu*, nec

hic mundus eſt (ſimpliciter) *potentiâ*. Hinc in iis non valet conſequentia à potentiâ ad actum.

ACTVS prior eſt potentiâ, tum *nobilitate*; quia eſt eâ præſtantior : tum *duratione*; quod enim eſt potentiâ debuit ad actum reduci ab aliquo quod exiſteret actu. Quamobrem cum quælibet creatura ex ſe eſſentialiter ſit potentiâ; quia contingens; debuit ab alio qui ſit eſſentialiter actus primò produci: is autem, eſt Deus.

IN creatis potentia prior eſt actu; mundus fuit priùs potentiâ, quàm actu; potentia quippe eſt eſſentialis creaturæ; ipſa enim eſt ens eſſentialiter contingens *ex dictis*, actus verò ei eſt accidentarius; cum ipſa contingenter exiſtat: at eſſentiale, eſt priùs accidentario.

ACTVS in aliquo, eſt in eo cuius eſt actus, v.g. calor, in calido. Non item *actus ab aliquo*; ædificatio enim non eſt in architecto, ſed in domo quæ fit; motus enim eſt à mouente, in mobili.

Actus ab aliquo(ſeu actio)eſt ſequax ſui termini; Seu eſt in eo in quo eſt terminus; ſic intellectio eſt in intellectu; quia eius terminus, putà *verbum mentis*, eſt in eodem ipſo intellectu; ſic *calefactio* recipitur in manu; quia calor in ipſâ recipitur.

DE ESSENTIA.

EX operationibus, *proprietates*; è proprietatibus verò *Eſſentia* demonſtratur, v. g. ex ratiocinatione, *facultas ratiocinandi*, ex hâc autem, *ratiocinij radix*, quæ eſt hominis *eſſentia*, ſcientificè concluditur. Eſſentiæ quippe ſunt propriæ, & neceſſa-

Digitized by Google

riæ ſuarum proprietatum cauſæ ; vt & proprietates ſuarum operationum : at cognitio rei neceſſariæ per proprias cauſas, eſt ſcientia.

QVOD in Phyſicis *Natura* ; in logicis, *definitio*, vel *ſpecies* ; id in Metaphyſicis, *eſſentia*, vel *quidditas* appellatur.

ESSENTIA dicitur

1. *NATVRA*, quia ab illâ omnes rei proprietates naſcuntur.

NATVRA, dicitur *eſſentia* ; quia per eam, ens eſt ens ; ſicut album, eſt album per albedinem.

2. *RATIO entis*, quia eſt id quod in re fixum eſt, & *ratum*, per quod ſcilicet res eſt immutabiliter id quod erat ante, τὸ τί ἦν εἶναι. Sic *homo*, per humanitatem, dum ſenex eſt id quod fuit, dum erat *infans*, non verò, eſt ejuſmodi per *quantitatem*, *qualitatem* ; aut per *quid ſimile*. Dum enim eſt *ſenex* non eam habet *quantitatem* quam habebat, dum erat *infans*, &c.

3. *QVIDDITAS*, quia aptè reſpondetur dum quæritur QVID *adequatè* RES SIT.

4. CONCEPTVS *rei*, eſt enim id ſine quo res accuratè concipi, ſeu definiri nequit. Hinc dicitur *Definitio*, & præſertim, quia ſicut ab *eſſentiâ*, omnes rei proprietates deriuantur, ſic & per *definitionem* demonſtrantur.

☞ ESSENTIA definitur *quid primum in re, radix omnium illius proprietatum*, v.g. animalitas, & rationalitas reſpectu hominis ; in homine quippe nihil eſt priùs animalitate, & rationalitate, & ab vtrâque fluunt omnes illius proprietates, putà *vis* intelligendi, ſentiendi, appetendi, incedendi, &c.

Facultas ridendi non eſt de hominis *eſſentiâ*, non enim eſt quid *primum* in homine, *rationalitas* quip-

pe eſt eâ prior.

Rationalitas, eſt quidem de *eſſentiâ*, non autem eſt hominis *eſſentia*, non enim eſt radix omnium, ſed aliquarum tantùm illius proprietatum.

ESSENTIALE dicitur, *quicquid ad eſſentiam pertinet.*

Eſſentiale prout differt à *neceſſario*, eſt id ſine quo res *concipi* nequit; *Neceſſarium* autem, eſt id ſine quo res *eſſe* non poteſt; illud differt ab hoc, licet enim omne eſſentiale ſit neceſſarium, non tamen vice versâ, *vis* quippe *admirandi* eſt homini *neceſſaria*, quippe qui ſine hâc exiſtere non poſſit: at non eſt ipſi *eſſentialis*. Siquidem hæc non eſt quid *primum* in homine. Hinc ſine eâ homo concipi poteſt. Item neceſſarium eſt ſolem cras aërem illuſtraturum, nec tamen eſt quid ipſi eſſentiale.

ESSENTIALE eſt vel

1. *Metaphyſicum* (ſeu per *identitatem*) v. g. *animalitas*, & *rationalitas* reſpectu *hominis*.

2. *Phyſicum*, ſeu per *vnionem*, v. g. *corpus*, & *anima rationalis* reſpectu *hominis*.

Eſſentia non ſuſcipit magis, & minùs; *humanitas* enim non eſt magis *humanitas* hodiè, quàm herì, nec in gigante, quàm in pigmæo.

Hinc magis, & minùs non mutant ſpeciem; calor enim in *quarto gradu* eſt ejuſdem ſpeciei cum calore *in gradu intenſo*, putà vt *octo*, & vice versâ.

Eſſentiæ rerum ſunt immutabiles, nimirùm propter ſuam cum rebus identitatem. Hinc de rerum eſſentijs fieri poſſunt *propoſitiones æternæ veritatis*, putà hæc, *homo* eſt *animal rationale*; quia nequidem per abſolutam Dei potentiam, ſine ſe inuicem *eſſe*, imò nequidem *concipi* poſſunt.

Eſſentiæ rerum ſunt indiuiſibiles (ſcilicet numero-

rum inſtar) quemadmodum enim, ſi quid vel minimum ternario addas, aut ab eo quicquam detrahas, non ampliùs remanet id ipſum quod erat, ſi enim ei addas vnitatem fit quaternarius, ſi verò vnitatem ab eo detrahas fit binarius. Similiter ſi tollas ab *animali* ſenſitiuum, evadit *viuens*, ſi eidem *rationale* adjungas, euadit *homo*.

DE EXISTENTIA.

EXISTENTIA dicitur quaſi *actus ſiſtens rem extra nihil.*

DEFINITVR actus conſtituens rem præcisè, & formaliter extra nihil; *ſic* id per quod petrus præcisè concipitur eſſe in rerum naturâ, ſeu extra nihil, eſt illius *exiſtentia*, per ſuam enim humanitem eſt ſolùm entitatiuè, & realiter exiſtens: at per ſuam *exiſtentiam* præcisè, & formaliter *exiſtit*, per hanc enim præcisè concipitur eſſe extra nihil.

Vnde *exiſtentia* rectè reſpondetur ad Quæſtionem quâ quæritur AN RES SIT.

Conuenit ſoli exiſtentiæ creatæ rem conſtituere formaliter extra cauſas.

Exiſtentia dicitur *rei actualitas*; nam perfectio ipſius actûs; eſt *actualitas*: exiſtentia autem eſt ejuſmodi; eſſentia quippe eſt actus: at exiſtentia eſt perfectio eſſentiæ; rei quippe non exiſtentis nulla perfectio.

Exiſtentia eſt *per ſe* ſingularium. Ejus quippe eſt *exiſtere*, cujus eſt *eſſe*: at *eſſe* eſt per ſe ſingularium, non vniuerſalium, hæc enim per illa exiſtunt, v.g. homo, per petrum.

Deinde in creatis ejuſdem eſt exiſtere, cujus eſt produci, terminus enim productionis eſt *exiſtentia*:

Digitized by Google

at ſingularium eſt per ſe produci; homo enim per petrum, non verò petrus per hominem producitur.

Vnde ſicut *vniuerſalia* dant *eſſentiam* ſingularibus, ſic *ſingularia* dant *exiſtentiam* vniuerſalibus; ſicut enim *Petrus* habet ab *homine*, quòd ſit *animal rationale*, ſic *homo* habet à *petro* quod exiſtat.

QVAPROPTER cum Deus ſit eſſentialiter ſingularis, qui enim *plures Deos admittit, vnum negat*; idcircò Deus eſſentialiter exiſtit, ſeu ita eſt, vt impoſſibile ſit ipſum non eſſe.

Exiſtentia eſt, vel

1. *Eſſentialis*, quâ quid eſt independenter, ſeu eſt ita vt impoſſibile ſit ipſum non exiſtere, v. g. exiſtentia Dei ſolius.

2. *Accidentaria*, ſeu contingens, v. g. exiſtentia cujuſlibet creaturæ.

DE ENTITATE, ET MODO.

ENTITAS latè eſt quævis *realitas*. Sic dicitur *entitas* Dei, *entitas* Angeli.

PROPRIE, eſt multitudo partium diſſimilium, ſic dicitur *Entitas* mundi, *Entitas* domûs.

STRICTE, eſt multitudo partium ſimilium, vel

1. SVBSTANTIALIVM, v. g. entitas aquæ, omnes quippe ejus partes, ſunt homogeneæ.

2. ACCIDENTALIVM, aut *extenſiuarum*, v.g. entitas lineæ; aut *intenſiuarum*, v. g. entitas caloris: ſicut enim omnes partes lineæ ſunt, & denominantur *linea*, ſic & omnes partes, ſeu gradus caloris ſunt, & denominantur *calor*

ENTITAS latè diſtinguitur ab eſſentiâ; nam hæc dicitur ſolùm de eo quod primò rem in ſe conſtituit,

illa verò dicitur de eo omni quod eſt in re; ſic quicquid eſt in Deo, eſt entitas Dei; ſic quod angeli eſt, vel eſt ipſius entitas, vel ad ejus entitatem ſpectat, v. g. intellectus, voluntas, &c.

ENTITAS propriè dicitur tantùm de rebus multitudinem partium etherogenearum habentibus, putà de domo, &c.

ENTITAS verò ſtrictè de ſolis rebus multitudinem partium homogenearum habentibus, v. g. de calore, &c. at ESSENTIA conuenit rebus omnibus.

DEINDE vtraque hæc vltima *entitas*, eſt diuiſibilis, imò in qualitatibus ſuſcipit magis, & minùs; *eſſentia* verò, eſt indiuiſibilis, nec poteſt intendi, vel remitti.

Gigas, à pigmæo entitatiuè, ſeu *entitate*; non eſſentialiter, ſeu *eſſentiâ* differt.

Eſſentialiter vel opponitur

1. ENTITATIVE, *ſicque* res ſpectata *eſſentialiter*, eſt res conſiderata ſecundùm *eſſentiam*, v. g. *homo* ſpectatus ſecundùm animalitatem.

Entitatiuè ſpectari, eſt rem conſiderari ſecundùm *entitatem*, v. g. ſi *homo* ſpectetur ratione capitis; hoc enim pertinet ad hominis *entitatem*, non ad ejus *eſſentiam*.

2. ACCIDENTARIO, eſtque id quod impoſſibile eſt non ita ſe habere (dicitur enim ab eſſentiâ quæ eſt immutabilis) Sic Deus eſſentialiter exiſtit quia Deus ita eſt, vt non poſſit non eſſe. Sic creatura dependet eſſentialiter à Deo; quia impoſſibile eſt eam exiſtere ſine Deo: ſicut homo ſine animâ rationali.

DE MODO.

MODVS, quandoque dicitur rei mediocritas; ſic qui iram moderatur, dicitur modum iræ ponere. Vnde illud.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltrà, citraque nequit conſiſtere rectum.

Hoc ſenſu dicitur *optimus eſt Deum amandi modus, illum amare ſine modo.*

PROPRIE eſt quicquid aliud determinat; hinc *differentia*, quia *genus* ad *ſpeciem* contrahit appellatur *modus* generis. Sicque eſt id quod reſpondetur dum quæritur *Quomodo* res eſt.

STRICTE, eſt id quod ſic afficit ſubjectum, vt ne diuinitùs quidem poſſit ab ipſo ſeparatum conſeruari, v. g. *vnio*, quam Deus, nequidem per abſolutam potentiam ſeorſim à partibus vnitis poteſt conſeruare.

Licet, angelus nequeat abſolutè eſſe ſine Deo, non tamen eſt *modus*; quia ille eſt ſine vllo ſubjecto.

Sic albedo, v. g. non eſt modus panis; quia ſeorſim ab ipſo ſaltem diuinitùs poteſt conſeruari. Vt patet in auguſto ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ Myſterio.

Intellectus, quòque non eſt modus intelligentis; nam *modus* eſt realiter ſeparabilis à re modificabili: at *intellectus* non eſt ſeparabilis ab intelligente.

RES *modificabilis*, eſt res modi capax, v. g. digitus, reſpectu inflexionis.

DE RE, ET TERMINO.

RES opponitur

1. VERBIS. Hinc dicitur χρήματα, ἢ ῥήματα. Vnde illud

Res faciunt, non verba fidem.

2. ACTIONI. Sic dicitur *nomen* ſignificare vt plurimùm rem, v. g. *ſtudium*; *verbum* autem *actionem*, v. g. ſtudeo.

3. APPARENTIÆ. Sic imago hominis in ſpeculo eſt ejus apparentia, non ipſe homo. Hinc illud οὐ δοκεῖν, ἀλλὰ εἶναι. *Non videri, ſed eſſe.*

4. ENTI *rationis*, ſiue fictitio. Sic mons aureus eſt *res*; mons verò ſine decliui, eſt quid *fictitium*, non res.

Fictitium, dicitur quod nec eſt, nec eſſe poteſt citrà mentis operam, v. g. alter Deus.

5. DENIQVE, *modo* (qualiter hìc à nobis ſpectatur) ſicque *definitur*, *vel*

1. Id quod ſeorſim ab alio ſaltem diuinitùs exiſtere poteſt, v. g. *albedo* ſeorſim à pane. Sic vnio non eſt *res*, ſed *modus*.

2. Ea quorum vnum eſt principium, alterius. Hinc licet pater Diuinus nequeat eſſe ſine filio, vel è conuerſo, vterque tamen verè eſt *res*. Sic habitus licet nequeat eſſe ſine potentiâ à quâ producitur, eſt *res*, non *modus*.

TERMINVS ſpectatus

1. GRAMMATICE dicitur *limes*, *finis*. Sic paries viſus ab oculo, dicitur *terminus* viſionis; quia in eo deſinit *viſio*, ipſamque limitat.

2. Logice, eſt *dictio*.

3. Metaphysice, verò eſt, vel *terminus*.

a. Relationis, ſeu id quod à relatione reſpicitur, v. g. pater, à filio, *de quo in Logicis*.

b. Rei, ſicque eſt vltimum rei extra quod nihil eſt, & intra quod omnia quæ ad ipſam ſpectant continentur, v. g. *cortex* reſpectu *arboris*. Item *limites* reſpectu *regni*; impediunt enim ne regnum vlteriùs, citeriùſue protendatur.

Hinc definitio dicitur à Philoſopho, *ὅρος οὐσιώδης*, *terminus eſſentialis*, quia eſt id intra quod quicquid ad eſſentiam ſpectat, continetur, & extra quod nihil eſſentiæ reperire eſt.

c. Actionis, eſtque vel *terminus*.

1. *A quo* (ſeu terminus actionis ſecundùm quid) ſiue id à quo incipit mutatio, v. g. *tenebræ*, à quibus incipit *illuminatio*; vel *nihilum*, reſpectu *creationis*.

2. *Ad quem* (qui dicitur ſimpliciter terminus actionis) ſeu id quod per actionem producitur, puta *verbum mentis*, reſpectu *intellectionis*. Item *calor*, reſpectu calefactionis.

DE
NATVRA, ET SINGVLARITATE.

NATVRA, hìc, eſt tota communis eſſentia rei, v. g. Diuinitas, humanitas, equinitas.

SINGVLARITAS, eſt indiuiſibilitas naturæ in plura ejuſdem ſecum rationis, v. g. incommunicabilitas diuinæ eſſentiæ, alteri Deo.

Digitized by Google

SINGVLARE, eſt indiuiſibile in plura ejuſdem ſecum rationis, v. g. Deus.

INDIVIDVATIO, eſt differentia naturam ſpecificam ad quid vnum numero determinans, v. g. *petreitas* per quam *humanitas* contrahitur ad *petrum*.

Indiuiduum, eſt quid directè ſuppoſitum ſpeciei infimæ. v. g. petrus, homini.

Omnis indiuiduatio, eſt ſingularitas, non viciſſim; in Deo quippe eſt ſingularitas, eſt enim maximè ſingularis: at in Deo non eſt indiuiduatio: Deus enim non eſt indiuiduum, cum ſint impoſſibiles plures Dij.

Omne indiuiduum eſt ſingulare, non viciſſim; nam Deus eſt maximè ſingularis, nec eſt indiuiduum. Vnde rectiùs dicitur de *indiuiduis*, (quàm de *ſingularibus*) non datur ſcientia; de Deo quippe, qui eſſentialiter vnicus eſt, accuratiſſimæ dantur demonſtrationes.

DE FORMA, ET SVBIECTO.

FORMA differt à causâ formali, nam anima eſt forma corporis, nec eſt ejus cauſa formalis, corpus enim Equinum, non eſt id quod eſt per animam equi; licet hæc ſit hujus forma.

FORMA eſt vel

Interna.
Externa.
partim interna, partim externa.

{ Informans.
{ Aſſiſtens.

FORMA *interna* (ſeu per antonomaſiam) eſt actus receptus in aliquo; v. g. *anima* in viuente;

albedo, in pariete.

Externa eſt *vel* actus

1. Tranſiens ab aliquo [v. g. *calor*, ab igne.
2. Tendens ad aliquid [v. g. *viſio* reſpect. *parietis*.
3. Determinans opificem [v. g. exemplar, pictorem.

Partim *interna*, partim *externa*, eſt ea quæ petitur à formâ partim intrinſecâ, & partim extrinſecâ; nempe omnis relatio, v. g. *dominium*; petitur enim à jure imperandi, & reſpicit debitum obſequendi in ſeruo.

Hinc *denominatio* eſt

Interna / Externa — quæ petitur formâ — intrinſecâ / externâ — v. g. — amans / amatus — ab amore.

partim interna, partim externa — quæ petitur formâ — partim internâ, partim externâ, v. g. Dominium.

Forma aſſiſtens, eſt quæ dat moueri, v. g. nauta, naui. Vel ſagittarius, ſagittæ excuſſæ.

Informans, eſt *vel* ſubſtantialis, ſeu primum, & eſſentiale operandi principium, v. g. anima reſpectu viuentis. *Vel* accidentalis, v. g. albedo reſpectu albi. *De quibus in Phyſicis.*

Non datur forma formæ homogeneæ; ſeu ejuſdem rationis; Non enim datur albedo albedinis; alioqui daretur progreſſus in infinitum.

Deinde forma ſuperaddita, idem præſtaret quod ea cui ſuperadderetur, & ſic eſſet fruſtranea: porro natura nihil patitur fruſtra. Hinc nequit etiam dari materia materiæ.

Poteſt dari forma formæ etherogeneæ, puta *intellectus*, animæ; *ſcientia*, intellectûs, &c.

PRIVATIO eſt *abſentia formæ debita ſubjecto*, v. g. cæcitas in oculo *Homeri*.

Abſentia viſûs in oculo catuli, ante nonum diem,

non eſt *priuatio*, quia defectu diſpoſitionis, nondum ejus oculis debetur.

IN priuatione, putà in cœcitate eſt *ſubjectum*, v. g. oculus, *capacitas ſubjecti ad formam*, putà idoneitas ad viſum. Denique *abſentia formæ*, nempe, viſûs.

Priuatio, ratione ſubjecti, & ejus idoneitatis ad formam, eſt quid reale, ſeu poſitiuum, v. g. cœcitas reſpectu oculi, & ipſius idoneitatis ad viſum: at non eſt quid reale reſpectu *abſentiæ formæ*, uiſûs enim abſentia præciſè nihil eſt.

NEGATIO hìc, eſt abſentia formæ in ſubjecto ad eam recipiendam inepto, v. g. abſentia uiſûs in lapide.

SVBIECTVM *latè* dicitur quicquid alteri ſubjicitur, ſiue

Loco		*Terra*, cœlo.
Dignitate		Bellua, *homini*.
Ordine		*Epilogus*, prologo.
Denominatione	v. g.	Petrus, *Philoſophiæ*.
Attributione		*Homo*, animali.
Receptione		Paries, *albedini*.

SVBIECTVM hìc præſertim eſt, *vel*

1. DENOMINATIONIS, quod ab aliquâ formâ denominatur, v. g. Ariſtoteles, *philoſophus*, à philoſophiâ.

2. RECEPTIONIS, & eſt quicquid recipit *formam*, vel

a. *Subſtantialem*, vocaturque *ſubjectum* INFORMATIONIS, v. g. corpus, animam rationalem.

b. *Accidentalem*, & dicitur *ſubjectum* INHÆSIONIS, Hocque eſt vel

proximũ	quod	ĩmediatè	recipit accidẽs, v. g.	intellect⁹.	philoſophiã
remotũ		mediatè		anima rationalis.	

DE PRINCIPIO COGNITIONIS.

PRINCIPIVM *cognitionis, eſt quid primum vnde res cognoſcitur,* v. g. *creatura*, reſpectu Dei; *Inuiſibilia*, quippe *Dei, per ea quę facta ſunt* viſibiliter *intellecta conſpiciuntur*

PRINCIPIVM cognitionis eſt, vel

1. *Simplex*, quod vno effertur vocabulo, diciturque SIGNVM

1. *Complexum*, quod pluribus effertur vocabulis, & eſt AXIOMA.

SIGNVM, eſt id quod facultati cognoſcenti aliud à ſe manifeſtat.

Idem non eſt ſuiipſius *ſignum*; Nam ſignum *aliud* à ſe manifeſtat; hinc panis præ officinâ piſtoris, non ſe, ſed ſui vænalitatem deſignat. Sic corpus Chriſti Domini, ſub Euchariſticis ſpeciebus latens, non eſt ſuiipſius, ſed ſuæ, paſſionis ſignum.

SIGNVM, præſertim eſt

arbitrariũ	quod ſignificãdi vim habet	à naturâ	[v.g.	rugit⁹, *leonĩ.*
naturale		ab inſtituto		hædera vinũ vænale.

SIGNVM *naturale*, eſt idem apud omnes; *Natura* enim eſt ad vnum. *Arbitrarium* autem varium eſt apud varias gentes, *Ratio* quippe eſt oppoſitorum.

ITEM eſt vel

1. INSTRV-

1. Instrvmentarivm, quod in alterius notitiam non ducit niſi priùs cognoſcatur, ſic *Statuā Henrici magni* non ducit nos ad illius Regis inuictiſſimi cognitionem; priuſquam ipſa à nobis dignoſcatur.

2. Formale, eſt quod ignotum ducit nos in alterius notitiam, v. g. *ſpecies expreſſa coloris*, quæ licet non videatur, eſt tamen id ſine quo *color*, à nobis non videretur.

PRÆTEREA, *ſignum* eſt

ſpeculatiuū [quod	nō efficit	id quod ſignificat, v. g.	hędera, vinū;
practicum	efficit		boreas, frig°;

ITEM *ſignum* eſt

rememoratiuum	quod ducit in notitiam rei	*præteritæ.*
demonſtratiuum		præſentis:
prognoſticum		*futuræ.*

Iris, eſt ſignum *rememoratiuum* fœderis Deum inter, & homines de nunquam futurâ vniuerſali eluuione, eſt & *demonſtratiuum* nubis roridæ, necnon *prognoſticum* breui futuræ pluuiæ:

Demvm *ſignum* eſt

perſonale [quod	gerit	vices rei ſignificatæ, v. g.	*legatus*, principis.
imperſonale	nō gerit		*fumus*, ignis:

DE AXIOMATE.

AXIOMA dicitur ἀξίωμα, *Dignitas*; quia eſt *propoſitio digna* cui ſine probatione fides adhibeatur; eſt enim *propoſitio famoſa*, quæ quia patet intelligenti terminos, eget ſolùm *proponi*, non *probari*. Vnde dicitur

1. EFFATVM, quia ſufficit illud *effari*, nec ejus rationem *afferre*, vt admittatur.

2. DOGMA, quia eſt propoſitio indubitata, v.g. hæc *totum eſt majus ſua parte*.

27 DEFINITVR, *propoſitio prima, certa, & euidens etiam ſine probatione*, v. g. hæc, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanebunt erunt æqualia.

Eſt propoſitio *prima*, quia eſt generaliſſima.

Certa, quia non poteſt aliter, & aliter ſe habere, eſt enim ita vera, vt nequeat eſſe falſa.

Euidens, quia percipitur cognitis terminis, necnon citra probationem, mens de illius veritate conuincitur.

HOMO, non eſt *axioma*, non enim eſt *propoſitio*.

NEC iſta propoſitio, *homo eſt riſiuus*, non enim eſt *prima*, ſupponit quippe hanc ſe priorem, putà *homo eſt rationalis*.

NEQVE, hæc propoſitio, *ſimile ſimili gaudet*, quia non eſt *certa*, ejus enim oppoſita, poteſt eſſe vera, putà hæc *figulus, figulo inuidet*.

NEC pariter iſta *verbum caro factum eſt*, non enim eſt *euidens*; cum ſit de fide, fides *enim* eſt lux lucens in caliginoſo loco.

NEC denique hæc propoſitio, *Deus eſt*, eget enim probatione, ejus quippe oppoſita credi poteſt vera, *dixit* enim *inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*.

Axioma eſt, *vel* { commune omnibus ſcientijs. / peculiare vni.

	Suppoſitio.
	Definitio.
	Poſtulatum.
Peculiare eſt, vel	quæuis alia propoſitio prima alicui ſcientiæ propria, putà *Natura eſt principium motus, & quietis*, reſpectu Phyſicæ.

SVPPOSITIO, eſt principium quo prænoſcitur quòd aliquid *ſit*, v. g. in Arithmeticâ, quòd *ſit* numerus.

Svppositio, præſertim ſpectat ad objectum, ſcientia quippe debet *ſupponere*, non *probare* ſuum objectum.

DEFINITIO, eſt principium quo prænoſcitur *quid res ſit*, v. g. quòd rectitudo lineæ, ſit *extenſio breuiſſima à puncto ad punctum*. Vel quòd homo ſit *animal rationale*.

POSTVLATVM, eſt principium quo poſtulatur concedi quòd aliquid *ſit*, aut non *ſit*, vel aduersùs quod auditor.

1. *Nullam habet opinionem contrariam*, v. g. quòd omnis linea ſit diuidua in duas partes æquales.

2. *Habet contrariam opinionem*, v. g. quòd linea bipedalis ſit in infinitum diuidua. Quod eſt paradoxum.

Axioma commune eſt vel	omninò	primum
	non omninò	

Non *omninò primum*, eſt quod ſupponit aliud ante ſe, v. g. *totum eſt majus ſuâ parte*.

Omninò *primum*, eſt quod per nullum poteſt probari, & per quod cætera poſſunt demonſtrari.

Conditiones primi principij ſimpliciter, ſunt vt

1. Conſtet terminis generaliſſimis.

2. Sit veriſſimum, & clariſſimum.

3. Circa id nemo poſſit errare.

Tale eſt hoc principium *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*; hoc enim tanquam principio immobili omnis noſtra ratiocinatio innititur. Quamobrem is cui, hæc propoſitio (*Ego cogito*) eſt primum demonſtrationis principium, nequidem primis labris Philoſophiam delibauit.

Qui negat primum principium, vel *eſt*

1. Pertinax, idque negat animo faceſſendi difficultatem, vt olim *Heraclitus*.

2. Stvpidvs, vt cœcus qui negaret lucis exiſtentiam, quòd eam non videret.

3. Inexpertvs, vt puer qui defectu experientiæ, id ver m eſſe, non concederet.

4. Ignarvs ſoluendæ difficultatis, vt *Prothagoras*, *Zeno*.

Qui negat hoc principium, *nihil eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu*. Veritatem illius non percipit. Conſtat enim quòd nihil, ſaltem naturaliter cognitum ſit ab intellectu, quod priùs non fuerit perceptum à ſenſu per ſe, vel per aliud. Hinc licet fides diuina non fuerit per ſe, fuit tamen in ſenſu per aliud, putà in auditu, per verbum Dei. Nec enim neceſſe eſt vt id quod ſupernaturaliter infunditur, putà lumen gloriæ, vllatenus priùs fuerit in ſenſu.

APPENDIX.

PROPOSITIO *indubitata*, appellatur IN SPECVLATIVIS, principium, v. g. *actus perficit potentiam.*

PRACTICIS, præceptum, regula, v. g. *Deus eſt colendus.*

FIDE *diuinâ*, Articulus fidei, v. g. *Verbum caro factum eſt.*

MORIBVS, dictum, ſententia, putà ἀδικεῖσθαι, οὐκ ἀδικεῖν. Id eſt, *ferre, non iniuriam inferre.*

POLITICIS, maxima, vernaculè *Maxime*. Puta *ſuprema* Lex *eſto Reipub. ſalus, & fœlicitas.*

IVRISPRVDENTIA, Lex, v. g. *bona-fides non patitur, vt idem bis exſoluatur.*

TRIVIALIBVS, prouerbium, adagium. *Puta* in amore, nihil amari, *à aimer, rien d'amer.*

SENTENTIA, ſeu parœmia, eſt quid ſcitè, & moraliter dictum. v. g. *ſic viuas quaſi nunc moriturus, ſic morere quaſi ſemper victurus.*

ÆNIGMA, eſt quid doctè propoſitum, difficile agnitu, niſi exponatur. S. Iſidoro, eſt quæſtio obſcura quæ difficilè intelligitur, niſi aperiatur, v. g. EST *aliquid quod nec* FVIT *nec* ERIT (nempe DEVS: nec enim Deus *fuit*, nec *erit*, at EST eſſentialiter præſens.)

ADAGIVM, ſeu *Prouerbium*, eſt quid vulgò, ſeu populariter dictum, v. g. vitæ ſumma, mors; *telle vie, telle fin.* Item, *vn Threſor caché, vaut mieux qu'vn Threſor pillé. Poco, è pace, &c.*

FABVLA, eſt narratio ficta, veritatem tegens. Qualis *hæc*, v. g. Veſpertilio, *regiâ* gaudens *caueâ*, olim exprobrabat Luciniæ, in *ruſticâ* degenti, dicens, niſi forem *mirifica*, tu verò, auis *abiecta*, non tam *anguſto* honorarer, nec tu tam *vili* dedecorareris habitaculo. Cui Lucinia, *ne te quæſiueris extra* (inquit) non *Cauea*, ſed *Auis*, cantat.

AFFABVLATIO, eſt *veritatis* fabulâ *inuolutæ* enucleatio; ſic præſentis fabulæ ſenſus eſt; non præceptotem Gymnaſij amplitudine, ſed gymnaſium præceptoris eruditione æſtimandum eſſe.

PARABOLA, eſt narratio rerum nec factarum, nec fictarum, ad veritatem, aut honeſtatem populariter inſinuandam. Qualis putatur narratio, in ſacris codicibus, de juuene prodigo.

HISTORIA, ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, à *viſendo* dicta, quòd qui eam texat, res inuiſere, & videre debeat. Dicitur *narratio fidelis, rerum vt verè ſunt*. Qualis hæc quòd ab hinc ſex circiter annis eruperint è monte Æthnâ (vulgò *Gibel*) trium menſium ſpatio, flammæ, ſubjectas deuorantes plagas intactâ, (licet ijſdem circumueſtitâ) vrbe Cataniâ. Qualis eſt etiam hæc altera, quòd nimirum circa Venetias, nequidem vlla ſit æſtûs maris, vel leuis apparentia, licet quidam contrarium falsò typis mandauerit, vt & innumera ignorantiæ figmenta.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE CAVSIS ENTIS VNIVERSIM.

VNVMQVODQVE ſcire putamus, cum ad vltimam rei cauſam deuenimus; ſcientia quippe eſt mentis quies; mens autem noſtra non quieſcit cum reſtat aliqua ratio inquirenda: at donec ad vltimam cauſam deuenerimus, reſtat aliqua cauſa inquirenda. Vnde ſine cauſarum notitia nulla ſcientia poteſt comparari. Hinc ſedulò hìc de causâ agimus.

CAVSA dicitur *Ratio*; quia eſt id cur *Res* eſt id quod eſt, v. g. anima rationalis reſpectu hominis. Hinc quærere *cauſam*, vel *rationem* eſt quid vnum, & idem.

CAVSA eſt, *vel*

1. VIRTVALIS, quæ realiter non diſtinguitur ab eo cujus dicitur Cauſa, v. g. *rationalitas* reſpectu virtutis admirandi; Vtraque enim eſt vna, eademque Entitas; illa tamen dicitur *cauſa*, quia affertur vt hujus *ratio*.

2. ACTVALIS, quæ realiter diſtinguitur à ſuo effectu. Hæcque eſt cauſa *per ſe*, vel *per accidens*.

CAVSA *per ſe*, ordine Naturæ prior eſt quàm cauſa *per accidens*; hæc enim illam ſupponit; *occiſio* quippe hominis à tegulâ decidente, præſupponit ipſius deſcenſum in centrum; Nam ſicut à fine nequit aberrare, quod nullum finem intendit; ſimiliter nulla eſt Cauſa *per accidens* niſi per ordinem ad Cauſam *per ſe*.

Quamobrem fingere *caſum* eſſe primam rerum

cauſam, eſt turpiter Deſipere, & grauiter ſeipſum decipere.

Cum pauciora nobis dicenda ſint de *cauſâ per accidens*, quàm de *cauſâ per ſe*. Hinc ordine doctrinæ priùs agimus.

DE

CAVSA PER ACCIDENS.

CAVSA *per accidens*, eſt vel

1. EA quæ producit effectum per aliud, v.g. Agricola, *ſegetes*; addendo ſcilicet actiua paſſiuis; nimirùm *mandando ſemina terris.*

2. QVOD remouet prohibens; *ſic* qui clauſas aperit feneſtras, dicitur *cauſa* illuminationis cubiculi.

3. CAVSA per *antiperiſtaſim*; ſic calor æſtiuus, dicitur *cauſa* frigoris in locis ſubterraneis.

4. OCCASIO, ſic hoſtiles incurſus ſunt *cauſa* Vrbis muniendæ; Ita *mali mores* fecerunt bonas leges; ſic *veritas*, odium parit; *virtus*, inuidiam; *ſcientia*, ſuperbiam.

OCCASIO, eſt vel

a. Id ſine quo hâc ſaltem vice effectus non contingeret; vt ſi quis venans ceruum, ab arbore decidente obruatur; venatio ejuſmodi dicitur mortis *occaſio*.

b. εὐκαιρία, quæ eſt opportunitas temporis in re faciendâ, vel fugiendâ; dicendâ, vel tacendâ; quâ ratione dicitur nec volenti deeſt *occaſio*; nec nolenti, *excuſatio*. Ab Hippocrate præceps appellatur. Hinc illud

Fronte capillata eſt, poſt tergum occaſio calua.

5. *Proprie* CAVSA quæ minùs idonea eſt effectui producendo; v. g. *medicus ædificans*; Non enim medici, vt medici eſt ædificare; ſed ſanitatem conſeruare, vel reparare.

6. CAVSA quæ producit effectum præter intentionem. Sicque eſt *fortuna*, vel *caſus*.

DE

FORTVNA, ET CASV.

FORTVNA, *Idololatris*, erat Dea cœca, bonorum temporalium, & caſualium euentuum domina, nullo diſcrimine res humanas ludens.

Vnde illud *fortuita*, non ſunt *virtutis* munera, ſed *temeritatis* quædam ludibria; & vbi *fortuna* multùm eſt *mentis* parùm; hinc Poëtæ.

Nullum Numen habes, ſi ſit prudentia; ſed nos
Te facimus fortuna Deam, cœloque locamus.

HIS *fortuna* erat PROSPERA, vel ADVERSA. *Illa* diademata, honores, opes, &c. *Hæc* autem, calamitates, carcerem, ſeruitutes, & ſimilia, cœcâ temeritate diſtribuebat.

PHILOSOPHIS, eſt cauſa rationalis, vel

1. *Quæ producit effectum præter intentionem*, v. g. ea *mulier* quæ *philtro*, amorem cujuſdam juuenis ſibi conciliare ardebat, *toxico* ipſi vitam ademit, dicitur FORTVNA.

2. *Ad cujus actionem aliquid contingit præter intentionem.* Sic Latomus qui fodit terram, putei excauandi gratiâ, inueniens theſaurum, eſt *fortuna*, quia

Digitized by Google

ad ejuſmodi foſſionem accidit *inuentio theſauri*, præter ejus intentionem.

Quicquid eſt *contra*, eſt & *prater* ejus intentionem: at non è conuerſo; Talis enim inuentio Theſauri, eſt *prater*: at non eſt *contra* ejuſmodi foſſoris *intentionem*.

Qui inebriatur, non eſt *fortuna* reſpectu *infamiæ* quam, ſuâ immoderatiùs potandi libidine incurrit; licet fortaſſis hæc ſequatur *contra* ejus *intentionem*; quia infamia non contingit fortuitò; ſed neceſſariò ex *ebrietate* deriuatur.

PHILOSOPHO, eſt *cauſa per accidens eorum quæ rarò contingunt in iis quæ fiunt ex electione*, v. g. is qui volens occidere inimicum aperuit ei vomicam inſanabilem, ipſique eam, quam medici non poterant, reſtituit ſanitatem, fuit FORTVNA.

Sapiens agere poteſt datâ *occaſione*, non *fortuitò*. Sic ſapientia divina primæuæ labis occaſione, incomprehenſibile Sacro-ſanctæ Incarnationis myſterium ordinauit: at nequit quicquam fortuitò perpetrare; nihil quippe eſt quod non præuideat, & cui non prouideat.

CASVS, eſt *cauſa rationis expers*, aut

1. Aliquid producens præter intentionem, v. g. penicillus, *de quo jam jam infra.*

2. Ad cujus actionem aliquid accidit præter intentionem, v. g. *ligo* ſupradicti foſſoris.

DEFINITVR *cauſa per accidens eorum quæ rarò contingunt in ijs quæ fiunt abſque electione*, v. g. ſi penicillus præ indignatione à pictore projectus ſpumam equi furentis graphicè exaret, quàm ipſe pictor ſuâ induſtriâ exprimere non valebat, penicillus ejuſmodi eſt CASVS *reſpectu* talis exarationis.

Raritas effectuum attenditur ratione *circumſtan-*

Digitized by Google

tiarum, quòd ſcilicet poſitis talibus circunſtantiis, vix talis effectus contingat; non autem attenditur ratione *temporis*. Licet enim Eclypſes Lunæ *rarò* fiant reſpectu *temporis*; non tamen dicuntur *fortuitæ*, aut *caſuales*; quia poſitis ijſdem cauſis, earumque diſpoſitionibus, non poſſunt hoc modo, non euenire.

Effectus fortuiti, & caſuales dicuntur quòque *fortuna*, aut *caſus*; hinc Iuriſconſultis *fortuna*, ſunt opes, vel inopinatus rei cujuſpiam euentus. Sic etiam mors improuiſa, dicitur vulgò miſerabilis *caſus*. Vnde illud, *caſus, ne eueniant, caue, ſi contigerint, æquanimiter habe.*

SICQVE *fortuna*, vel *caſus* definitur effectus, nec ab agente intentus, nec intento per ſe conjunctus.

MONSTRVM, à *monſtrando* dicitur, OSTENTVM, ab *oſtendo*; quòd præ admiratione ſoleat monſtrari, ſeu oſtendi.

Vocatur PORTENTVM, quòd vulgus opinetur illud aliquid inſoliti *portendere*, & *prædicere*.

Appellatur quòque PRODIGIVM, quòd natura, non ſit illius *prodiga*.

DEFINITVR, opus naturæ totaliter deflectens à ſolitâ ipſius conſtitutione; vel inſigniter aberrans à rectâ rei conformatione.

Totaliter deflectit; Cum nullam refert apparentiam ſpeciei cum ſuâ cauſâ particulari; v. g. vulpes, ex equâ; agnus, ex vaccâ; aut ſerpens ex muliere genitus. De quo vltimo ſic habet Poëta,

—Matremque ſuus conterruit infans.

Rana à Sole producta, non eſt *monſtrum*; quia Sol eſt cauſa generalis, & inſtrumentaria.

Mulus non habetur naturæ *portentum*; quia vulgò

contingit, & vtriuſque ſpeciei à quâ procedit exteriorem refert figuram.

Inſigniter deflectit, quod membra refert diuerſarum ſpecierum, & à Græcis vocatur ἑτερομορφία; v. g. Si quis naſcatur *Cynocephalus*, ſeu capite canino, vel taurino, vt *Minotaurus*, qui dicitur à Paſiphaë genitus.

Si quis naſcatur habens *Iecur* in ſiniſtrâ, & *ſplen* in dextrâ parte pectoris, aut *ſex digitos* in manibus; quia prioris defectus non exteriùs apparet, & hujus deflectio non videtur inſigniter aberrare à rectâ conformatione, neuter eſt propriè *prodigium*, ſed ludus naturæ, Vnde illud

Ludit in humanis Diuina potentia rebus.

Peccata grauiter deflectentia à rectâ ratione, in moribus *monſtra* quòque appellantur, v g. ferina illius immanitas, qui

Corpora, corporibus jungebat mortua, viuis.

Sic opera notabiliter aberrantia à regulis artis, etiam *monſtra* nuncupantur.

DE FATO.

FATVM à *fando* dicitur, quaſi fiat *fato*, quod infallibiliter euenit, eò quòd quis id determinatè futurum eſſe, præfatus fuerit.

POETIS fatum, eſt *in*

1. *Fuſo*, in quo penſum jam netum eſt, hocque reſpicit præterita.
2. *Digitis filum nentibus*, idque ſpectat præſentia.
3. *Lanâ colo implicitâ*, & ſic pertinet ad futura.

Digitized by Google

STOICIS, eſt vis ineluctabiliter adſtringens cauſas ſecundas, etiam Deum ipſum, ad ſuos effectus producendos. Iuxta illud, *ſemel dixit, ſemper paret*. Vnde Poëtæ,

Non illa Deo vertiſſe licet
Quæ, nexa ſuis currunt cauſis.

ASTROLOGIS, eſt connexio cauſarum ſuam trahens efficaciam ex conſtellationibus ſyderum, virtutibuſque planetarum, quâ creaturæ omnes ineluctabiliter mouentur, ipſa quòque hominum voluntas. Hos ſequitur vulgus imperitum hominum pecus, ad cujus captum, ſic alludit Poëta.

Ducunt volentes fata, nolentes trahunt.

Hunc purilem errorem ex imperitæ plebis dementiâ, ſuis credendum tradidit omnium hominum ſtultiſſimus Mahumetes.

IVRISCONSVLTIS fatum, & *caſus* promiſcuè ferè vſurpantur. Sicque ab iis dicitur, *euentus inopinatus, qui quaſi rerum ſerie, & ordine inuiolabili eueniens, humano conſilio præuideri, ac præcaueri non poteſt*, v. g. mors ſerui à causâ internâ. Hinc quis dicitur *fato* functus.

AVGVSTO Doctori, eſt omnium connexio, ſerieſque cauſarum, quâ fit id omne quod fit.

ANGELO *ſcholæ*, eſt ordo cauſarum ſecundarum à Deo diſpoſitus, ſecundùm quem infallibiliter ſuos producunt effectus.

Vnde Chriſtianis FATVM à *fando* poteſt deriuari. Iuxta illud Pſaltis regij *ſemel locutus eſt Dominus.* Incommutabilis, quippe, eſt de rebus creatis Dei notitia, ſeu locutio; vnde qui *fatum* admittit, mentem teneat linguam corrigat.

FATVM igitur, eſt ordo cauſarum, vnde certa ſequitur euentorum ſeries, v. g. Si quis naſcatur

princeps vltimus è duodecim ſuis fratribus, adeat Regnum exterum, à cujus Rege ametur, ipſiuſque exercitûs Polemarcha poſteà conſtituatur, tum inſignes reportet victorias, honoretur, maximiſque bonis cumuletur, & amplificetur, hæc, & alia ejuſmodi rerum ſeries poteſt dici hujus principis fatum.

BOETIO, FATVM, eſt *rebus mobilibus adhærens diſpoſitio quâ diuina prouidentia ſuis, quæque nectit ordinibus*; attingit enim à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, nimirùm res naturales neceſſariò, liberas verò flexibiliter ad oppoſita mouendo; *nihil* enim *niſi ſecundùm naturam facit is, à quo eſt omnis numerus, & ordo naturæ.*

DE
CAVSA PER SE.

CAVSA *per ſe*, ea eſt quæ producit effectum quem intendit, v. g. *quercus*, glandem.

DEFINITVR principium influens eſſe in aliud.

RECTIÙS; Principium influens in aliud eſſe quod intendit, v. g. *Architectus* reſpectu *ædificij.*

INFLVERE *eſſe*, (*ſimpliciter*) eſt dare eſſentiam, & exiſtentiam.

ESSE, eſt *ſimpliciter*, vel *ſecundùm quid*; hoc eſt accidens, v. g. *albedo*, quâ paries habet vt ſit albus. Illud eſt eſſentia, & exiſtentia rei, quâ ſcilicet res dicitur eſſe extra nihil.

ALIVD, hìc ſumitur vel

1. *Subſtantiuè* prout eſt id quod *eſſentiam* habet ab

alio ſaltem numero *diuerſam*, v. g. Philippus reſpectu Alexandri.

2. *Adjectiuè*, tuncque vel deſignat *meram distinctionem*

a. SVPPOSITI, v.g. Filius Diuinus reſpectu Patris æterni; Eſt enim *aliud ſuppoſitum* à Patre.

b. SVBIECTI; ſic intellectus eſt *aliud ſubjectum*, à voluntate.

DEVS eſt cauſa creaturæ; Eſt enim

Principium creaturæ; cum ſit quid primum vnde hæc producitur.

Influit eſſe in creaturam; quia ei dat eſſe; eam enim de potentiâ reducit ad actum.

Eſt aliud à creaturâ; quia habet eſſentiam ab ipsâ diuerſam.

Caſus non eſt cauſa mundi, cum non ſit illius principium.

Aperiens feneſtram, non eſt cauſa illuminationis cubiculi; quia non influit eſſe in lumen. Sed ipſe Sol cubiculum illuſtrans.

Sol non eſt cauſa aëris, licet in aërem influat lumen; non enim aëri dat *eſſe ſimpliciter*, ſeu vt *ſit*; ſed tantùm dat ei, *eſſe ſecundùm quid*; putà quòd ſit illuminatus.

EQVVS non eſt *cauſa per ſe*, muli; quia non intendit mulum producere, ſed equum.

Pater Diuinus, non eſt cauſa *Verbi diuini*, cum nequidem habeat eſſentiam vel ſolo numero diuerſam ab ipſo.

PRINCIPIVM latiùs patet quàm *cauſa*; omnis enim *cauſa*, eſt *principium*; non viciſſim; nam *Pater diuinus* eſt principium, non cauſa *Verbi Diuini*, quia non eſt aliud à patre. Ignorantia eſt *principium*, non *cauſa* eruditionis; illa enim non

influit eſſe : at cauſa & *influit* ESSE, & *influit in* ALIVD.

CAVSALITAS, eſt id per quod cauſa eſt formaliter cauſans, ſeu quo poſito præciſè cauſa eſt cauſans. & quo ſublato deſinit eſſe cauſans.

CAVSALITAS eſt, vel in ACTV

1. PRIMO, eſtque vis productiua effectûs, v. g. virtus calefaciendi in igne.

2. SECVNDO, (ſeu *cauſalitas* ſimpliciter, quæ etiam dicitur propriè *cauſatio*) eſt actualis effectûs productio, v. g. caloris productio.

IN quâcunque effectûs (putà luminis) *productione*, ſpectari poſſunt

1 ENTITAS *cauſæ*; putà corpus lucidum, v. g. *Sol.*

2. VIS *agendi*, v. g. virtus illuminandi. Hæcque eſt CAVSALITAS *in actu primo.*

3. ACTVALIS *fluxus effectûs à causâ*; v. g. illuminatio; eſtque CAVSALITAS in actu ſecundo, eſt enim via luminis à corpore lucido.

4. RELATIO *cauſæ ad effectum*; v. g. Relatio corporis illuminantis ad lumen.

5. TERMINVS *à quo*; putà tenebræ.

6. TERMINVS *ad quem*, nempe lumen.

7. SVBIECTVM *receptiuum actionis*, nimirùm aër.

CONDITIO *ſine quâ non*, eſt quæuis diſpoſitio ad *agendum*, vel *patiendum* requiſita, v. g. *applicatio* flammæ ad ſtupam, & ſtupæ *ſiccitas*, ad illius inflammationem.

EFFECTVS, vocatur *cauſatum*; quia eſt opus cauſæ.

Deſcribitur, id quod à causâ dependet, (ſimpliciter) v. g. *vas*, reſpectu figuli.

DEPEN-

DEPENDERE *ſimpliciter*, eſt accipere ab alio *eſſentiam* ſaltem numero *diuerſam.* Sic Alexander *pendet* à Philippo; non item *Verbum Diuinum* à Patre; eſt enim conſubſtantiale Patri. Vnde *Verbum* eſt *genitum*, non *factum.*

DEPENDERE *ſecundùm quid*, eſt accipere accidens ab alio; *ſic* aër dependet à Sole, à quo accipit lumen; & ideò aër non eſt *effectus* Solis.

Eſſe dependenter, eſt *accipere* ab alio eſſe diuerſum; ſic calor *dependet* à calefaciente.

Eſſe independenter ab aliquo, eſt *exiſtere ipſo non concurrente*; ſic ens reale, eſt *independenter* à mente; etenim ab ipsâ non accipit eſſe; nam propter noſtrum intelligere, nihil ponitur in re.

DE
AFFECTIONIBVS CAVSÆ.

CAVSA debet ſuum effectum continere; *nihil quippe dat quod non habet.* Alioqui creatura poſſet quodlibet producere. Hinc quia

omnia ſunt { *à* / *in* } *Deo.*

CAVSA ſuum effectum *continet*, vel

1. FORMALITER; id eſt ſecundùm propriam rationem. *Sic* homo continet *prudentiam*; quia ipſa ſecundùm ſuam naturam; putà quatenùs eſt *recta ratio agendorum*, propriè eſt in homine.

2. VIRTVALITER, idque continet inſtar cauſæ *principis*, vel *inſtrumentalis.*

a. Continere *virtualiter* inſtar *cauſæ principis*; eſt rem in ſe habere præſtantiori modò quàm *formaliter*, ſed cum *defectu.* Sic Angelus habet *prudentiam*;

eam enim habet ſine deliberationis ſucceſſione, ſed non ſine *limitatione*, ſeu *defectu*.

b. Continere *virtualiter* inſtar *cauſę inſtrumentalis*, eſt rem poſſidere imperfectiori modo quàm *formaliter*; ſic ſerpens continet *prudentiam*; hanc enim habet abſque ratiocinij perfectione, quâ prædicus eſt homo.

Eſſe cauſam *virtualem*, & continere *virualiter* non eſt quid idem. Nam rationalitas eſt cauſa virtualis reſpectu virtutis admirãdi quam continet formaliter.

3. EMINENTER, eſt rem ex ſe imperfectam abſque *limitatione* poſſidere. Sic Deus habet *prudentiam*; quippe qui eam continet abſque vllâ *limitationis* vmbrâ.

Perperàm igitur continere *virtualiter*, & continenere *eminenter* confunduntur; hoc enim ſoli *Deo* conuenit, illud ſoli *creaturæ*.

QVOD continetur *eminenter*, continetur abſque *limitatione*, non viciſſim, nam ſapientia eſt in Deo ſine *limitatione*; non item *eminenter*; quia ipſa ex ſe nullam includit imperfectionem.

NVLLA cauſa poteſt agere in diſtans, non agendo per medium; non datur enim tranſitus ab vno extremo ad alterum ſine medij pertranſitione.

HINC cauſa debet ſuum effectum attingere vel CONTACTV

1. SVPPOSITI, *quo* ſcilicet ſubſtantia *agentis* tangit ſubſtantiam *patientis*, v. g. *ſubſtantia* Dei, tangit *ſubſtantiam* creaturæ.

2. VIRTVTIS, *quo* agens attingit patiens per *virtutem* à ſe diffuſam, v. g. *Sol*, producens aurum in viſceribus terræ.

Quicquid agit contactu *ſuppoſiti*, agit contactu *virtutis*: at non vice uerſâ; Vt conſtat ex *Sole*, aurum producente.

Cauſa quandiu eſt *indeterminata* nunquam agit; Quandiu enim cauſa ſeipſam non determinat; aut à ſuâ naturâ; vel ab extrinſeco ad agendum non determinatur, non poteſt operari.

INDETERMINATIO, ſeu INDIFFERENTIA eſt, *vel*

1. NEGATIVA, quæ eſt negatio determinationis ad vnum potiùs quàm ad aliud; v. g. indeterminatio ad ſtudium, aut ludum.

2. POSITIVA, ſeu vis electiua, quæ eſt facultas ſeſe determinandi ad vnum potiùs quàm ad aliud; v. g. libertas incedendi, vel ſedendi.

Determinatio, eſt propenſio in vnum potiùs, quàm in aliud; *ſic* in voluntate juſti, eſt potiùs inclinatio in virtutem, quàm in vitium.

Tot modis dicitur *determinatio* cauſæ, quot modis dicitur illius *indifferentiâ*. Nempe

Vel ad { Speciem, aut indiuiduum.
Exercitium, aut *modum* actûs.

DETERMINATIO ad *ſpeciem*, ſeu in actu primo, IN

1. NECESSARIIS, ea eſt quâ quid poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis addictum eſt producendo effectui, vel actui talis ſpeciei; v. g. *determinatio quercûs ad glandem*; lapidis appenſi, ad deſcenſum, &c.

2. LIBERIS, eſt vis electiua, quâ quis vult efficaciter effectum, vel actum talis ſpeciei producere potiùs quàm alium. Putà *picturam*, potiùs quàm *ſcripturam*; *amare*, quàm *odiſſe*, &c.

DETERMINATIO ad *exercitium*, ſeu in actu ſecundo. Eſt hic, & nunc actum, vel effectum producere; ſic *lapis appenſus*, reſecto obice decidit; *Ignis* poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, calefacit.

DETERMINATIO ad *indiuiduum*, eſt hunc numero actum, vel effectum producere potiùs quàm alium; putà hanc numero glandem, quàm aliam.

DETERMINATIO ad *modum* actûs, eſt *intensè*, vel *remiſsè*; lentè *vel* promptè actum elicere. Putà *lentiori*, vel *concitatiori motu* aliquid ciere; amare *ardenter*, vel *tepidè*; *vehementer*, aut *languidè*.

In *agentibus neceſſariis* non eſt indifferentia actiua ad ſpeciem; eorum quippe potentia eſt ad vnum determinata, v. g *potentia* ignis ad *calefaciendum*; in his verò, eſt *indifferentia paſſiua*, v. g. in *lapide*: ad figuram hominis, vel equi.

Indifferentia actiua quoad *ſpeciem* & *exercitium* in *liberis*, eſt libertas.

Indifferentia quoad *exercitium*, vel quoad *modum* in neceſſariis, eſt indeterminatio ad ſuſcipendum omnia ad *hic*, & *nunc*; hoc, aut illo modo agendum prærequiſita, v. g. *indifferentia* canis ad *hic*, & *nunc*, citò, aut velociter *venandum*.

Indifferentia ad *indiuiduum*, eſt *indeterminatio* ad hunc, vel illum numero actum, vel effectum exerendum, v. g. *indifferentia* quercûs ad hanc, vel illam numero glandem producendam. Item *indeterminatio* lapidis ad hunc, vel illum numero deſcenſum.

Indifferentia quoad modum in *liberis*, eſt vis ſe ſe determinandi ad *hoc* potiùs, quàm *alio modo* operandum, v. g. *velociter*, potiùs quàm tardè incedendum.

ACT[illegible] *à proportione majoris inæqualitatis*; in [illegible]ns agit in quantùm agendi virtute

[illegible]

Vnde agens debilius nequit ſuperare patiens potentius: in hoc enim eſt plus reſiſtentiæ, quàm in illo ſit actiuitatis, v. g. in bajulo, quàm in infante.

SIMILE non agit in ſimile; agens enim agit vt aſſimilet ſibi paſſum. Vnde agere in ſimile eſt actum agere. Sic calidum vt quatuor, non intendet alterum calidum vt quatuor.

Omne agens agit, vel *per*

1. FORMAM *naturalem*, & ſi ſit *vniuocum*, v. g. ignis, ignem generans, producit effectum ſibi ſubſtantialiter ſimilem. Si ſit *æquiuocum*, v. g. equus *reſpectu* muli, aſſimilat ſibi effectum in quantùm poteſt.

2. IDEAM, & producit effectum ſibi analogicè ſimilem, v. g. *pictor*, imaginem.

QVOD *dat eſſe, dat & conſequentia ad eſſe*; quodlibet enim producitur vt *ſit*; terminus enim productionis, eſt *exiſtentia*: at ſine iis quæ ſunt conſequentia ad eſſe, res nequit exiſtere; res enim nequit conſeruari ſine medijs ad ſui conſeruationem neceſſariis.

CAVSA cauſa, eſt cauſa cauſati; Sol eſt *cauſa* gemmarum; quia eſt *cauſa* influxuum, quibus hæ generantur.

DE
EFFECTVVM AD CAVSAS,
ET CAVSARVM
AD SE INVICEM ORDI[illegible]

ORDO cauſæ ad effectum eſt [illegible] effectum, ſeu *dependentia* effectûs [illegible]

Digitized by Google

ORDO cauſæ ad cauſam, eſt vel *ſubordinatio* poſterioris cauſæ, *priori*; ſeu *ſubalternata*, ſubalternanti. *Aut* connexio vnius cauſæ cum aliâ.

DEPENDENTIA eſt, vel

Actualis, virtualis.
Cauſalitatis, mutuæ connexionis.
Eſſentialis, accidentalis.

DEPENDENTIA actualis, eſt vel SVBORDINATIO

1. CAVSARVM ad cauſas realiter à ſe diſtinctas; aut *cauſa*, ad cauſam ejuſmodi diſtinctam, v. g. *dependentia* quercûs, à ſole vt glandes producat.

2. EFFECTûs ad cauſam realiter à ſe diſtinctam, v. g. *dependentia* glandis à quercu.

DEPENDENTIA virtualis, eſt ſubordinatio vel INTER

1. CAVSAS à ſe inuicem realiter indiſtinctas, v. g. *dependentia* intellectûs ab animâ vt intelligat.

2. EFFECTVM inſeparabilem à causâ, v. g. *dependentia* virtutis admirandi, à rationalitate.

Hæc dicitur impropriè *dependentia*, eſt enim potiùs *connectio*, ſeu *identificatio* vnius cum alio, quàm quædam *dependentia*.

DEPENDENTIA cauſalitatis, ſeu quoad *operari*, eſt ea, quâ vna cauſa exigit conſortium alterius, vt *influat*, v. g. *dependentia* quâ cauſa materialis eget formali, vt conſtituat compoſitum.

Sic omnia cauſarum genera à ſe inuicem dependent; licet enim cauſa finalis, efficiens, exemplaris poſſint eſſe ſine causâ materiali, & formali; nequeunt tamen compoſitum producere ſine materiâ, & formâ.

DEPENDENTIA mutuæ *connexionis*, ſeu quoad eſſe eſt ea quâ vnum nequit eſſe ſine alio,

& viciſſim. Eſtque, vel inter realiter diſtincta, quâſi dependentiâ *relata*, v. g. dicuntur ſimul naturâ, *putà* dependentia inter duplum, & dimidium, *vel* quâſi vnum identificatur cum alio, v. g. dependentia inter rationalitatem, & vim admirandi.

DEPENDENTIA eſſentialis; ea eſt quâ quid ab alio ita dependet vt impoſſibile ſit ab alio *produci*, *eſſe*, vel *operari*; v. g dependentia *creaturæ* à Deo; *prudentia*, ab intellectu *hominis*; homo, ab animâ rationali.

DEPENDENTIA *accidentalis*, eſt ea quâ quid ita ab aliquo accipit *eſſe*, vt ſaltem Diuinitùs *independenter* ab ipſo poſſit exiſtere, & operari, v. g. Alexander reſpectu Philippi.

QVOD *eſſentialiter* dependet ab aliquo vt ſit, eget *eſſentialiter* ipſius influxu vt conſeruetur, & operetur. Sic quia *homo*, v. g. dependet *eſſentialiter* ab animâ rationali vt *ſit*, dependet *eſſentialiter* ab ipsâ vt *conſeruetur*, & *operetur*.

QVOD pendet *accidentaliter* ab aliquo vt *ſit*, non eget ipſius actuali influxu vt *conſeruetur*, multò minùs vt *operetur*; putà *horologium* reſpectu horologiarij; hoc enim mortuo adhuc horologium perſeuerat.

EADEM *actio* eſt *influxus* cauſæ in effectum, & *dependentia* effectûs à cauſa; etenim *influxus* eſt largitio eſſe à causâ; *dependentia* eſt receptio ejuſdem eſſe ab effectu: at *largitio*, & *receptio* ſunt vna eademque *actio*; v. g. eadem eſt *actio* quâ ſol *dat* eſſe lumini, & quâ lumen *recipit* eſſe à ſole.

INDEPENDENTIA, eſt ea quâ quid non eſt ab alio, vel vt *a*

1. *Causâ*, v. g. Filius Diuinus.
2. *Principio*, v. g. Pater Diuinus.

3. *Radice*, v. g. Eſſentia Diuina.

Impossibilis eſt progreſſus in infinitum in cauſis *eſſentialiter* ſubordinatis; ſiquidem impoſſibile eſt vltimam cauſam mouere niſi dependenter à prioribus; priores, niſi dependenter à primâ; Dependent enim *eſſentialiter* à ſe inuicem vt operentur ex dictis: at in infinito non datur primum. Nec dantur actu infinitæ cauſæ; nec ſi exiſterent ſimul agere poſſent; infinitum enim percurri non poteſt.

Idem nequit eſſe ſui ipſius cauſa; ſic Angelus ſeipſum producere non poteſt; quia *nemo dat quod non habet*: at antequàm aliquid ſit, nullatenùs habet eſſe.

Tum quia priùs eſt eſſe quàm operari, nihili quippe nulla virtus, nulla ejus operatio: at producere eſt virtutis actiuæ.

Denique quod producit, eſt *prius*, quod producitur, eſt *poſterius*: at idem nequit eſſe ſeipſo *prius*,& *poſterius*.

Cavsa *entitatiuè* prior eſt *naturâ* ſuo effectu; quia hic ab illâ dependet. Non ſemper prior eſt *duratione*; nam ignis, v. g. non eſt prior *duratione*, quàm calor ſibi inſitus.

Cavsa, & *effectus formaliter*, ſeu *cauſa* vt cauſat, & *effectus* prout producitur, ſunt ſimul naturâ; ſicut enim ejuſmodi *cauſa* dat eſſe, ſic & *effectus* illud recipit: at non eſt priùs realiter *dare*, quàm *accipere*.

Cavsa *formaliter* eſt nobilior ſuo effectu; *nobilius* enim eſt *dare* quàm *accipere*; hujus enim eſt *carere*, illius autem *habere*: at conditio habentis eſt melior.

Cavsa *vniuoca entitatiuè* eſt æqualis perfectionis cum ſuo effectu; v.g. *ignis* producens, reſpectu *ignis* à ſe producti.

CAVSA *æquiuoca*, vt plurimùm eſt præſtantior ſuo *effectu*, v. g. pictor, *tabellâ*. Quandòque eſt ignobilior, v. g. *aſina*, mulo; *corpus*, viuente.

INSTRVMENTALIS vt plurimùm, eſt ignobilior ſuo effectu, v. g. lumen Solis, *auro*; penicillus, *tabellâ*; calamus, *ſcripturâ*.

Effectus vniuerſales, ab vniuerſalibus cauſis; particulares, à particularibus deriuantur; ſic vita, eſt à viuente; animalitas, ab animali; humanitas, ab homine; denique lentulus eſt à Sempronio. Effectus quippe vniuerſales, vniuerſalibus cauſis; & particulares, particularibus reſpondent; v. g. *ſtatua*, ſtatuario; *Diana* Epheſiorum, *Policleto*.

DIVISIO

CAVSÆ PER SE.

C*AVSA per ſe* eſt, *vel*

1. TOTALIS, quæ ſecundùm ſe par eſt toti effectui producendo, v. g. ſol reſpectu diei.

2. PARTIALIS, quæ ſeorſim non ſufficit toti effectui producendo, v. g. *anima* reſpectu viuentis.

Cauſa eſt, vel totalis totalitate { cauſæ. / effectûs.

CAVSA *totalis totalitate cauſæ*, eſt ea quæ aliam *excludit* in productione effectûs, v. g. *Deus* in creatione Angeli. Item cauſa *finalis*; *efficiens*, *exemplaris*, *materialis*, & *formalis*; v. g. in vegetatione plantæ; quia nulla cauſa alterius generis præter has ad illius productionem requiritur.

CAVSA *totalis totalitate effectûs*, Ea eſt quæ a

vel totaliter, vel ſaltem totum producit effectum; v. g. *Deus*, reſpectu *Angeli*; Sol reſpectu *auri*; Nihil enim eſt in *auro* ad quod Sol non concurrat: at non illud *totaliter* producit; cum *aurum* etiam ſit à Deo, cum ab ipſo pariter producatur.

CAVSA partialis partialitate effectûs, eſt ea quæ tantùm producit partem *effectûs*, v. g. latomus, qui vnam partem *domûs* producit, non alteram, eſt cauſa partialis partialitate effectûs reſpectu hujuſmodi ædificij.

CAVSA iterum eſt

1. INTERNA, quæ eſt in effectu tanquam pars, v. g. *anima*, in viuente.

2. EXTERNA, quæ eſt extra effectum quem producit, v. g. *architectus*, extra *Domum*.

Externa eſt { Finalis. Efficiens. Exemplaris. } [Interna { Materialis. Formalis. }

DE
CAVSA FINALI.

FINIS mouet opificem; quodlibet enim agit alicujus boni gratia; *opifex* determinatur ab *exemplari* ad certam *formam*, in certâ *materiâ* producendam; ſic *ſtatuarius*, v. g. mouetur *lucri* gratià, ad ſtatuæ regiæ ſculptionem, & à regis majeſtate determinatur, ad ejus *figuram* è *marmore* educendam. Quapropter cauſa finalis rectè dicitur cauſa cauſarum; Eſt enim omnium prima, ſcilicet *ordine intentionis*.

1. FINIS, dicitur reſpectu *opificis*; cauſa verò fina-

lis per ordinem ad *opus*. Sic Dei gloria in productione creaturarum eſt Dei *finis*; eſt *verò cauſa finalis*, reſpectu creaturarum; quia ijs dat *eſſe*.

CAVSA *finalis*, eſt id cujus gratiâ aliquid *fit*, vel *eſt*, v. g. commoda habitatio, reſpectu domûs; hinc finis dicitur à *fio*.

FINIS eſt multiplex, *putà*

1. FINIS *operantis*, ſeu is quem ſibi proponit agens vt agat, v. g. *lucrum* reſpectu *architecti*.

2. FINIS *operis*, ſeu is ad quem opus naturá ſuâ tendit, v. g. *commoda habitatio* reſpectu *ædificationis*.

Habitus ſuam eſſentiam, dignitatem, & ordinem deſumit à *fine operis*; is enim vnus eſt, & determinatus ex naturâ ſuâ, v. g. beatitudo naturalis; reſpectu *Philoſophiæ*; finis autem *operantis*, putà *philoſophi* eſt *multiplex* putà vera, vel vana gloria, &c.

ITEM FINIS *eſt*

1. PROXIMVS, ſeu qui immediatè obtinetur; v. g. *prælium* reſpectu exercitûs in aciem ordinati.

2. REMOTVS, ſeu qui alio mediante obtinetur; v. g. *victoria* mediante prælio.

DEINDE vel eſt

1. FINIS *cui*, ſeu ſubjectum in cujus commodum cedit aliquod bonum, v. g. *homo* reſpectu *Philoſophiæ*.

2. FINIS *cuius gratia*, eſt bonum quod cedit in alicuius commodum, v. g. *ſcientia*, reſpectu *diſcipuli*.

3. FINIS *quo*, eſt poſſeſſio boni, v. g. inuentio veritatis, & exercitium actionis honeſtæ reſpectu *philoſophia*.

CAVSALITAS cauſæ finalis, eſt amari *propter ſe*; finis enim eſt id *cujus* gratia aliquid *fit* vel *eſt*; *amor* ejuſmodi vocatur MOTIO METAPHORICA. *Hæc* autem ſi finis eſt *abſens*, eſt *allectio* agentis à

fine, & ejus *impulſio* ad media. Si verò ſit *præſens*, eſt *delectatio*, ſeu *quies* in fine poſſeſſo; nam ſicut finis, puta *ſanitas*, abſens *attrahit*, & impellit ad media; ſic præſens, *retinet*, & appetitum *quietat*.

MEDIVM, eſt id quo vtimur ad finem comparandum, v. g. *ſtudium* reſpectu *ſapientiæ*.

Sic autem appellatur; quia mediat inter agens, & finem, v.g. ſtudium inter hominem,& ſapientiam.

FINIS *eſt menſura mediorum*; eò enim media ſunt præſtantiora, quò *fini* aſſequendo ſunt conuenientiora; ſic remedia ſunt præſtantiora, quò *ſanitati* conſeruandæ, aut reſtituendæ ſunt aptiora.

Talis eſt ordo, & dignitas *ſcientiarum*, qualis eſt ordo earum *finium*. Sic *ferraria*, frænefactoriæ; *hæc*, equeſtri; *equeſtris*, militari; *militaris* denique *Politicæ* ſubordinatur; quia ferri *fabrica*, fræni confectioni; *hæc*, equi regimini; *equi* verò *regimen*, pugnæ; *pugna* autem, victoriæ; *victoria* denique *Reipub. tranquillitati ſubordinatur*, quæ eſt *Politicæ* finis.

☞ CAVSA *finalis* cujuſlibet rei eſt præſtantiſſima ipſius operatio; *vnumquodque* enim *eſt propter operari*, v. g. homo propter Dei cultùm; *operatio* quippe ejuſmodi eſt rei *quies*; niſus autem ad illius adeptionem, eſt motus: at quodlibet mouetur, vt quieſcat.

DE
CAVSA EFFICIENTE.

EA in phyſicis *mouens*, vel *motor*: In metaphyſicis verò *opifex* appellatur.

Omne *efficiens* eſt *agens*, non viciſſim; Sol enim eſt *agens* reſpectu *aëris* quem illuminat; Etenim ipſi aliquam perfectionem communicat: at non

eſt illius *cauſa efficiens*; Siquidem ipſi non *dat eſſe.*

Agens agendo, non neceſſariò *mutat*, aut *mutatur*: Pater enim Diuinus generando Filium, nec *mutat*, nec *mutatur*. Nec Deus producendo mundum, *mutatur*.

CAVSA efficiens definitur primum principium *mutationis*, ſeu productionis, & *quietationis*, ſeu conſeruationis; Sic forma ſubſtantialis lapidis, eſt ejus primum principium *motionis* in centrum, & *quietationis* ipſius in centro.

Primum principium, ſcilicet ordine *executionis.*

Idem eſt principium *mutationis*, & *quietationis*; nihil enim (niſi agat temerè) producit quicquam vt deſtruatur; ſed vt conſeruetur. Vnde *qui dat eſſe, dat & conſequentia ad eſſe.*

CAVSA *efficiens* eſt multiplex. *puta*

1. VNIVOCA, quæ producit effectum ejuſdem ſecum rationis, v. g. *ignis*, ignem generans.

2. ÆQVIVOCA, quæ producit effectum diuerſæ naturæ à ſe, v. g. *Equus*, mulum; *ſol*, vites.

ITEM cauſa eſt phyſica, *vel* moralis.

CAVSA *phyſica* IN

a. PHYSICIS, ea eſt quæ per ſe immediatè, aut virtute à ſe diffuſâ producit effectum, v. g. *Gallina* reſpectu *oui* à ſe editi; tum etiam reſpectu *pulli* qui ex tali *ouo*, licet ab aliâ gallinâ ipſi incubante, *excluderetur.*

b. ETHICIS, ea eſt quæ producit effectum nullâ mediante cauſâ rationali, v. g. *is* qui hominem gladio perimit, dicitur cauſa *phyſica* talis occiſionis; quia videlicet eam patrat mediante inſtrumento ratione deſtituto.

CAVSA *moralis* IN

a. ETHICIS, eſt ea quæ producit effectum me-

diante cauſâ rationali, v. g. qui *imperio*, *minis*, *pecuniâ*, *hortatione*; vel *precibus* mouet ad agendum, v. g. *is* qui aliquem vi pecuniæ inducit vt ſuum inimicum occidat, eſt *cauſa moralis* ejuſmodi cædis.

b. Physicis, ea eſt ad quam ſequitur effectus quem nec *per ſe*, nec *per virtutem à ſe diffuſam* producit, v. g. *gallina* alterius ouo incubans, reſpectu pulli ex tali ouo excluſi; ſimiliter *pecunia* quæ creditur eſſe, & non eſt in arcâ, eſt cauſa *moralis* fractionis arcæ à fure.

c. Metaphysicis, dicitur ea ad cujus præſentiam ponitur effectus, alio concurrente, v. g. aqua baptiſmalis *reſpectu* ſanctificationis animæ; quia dum illa corpus *abluit*, Deus animam *ſanctificat*.

MOTIO eſt, *vel*

☞ 1. Physica, ad quam neceſſariò ſequitur effectus, ſeu quâ cauſa ad vnum ineluctabiliter determinatur; v. g. *calefactio* quâ ignis naturali neceſſitate ad calorem producendum determinatur.

2. Moralis, ea eſt ad quam effectus non neceſſariò ſequitur, v. g. motio voluntatis humanæ à Diuinâ gratiâ.

Item *motio* quâ quis objectiuè, & datâ occaſione ad agendum excitatur, dicitur *motio moralis*; ſic pauper ſuâ miſeriâ, virum probum moraliter mouet ad ſuiipſius calamitatem ſubleuandam.

CAVSA iterum eſt, vel

1. Princeps, quæ propriâ virtute producit effectum ſibi proportionatum, v. g. *ſol*, diem.

2. Instrvmentaria, quæ effectum producit prout ſubditur virtuti cauſæ principis, v. g. *calor* prout enim ſubditur animæ ſenſitiuæ, *ſpiritus naturales*; *vitales*, producit, & *animales*; ſic vt quer-

cui inſeruit *glandes* generat ; vt autem viti, *vuas* producit, &c.

INSTRVMENTVM, eſt *cauſæ principis adjumentum*; ſicque appellatur, quòd opificem *inſtruat* ad *operandum*. *Eſtque* vel

Supernaturale ⎧ gratiæ ⎫ ⎧ *baptiſma.*
Naturale [quod inſeruit ⎨ naturę [v. g. ⎨ *calor.*
Artificiale ad opera ⎩ artis ⎭ ⎩ *penicillus.*

Item eſt vel

1. *Conjunctum*, quod nullius eſt efficaciæ niſi vnitum cauſæ principi, v. g. *manus* reſpectu hominis.
2. *Separatum*, quod non niſi conjunctum inſeruit cauſæ principi, v. g. *glans* reſpectu quercûs.

Inſtrumentum artificiale videtur partim *conjunctum* partim *ſeparatum*; non enim mouet niſi cum euehitur à causâ principe, eique conjungitur, v. g. *calamus* reſpectu ſcribentis.

CAVSA præterea eſt, vel

1. PVBLICA, ſeu quæ vna poteſt producere effectus ſpecie diuerſos, v. g. *ſol*, argentum, aurum, &c.
2. PRIVATA, ſeu *particularis*, quæ certo effectui producendo eſt addicta, v. g. *quercus*, glandi.

DENIQVE cauſa eſt, *vel*

1. SECVNDA, quæ indiget influxu *primę* vt operetur, v. g. *creatura*;
2. PRIMA, quæ nullâ causâ ſupponit ante ſe *vel* IN

a. *Aliquo genere*, v. g. *Sol* reſpectu lucidorum.
b. *Omni genere*, v. g. ſolus Deus; eſt enim is, à *quo*, in *quo*, & ad *quem* ſunt omnia. Quare

OPERATIO Dei ad *extra* eſt ⎧ Creatio.
⎨ Conſeruatio.
⎩ Concurſus.

CREATIO, eſt productio rei è nihilo. Hæcque fit, vel

a *Nullo modo concurrente ſubjecto*, v. g. productio Angeli, eſt enim independenter à quauis materia.

b *E nihilo tum ſui, tum ſubjecti*, v. g. productio mundi; Licet enim fuerit ſine præuiâ, non tamen fuit ſine concurrente materiâ. Inde differt à productione Angeli ad quam nulla materia Phyſica concurrit. Hinc Angelus non dicitur fieri è nihilo ſubiecti.

Materia prima non producitur ſine ſubjecto; cum ipſa ſit ſubjectum: at non producitur ſine ſeipsâ.

Anima equina non fit è nihilo ſubjecti; quia fit è præſuppoſito ſubjecto in cuiꝰ poteſtate continebatur

Anima rationalis producitur tum è nihilo *ſui*, tum è nihilo *ſubjecti*. quia nullum præſupponit ſubjectum è cuius poteſtate educitur.

ANNIHILATIO *eſt deſitio totius ſimpliciter*; eſt enim tranſitus ab eſſe ad non eſſe ſimpliciter, v. g. *deſtructio* Angeli.

Omnis creatio eſt mutatio, non viciſſim; annihilatio quippe eſt *mutatio*, non item eſt *creatio*.

Nec omnis *actio* eſt *mutatio*, aut viciſſim: nam *generatio* verbi Diuini eſt *actio*, nec tamen eſt *mutatio*: Itẽ *deſitio* rei eſt *mutatio*, nec tamen eſt ipſius *actio*

MVTATIO, eſt tranſitus ab vno ſtatu ad alium ſtatum; eſt enim *acquiſitio*, vel *deperditio* alicujus perfectionis, vel loci.

Mutari, eſt tranſire de potentiâ ad actum, ſeu ab vno *ſtatu* ad alium; id eſt aliquid acquirere, vel deperdere. Sic mutatur homo dum diſcit, aut obliuiſcitur.

Mutatio eſt *ſubſtantialis*, vel *accidentalis*; *hæc* eſt acquiſitio, vel deperditio alicujus accidentis; *putà* ſanitas; *illa*, ſubſtantiæ; putà vitæ.

CONSERVATIO eſt

1. DIRECTA, ſeu quâ quid in aliud influendo ejus eſſe prorogat; Eſt enim *continuata rei productio*, v. g. conſeruatio diei à ſole. Item conſerua-

tio mundi à Deo; ipſo enim manum retrahente in nihilum rediret; *portat* enim *omnia verbo virtutis ſuæ.*

Differt à *duratione*; hæc enim eſt in Deo, à quo exvlat omnis conſeruatio.

2. INDIRECTA, ſeu ea quâ quid à deſtruentibus remouetur; ſic infans dicitur *conſeruari*, cum ab *incendio* eripitur.

CONCVRSVS, eſt ſimultaneus ad agendum influxus vnius cauſæ cum alterâ. Eſtque

1. IMMEDIATVS, quo vna cauſa cum aliâ ſimul operatur, v. g. influxus Solis cum quercu ad glandis productionem. Item concurſus quo ſcriba manum tyronis, inter ſcribendum regit.

2. MEDIATVS, quo quid dicitur agere cum alio, quòd ei agendi facultatem conceſſerit; ſic *Philippus* cum *Alexandro* hâc ratione pugnabat; quia eum genuerat, & ita, pugnandi facultatem ei conceſſerat. Sic ſcriba, cum ſcribente, quem ſcribendi artem docuit, concurrit.

* *Concurſus* cauſæ à quâ eſſentialiter effectus dependet, eſt ſimul *mediatus*, & *immediatus*, v. g. concurſus animæ ad nutritionem; nam ad eam, & concurrit *mediante* facultate nutritiuâ, & ipſam *immediatè* eliciendo.

PRÆMOTIO, eſt applicatio cauſæ ad operationem, v. g. applicatio mallei ad tundendum. Sic *præmotio* diuina, eſt applicatio creaturæ ad operandum.

Præmotio, eſt *Phyſica*, vel *moralis*; ad *illam* neceſſariò producitur effectus; v. g. ad *præmotionem* lapidis à projiciente; ad hanc neceſſariò non ſequitur, v. g. ad *præmotionem* gratiæ.

CAVSALITAS cauſæ efficientis eſt *effectio*, ſeu deriuatio effectûs à cauſa; ſic *calefactio*, eſt fluxus, ſeu *deriuatio*, aut via *caloris* ab igne. Hæc ſe ha-

bet ad cauſalitates cæterarum cauſarum, vt *latio* ad reliquos motus: at motus localis eſt inter cæteros potiſſimus.

* *Effectio* differt ab *actione*; nam *generatio* Verbi Diuini eſt *actio*; non autem *effectio*.

IDEM ſemper facit idem; natura quippe poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis ad vnum eſt determinata. Sic ſi cera approximetur igni eam emolliet; ſi propiùs admoueatur, eam liquefaciet; ſi verò in ignem conjiciatur, ſemper eam inflammabit.

Actvs *actiuorum ſunt in patiente diſpoſito*; ſi enim quis laxet incluſos lepores, volucres, & piſces; eâdem laxatione, *auibus* volatum; curſum *leporibus*; *piſcibus* verò natationem conciliabit.

DE
CAVSA EXEMPLARI.

EXEMPLVM, & exemplar παράδειγμα, & ἀρχέτυπος, differunt, nam homicida punitur in *exemplum*, non in *exemplar*; cum ipſius viuendi ratio, non imitanda, ſed fugienda proponatur.

Exemplum, eſt peculiare agenti Dianoëtico, *exemplar* & naturali congruit.

Exemplvm, eſt aliquod ſingulare quo quid manifeſtare volumus, v. g. ſi quis conſtantiâ Reguli, vellet probare ipſis etiam hoſtibus fidem eſſe ſeruandam.

* In *exemplari* requiritur veritas, non item in *exemplis*; in his enim ſufficit veritatis illuſtratio. Sic in lineâ deſcriptâ in abaco, non requiritur geometrica rectitudo, vt ejus beneficio oſtendatur omnem lineam rectam eſſe diuiduam in duas partes æquales. Nec etiam requiritur quòd eadem linea omni latitudine careat, vt demonſtretur lineam omnis la-

titudinis eſſe expertem : at ſufficit quòd diſcipuli ex tali lineâ , mentem præceptoris , reique veritatem poſſint percipere.

* Exemplar dicitur reſpectu *opificis*; cauſa verò exemplaris reſpectu *operis*. Sic Idea mundi eſt *exemplar* Dei, & *cauſa exemplaris* reſpectu hujus vniuerſi; non viciſſim, nec indiſcriminatim.

CAVSA EXEMPLARIS, eſt forma ad cujus ſimilitudinem fit ipſius imago, ex intentione agentis. Seu forma quàm effectus imitatur ex intentione agentis, v. g. ſtatua Henrici magni.

In cauſâ exẽplari eſt { *determinatio* agentis ab exẽplari.
Intentio [ex parte { agentis.
Similitudo operis.

Sic vultus regis *determinat* pictorem ad hanc imaginem exarandam, ipſe verò *intendit* illius lineamenta exprimere; imago autem vultûs regij *ſimilitudinem* referre exigit.

Hinc ſi quis volens depingere *Lentulum*, repræſentet *Sempronium*, neuter illorum erit *cauſa exemplaris* hujus imaginis. Non *Lentulus*; quia non eſt ad hujus *ſimilitudinem*; nec *Sempronius*, quia non ei aſſimilatur ex *intentione* pictoris. Quamobrem cauſa exemplaris hujus imaginis, eſt Idea exiſtens in imaginatione pictoris fortè fortunà referens Sempronij ſimilitudinem.

EXEMPLAR eſt, *vel*

1. Natvrale, ſeu forma quam effectus imitatur ex intentione agentis ad vnum determinati; v. g. *ignis* producens reſpectu ignis producti.

Cauſa æquiuoca non videtur *cauſa exemplaris* ſui operis : ſed potiùs idea Diuina, v. g. potiùs idea gemmæ exiſtens in mente Dei, eſt cauſa exemplaris gemmæ, quàm ſol.

Digitized by Google

2. DIANOËTICVM, ſeu *intellectuale*, eſt forma quam effectus imitatur ex intentione agentis ſibi determinantis finem. Eſtque vel

a. Externum, *quod eſt* extra opificem, v. g. *caracteres* in chartâ deſcripti quos tyro imitari conatur.

b. Internum, *quod eſt* intra opificem, v. g. *Idea* domûs in mente Architecti.

IN exemplari dianoëtico eſt, vel CONCEPTVS

1. OBIECTIVVS, ſiue res concepta; illeque eſt, *vel* conceptus rei

a. Repræſentandæ, *ſeu* res repræſentanda: putà *vultus regis*.

b Faciendæ, *ſeu* res facienda, *putà imago regis delineanda*.

2. FORMALIS, ſeu conceptio rei *aut*

a. Repræſentandæ, *putà* cognitio ipſius exemplaris, v. g. *cognitio vultûs regis*.

b. Faciendæ, *v. g.* cognitio regiæ imaginis exarandæ.

SOLVS *conceptus objectiuus rei repræſentandæ* (putà vultus regis) eſt CAVSA EXEMPLARIS: ſiquidem ſolus eſt forma quam effectus (putà *imago*) imitatur ex intentione agentis: videlicet *pictoris*.

Idea eſt cauſa exemplaris rei faciendæ in mente opificis. *Sic* eſſentia diuina quatenus à Deo cognoſcitur vt certo modo imitabilis à creaturis, eſt idea diuina. Sic idea hominis in mente Diuinâ, eſt ipſa eſſentia Dei quatenus à Deo cognoſcitur vt imitabilis ab homine ſecundùm *eſſe*, *viuere*, & *ſapere*.

Idea in creatis, eſt forma rei faciendæ exiſtens in intellectu opificis ipſum determinans ad talem effectum producendum, v. g. ſpecies repræſentatiua

equi in mente pictoris ad cujus ſimilitudinem depingit imaginem, eſt *idea* pictoris.

Idos, eſt forma rei conſtitutiua, v. g. *anima* reſpectu viuentis.

*Omnis *idea* eſt *exemplar*, non viciſſim; ſiquidem *illa* eſt propria agenti dianoëtico: *hoc* autem conuenit, & agenti naturali. Vnde ignis producens eſt *exemplar*, non *idea* ignis producti.

Deinde *exemplar* eſt internum, vel externum: *idea* verò propriè eſt tantùm interna; licet tamen vſus obtinuerit vt dum agitur de *ideis* Platonis, quæratur an aliquas externas admiſerit.

*Omnis *idea* propriè eſt conceptus, non uiciſſim; nam conceptus formalis rei faciendæ; putà *imago*, non eſt *idea*; *hac* enim, non *illa* eſt *exemplar* operis faciendi. Sic conceptus in mente hominis, Dei repræſentatiuus non eſt *idea* Dei; eſt enim *imago* repræſentatiua Dei; non verò *exemplar* ad cujus ſimilitudinem Deus ſit faciendus.

*Deinde in Deo eſt *conceptus repræſentatiuus* diuinæ eſſentiæ; Deus enim ſeipſum adæquatè comprehendit: at Dei nulla eſt *Idea*, nequidem ad mentem Platonis.

**Item* in mente Patris æterni eſt conceptio Verbi diuini: at diuini verbi nulla eſt *idea*; cum Filij æterni nulla ſit *exemplaris cauſa*.

Præterea *vniuerſale* Platonicorum differt ab vniuerſali Stoïcorum; nam *hoc* eſt poſt, *illud* autem ante multa: at Platonicis vniuerſale eſt *Idea*; Stoïcis verò eſt *conceptus*.

Vltimò quia *conceptus* eſt mentalis, vel objectiuus; *Idea* non item. Quamobrem *conceptus*, & *idea* temerariâ ignorantiâ inter ſe confunduntur.

IDEA eſt, *vel* vna entitatiue, &

1. Repræsentativè, v. g. *idea* hujus domûs in mente hujus architecti; eſt enim vnica *entitas* rem *vnicam* exhibens.

2. Repræsentativè *multiplex*, v. g. *idea Diuina*; eſt enim *vnica*, & *ſimpliciſſima* Dei *entitas* omnia entium genera repræſentans.

3. Denique eſt, & *entitatiuè*, & *repræſentatiuè multiplex*, v. g. *idea* in mente pictoris quâ domum, & *idea* quâ arborem exarandam ſibi proponit; poteſt enim vna eſſe ſine alterâ.

IMAGO, eſt *quid ad ſimilitudinem alterius productum ex intentione agentis*, v. g. ſtatua Henrici Magni.

* IN *imagine* eſt *ſimilitudo* cum *exemplari*, vi proceſſionis.

Hinc *mulus* non eſt *imago* equi, vt potè qui non ſit ei ſimilis.

Sic *ouum* non eſt alterius *oui* imago; quia ab illo ſuam non deriuat ſimilitudinem.

Spiritus *ſanctus* non eſt *imago* patris æterni; quia vi ſuæ proceſſionis non producitur vt *ſimilis*.

Denique repræſentatio regis quæ præter intentionem pictoris cum Rege *ſimilitudinem* haberet, non eſſet propriè regis *imago*.

NEC omne *exemplar* eſt cauſa exemplaris; nec omnis imago eſt effectus; Pater enim diuinus eſt *exemplar* verbi æterni, non *ejus cauſa exemplaris*; Verbum enim diuinum, eſt *imago*, & character ſubſtantiæ Patris, nec eſt *effectus*.

Omnis *imago* creata eſt *ſignum*, non viciſſim; nam clangor tubæ eſt *ſignum* prælij, nec eſt ejus *imago*, cum nullam habeat cum prælio *ſimilitudinem*.

Verbum diuinum, licet ſit *imago* Patris, non tamen eſt ejus *ſignum*; ſignum enim eſt *aliud* à re ſignificatâ.

Omnis ſpecies intentionalis eſt imago; eſt enim ſimilitudo objecti; at non viciſſim; ſtatua enim Alexandri eſt ejus *imago*, nec eſt *ſpecies intentionalis.*

IMAGO eſt, *vel*

1. NATVRALIS, quæ eſt *naturæ ſimilitudo*, v.g. Alexander reſpectu Philippi. Omnium præſtantiſſima eſt verbum diuinum; refert enim proprios Patris æterni characteres.

2. ARTIFICIALIS, quæ tantùm externam rei *ſimilitudinem* ſenſibiliter exprimit, v. g. ſtatua Henrici Magni.

3. INTENTIONALIS, quæ eſt *rei ſimilitudo non cognita, ducens ad ipſius rei notitiam*, v. g. ſpecies coloris in oculo.

Similitudo rei à corpore pellucido efformata, v. g. *apparentia vultûs expreſſa à ſpeculo*; eſt imago labilis; eſt enim exterior illius lineamentorum, coloris, tum motûs ad viuum, mobilis quædam repræſentatio.

IMAGO debet (quantùm fieri poteſt) exactam *exemplaris* referre *ſimilitudinem.*

VESTIGIVM, partis tantùm *ſimilitudinem* naturaliter exhibet, v. g. Repræſentatio *pedis leporini* expreſſa à niue, currente lepore.

SIGNVM merum, nullam cum re ſignificatâ propriè includit *ſimilitudinem*, v. g. fumus *reſpectu* ignis.

Sic Angelus, vt & *homo*, Dei *imago*: belluæ autem, & plantæ, *veſtigium* manûs illius; Cœli demum, & ſydera, *ſignum* ipſius omnipotentiæ à nobis poſſunt aliquâ ratione appellari

CAVSALITAS cauſæ exemplaris eſt ASSIMILATIO. Eaque eſt, *vel*

1. PASSIVA, quâ quid alteri euadit ſimile, v.g.

imago, ſuo *exemplari*.

2. ACTIVA (quæ & propriè IMITATIO *dicitur*) eſt influxus actiuus opificis, vt eſt ab exemplari causâ directus, quo prototypi *ſimilitudinem* in opus transfundit.

Vnde illud agens *imitatione* ſuâ, cauſa verò exemplaris *imitatione* ſui, effectum producit.

IMITATIO, dicitur etiam, id quo quid aliud imitari conatur, v. g. *actio* quâ aliquis ſtudet fieri alteri ſimilis. Vnde dicitur IMITATIO *Chriſti*.

DE

CAVSA MATERIALI.

CAVSA MATERIALIS eſt triplex, nempe *in* quâ, *ex* quâ, *circa* quam.

CAVSA MATERIALIS *in quâ* (quæ & ſimpliciter *ſubjectum* appellatur) eſt ea in quâ forma recipitur, v. g. *voluntas*, reſpectu juſtitiæ.

CAVSA MATERIALIS *ex quâ*, eſt *vel*

a. COMPOSITIONIS (quæ & ſimpliciter *materia* appellatur) eſt ea ex quâ aliquid componitur, v. g. *corpus humanum*, ex quo componitur *homo*.

b. EDVCTIONIS, eſt ea ex quâ forma educitur, v. g. *corpus equinum*, ex quo *fit* anima equi, *marmor* ex quo eruitur figura : vnde hæc, *marmorea*, illa verò, *corporea* appellatur.

Formam *educi*, eſt eam produci, & conſeruari *ſubjecto* (in cujus poteſtate continetur) concurrente. Sic *anima equina* ab equino corpore *educitur*; fit

enim ex hujus ſubſtantiâ, in cujus poteſtate continebatur. Hinc labefactatâ ejuſmodi ſubſtantiâ, *animam equinam* deficere neceſſe eſt.

Omne accidens *educi* poteſt è ſubjecto, in cujus poteſtate continetur, v. g. *lumen* ex aëre. Hinc Gratia ſanctificans non propriè ab animâ rationali educitur, ſed in eam infunditur, quia cùm ſit ſpiritalis, in ejus poteſtate non continetur.

Equi *ornamenta*, quia ſunt ſubſtantiæ extrinſecùs accidentes, equo deſinente, non *pereunt*. Pariter, cùm *anima rationalis* ſit ſubſtantia de foris adveniens, corpore pereunte ſubſiſtit.

Omnis materia è quâ forma *educitur*, eſt *ſubjectum*, non viciſſim. Nam corpus humanum, eſt *ſubjectum* animæ rationalis, nec eſt *materia è quâ* educitur; ſic anima rationalis eſt gratiæ *ſubjectum*, non autem eſt ejus *cauſa materialis*: eſt enim *in*, non *ex eâ*.

INFUSIO eſt ſolius *formæ ſpiritalis*: *ſubſtantialis*, putà animæ rationalis: vel *accidentalis*, nempe gratiæ. Hujus infuſio eſt *ſupernaturalis*; illius autem, putà animæ rationalis infuſio, eſt *connaturalis*.

Eductio eſt ſolius formæ *materialis*, vtpotè quæ à ſinu materiæ, ab agente naturali, vel artificiali; v. g. figura, è marmore, à Policleto, eruitur. Hinc differt à generatione Phyſicâ quæ eſt ſolius ſubſtantialis; non autem formæ accidentalis productio.

Infuſio, eſt productio ex nihilo *formæ* recipiendæ in ſubjecto. *Infuſio* formæ accidentalis, putà gratiæ, poteſt dici impropriè *eductio*: licèt enim non pendeat à ſubjecto vt producatur, ab hoc tamen dependet vt conſervetur; non item anima rationalis à corpore. *Eductio* ſupponit ſubjectum è quo forma extrahatur; *infuſio* autem ſubjectum in quo forma recipiatur.

OMNIS *infuſio*, eſt *creatio*, non viciſſim; nam *illa*

eſt ſolius formæ ſpiritalis: *hæc* autem eſt & productio totius; v. g. Angeli. Item, *infuſio*, ſupponit ſubjectum in quo forma recipiatur: *creatio*, non item.

Creatio, eſt è non extantibus: generatio eſt ex extantibus; *Verbi* quippe *Divini* productio, eſt luminis de lumine *generatio*: creata autem eſt è præjacente ſubjecto. Item, *creatio* eſt *Deo* propria; non, *generatio*.

CAUSALITAS *cauſæ materialis* eſt receptio *formæ* in ſubjecto è quo educitur, vel *totius* compoſitio.

Subjecti, præcisè nulla eſt CAUSALITAS: ſed *receptio* formæ, v.g. animæ rationalis reſpectu *corporis*.

CAUSA *materialis* dicitur, non *ſubjectum* reſpectu *compoſiti*, v.g. marmor, ratione *ſtatuæ*; quia ei dat eſſe, nec eam recipit: at eſt cauſa materialis, & ſubjectum figuræ; eſt etiam id in quod agens formam inducit.

CAUSA *materialis circa quam*, eſt OBJECTUM.

DE OBJECTO.

OBJECTUM, eſt id circa quod *potentia cognoſcitiva*, vel *appetitiva*, vtriuſve *facultas motrix*, *habitus*, vel *actio* poteſt occupari.

OBIECTVM eſt, vel

1. Per *accidens*; ſeu quod propter aliud conſideratur, v.g. *vitium*, in Morali, propter virtutem.
2. Per *ſe*, quod ſui gratiâ ſpectatur, eſtque *Totale*, vel *Partiale*.

DE OBJECTO TOTALI.

HIC ſolùm agemus de eo, quod Diſciplinæ cognoſcendum *objicitur*. E quo facilè poterit percipi quicquid ad quodlibet *objectum* pertinere poteſt.

OBJECTUM ADÆQUATUM *Diſciplinæ*, dici-

tur id quod nec latiùs, nec anguſtiùs patet, eſtque *vel*

1. Communitatis, quod prædicatur in recto de omnibus quæ in diſciplinâ conſiderantur, v. g. *ens Phyſicum*, in Phyſicâ: *materia* enim eſt ens Phyſicum, item *quantitas*, aut *cælum*, &c.

2. Attributionis, ſeu id quod in *recto* de ſpeciebus, in *obliquo* autem prædicatur de *cæteris*, putà principiis, cauſis, proprietatibus, & ſpeciebus, quæ in diſciplinâ tractantur. Hinc à quibuſdam *res tractanda*, appellatur.

Definitur id quod primò per ſe conſideratur à Diſciplinâ, & ad quod cætera quæ in eâ tractantur, referuntur vt *principia*, *proprietates*, aut *ſpecies*; v.g. Omne ens ut scibile in Philoſophiâ; hoc quippe ab eâ, *per ſe*, ſive ſui gratiâ conſideratur. Ad ipſum quoque referuntur cætera, tanquam *principia*, *ſpecies*, &ç. Siquidem *actus*, *potentia*; *eſſentia*, *exiſtentia*; *ſignum*, *axioma*; *cauſa*, *effectus*; vnitas, veritas, bonitas; neceſſitas, contingentia: *Deus*, *Angelus*; *ſubſtantia*, & *accidens*, ſunt omnia quæ tractantur in Philoſophiâ: *actus* autem, *potentia*, &c. revocantur ad *ens vt ſcibile*, tanquam Principia; unitas, veritas, &c. vt Proprietates; *Deus*, & *Angelus*, &c. velut Species.

Tres potiſſimùm ſunt illius affectiones, putà, quòd

1. Sit unum, vel vnitate vnivocâ; v. g. *ſanum*, reſpectu artis Medicæ: ſcientia quippe *vnitatem* habet ab *objecto*; cùm ab ipſo ſuam habeat *eſſentiam*.

2. Cætera ad ipſum revocentur, vt *principia*, *ſpecies*, vel *proprietates*.

3. Constituat *diſciplinam* in ſe, & *eam diſtinguat à cæteris*, objectum enim totale eſt inſtar eſſentiæ: continet enim objectum *materiale* & *for-*

Digitized by Google

male: hoc autem eſt conſtitutivum *diſciplinæ* in ſe, & diſtinctivum illius à cæteris.

Intellectionis notionalis Patris nec *finis*, aut *exemplar* eſt: ſed *objectum*, putà *eſſentia Divina*. Cujuſvis creaturæ *finis* eſt, & *exemplar*. Solius ferè potentiæ *cognoſcitivæ*, vel *appetitivæ* eſt *objectum* cujus eſt *differentia*, non finis, aut exemplar. In diſciplinis quæ nullum relinquunt opus poſt ſe, idem eſt finis & objectũ: hoc in aliis eſt res contẽplanda, vel producenda.

DE OBJECTO PARTIALI.

OBJECTUM *partiale* eſt pars objecti totalis; eaque eſt SUBJECTIVA, vel ESSENTIALIS.

PARS ſubjectiva eſt SPECIES objecti totalis, vel

1. NOBILISSIMA, ſeu *objectum primarium* (v. g. Deus in Metaphyſicâ.)

2. MINUS *nobilis*, ſeu *objectum ſecundarium*, (v. g. Angelus in Metaphyſicâ.)

Perperam *objectum* cum *ſubjecto* confunditur: (corpus enim vt ſanabile, eſt *objectum* Medicinæ; *Intellectus* verò *humanus* eſt ejus *ſubjectum*.) pariter, malè *objectum ſecundarium* & *objectum per accidens* promiſcuè vſurpantur; Angelus enim eſt *objectum ſecundarium* Metaphyſicæ, non objectum *per accidens*.

PARS eſſentialis, eſt vel OBJECTUM

1. MATERIALE, ſeu id quod eſt commune pluribus diſciplinis, v. g. *omne ens*, reſpectu Philoſophiæ, Theologiæ, &c. Hocque, vel ſpectatur

a. *Immediatè* à diſciplinâ, (v. g. *oratio* in Logicâ, vel Rhetoricâ) eſtque *objectum materiale proximum*.

b. *Mediatè*, (v. g. res omnes in Rhetoricâ *mediante* oratione) eſtque *objectum materiale remotum*.

2. FORMALE, ſeu *ratio ſub quâ* conſideratur *objectum materiale* in diſciplinâ, v. g. *ſcibilitas*, in Philoſophiâ.

In

In practicis dicitur quòque *forma, quàm diſciplina introducere nititur in obiectum ſuum materiale*, v. g. figura, in *marmore*, reſpectu ſtatuariæ.

* Obiectum *materiale*, eſt commune pluribus diſciplinis, v. g. *oratio*, Grammaticæ, Poëticæ, Rethoricæ, Logicæ, &c. at obiectvm *formale*, eſt vni peculiare, v. g. *congruitas orationis*, ſoli Grammaticæ.

Obiectum *formale*, deſignatur his particulis *vt*, *prout*, *in quantùm*, *quatenus*, &c. Sic

Phyſica			Naturale.
Mathematica	ſpectat corpus	*vt*	Menſurabile.
Medicina			Sanabile.

TERMINVS actionis ſemper ab actione producitur; *obiectum* verò, non item, *color* quippe eſt *obiectum* viſionis, nec ab ipsâ *producitur*.

HINC *ædificium* vt ab architecto productum, eſt potiùs *terminus* ædificationis, quàm eius *obiectum*; *verbum* autem mentis per cognitionem reflexam conſideratum, vel *phantaſma* quod quis ſpeculatur, ſunt *obiectum*, non *terminus* mentis; quia tunc ab ipsâ per *actionem* non producuntur.

DEINDE *obiectum* eſt ſolius agentis cognitione præditi, *terminus* autem eſt cuiuſlibet agentis. Sic *frigus* dicitur *terminus* refrigerationis, cuius tamen nullum eſt *obiectum*.

Hinc actio ſumitur TERMINATIVè, ſeu ſecundùm *terminum*; vel OBIECTIVè ſeu ratione *obiecti*. Sic viſio OBIECTIVè, eſt *obiectum* viſionis; puta *lumen*; TERMINATIVè autem eſt viſio ſpectata ſecundùm ſuum *terminum*, putà ſecundùm *ſpeciem* à viſu *expreſſam*.

POTENTIÆ, & *habitus* ſpecificantur ab *obiectis*

(*formalibus*, vel *adæquatis*.) Sic *auditus*, eſt ſenſus talis ſpeciei per reſpectum ad *ſonum*; Etenim ſe habet *obiectum* (*formale*, vel *adæquatum*) ad potentiam, vel habitum, vt *differentia* eſſentialis ad ſpeciem.

Nulla *potentia*, vel *habitus* ferri poteſt extra latitudinem obiecti ſui ſpecificatiui. Sic *auditus* nequit percipere quicquam præter *ſonum*; Si enim, v. g. poſſet percipere *colorem* eſſet *viſus*: at *auditus* nequit eſſe *viſus*; eſſentiæ enim rerum ſunt *immutabiles*.

Talis eſt ordo *ſcientiarum*, qualis eſt ordo *obiectorum*; dignitas quippe *ſcientiæ*, ſequitur nobilitatem *obiecti*; ab ipſo quippe habent perfectionem à quo habent ſuum eſſe; perfectio quippe eſt bonitas: at res habet bonitatem à quo habet eſſe: porrò ſcientiæ habent ſuum eſſe ab *obiecto*; ab iis quippe *ſpecificantur*, ſeu habent ſuam ſpeciem: at ſpecies eſt *eſſe* rei.

DE

CAVSA FORMALI.

OMNE tulit punctum in ſcientiis qui nouit rerum eſſentias, conſequenter enim noſcit earum proprietates quæ, & ex eſſentiis manant, & per definitiones demonſtrantur. Quamobrem cum *hic* principia vniuerſalia attingamus, quæ ad potiſſimam eſſentiæ partem ſpectant, ideoque hæc diligenter ſunt addiſcenda.

* *CAVSA formalis* dicitur reſpectu effectus;

forma verò ratione ſubjecti; ſic *anima rationalis* eſt *cauſa formalis* reſpectiuè ad *hominem*; ei quippe dat eſſe; *forma* autem per ordinem ad *corpus humanum*; in eo quippe recipitur.

CAVSA *formalis* eſt ea per quàm res eſt id quod eſt, & à cæteris diſtinguitur, v. g. *anima rationalis*; Eſt enim principium hominis *conſtitutiuum* in ſe, & *diſtinctiuum* illius à cæteris.

Dei nulla eſt *forma*; Deus quippe eſt eſſentialis, & ſubſiſtens pulchritudo: at hæc eſt ipſa eſſentialis forma.

Eſſentia eſt *forma* completa entis creati: at huius non eſt cauſa formalis; non enim realiter ab ente creato diſtinguitur, v. g. humanitas reſpectu hominis.

CAVSA formalis inadæquata entis per ſe

1. METAPHYSICI, eſt eius *differentia eſſentialis*, v. g. dependentia *reſpectu* creaturæ.

2. PHYSICI, eſt forma ſubſtantialis, cum materiâ corpus naturale conſtituens, v. g. *anima*; reſpectu *viuentis*.

CAVSA formalis TOTIVS

1. PHYSICI *coaleſcentis ex ſubiecto*. & *accidente*, eſt ipſum accidens, v. g. *forma* frigidi eſt frigus; *cauſa formalis* albi, eſt albedo. Hinc *forma* concreti, eſt *abſtractum*, v. g. *forma* ſancti, eſt ſanctitas; *forma* hominis, eſt *humanitas*. Vnde hæc dicendi ratio, *formaliter*, & *praeisè*.

2. PER CONTIGVAM VNIONEM, vel *per aggregationem*; eſt debita illius partium diſpoſitio ad proprium finem. Sic *forma* domûs, eſt diſpoſitio fundamenti, parietum, & tecti, idonea ad commodam habitationem. *Forma* exercitûs eſt ordinata acierum diſpoſitio ad reportandam victoriam.

3. PER CONTINVITATEM, eſt eius *figura*. Sic *forma* ſtatuæ Iouis, eſt *figura* huiuſce repræſentatiua. *Forma* clauis, eſt huius *figura* apta ad reſerandas ſeras.

CAVSALITAS *cauſæ* formalis, eſt *informatio actiua*, ſeu communicatio formæ ſubiecto, v g. *communicatio* animæ rationalis corpori humano. *Receptio* verò eiuſdem animæ à corpore eſt *cauſalitas* corporis.

FORMA *dat eſſe rei* (idque per antonomaſiam) quippe quæ det ei eſſe INTRINSECVM, & PROPRIVM; putà anima, *viuenti*; ipſum enim *conſtituit* in ſe, & *diſtinguit* à cæteris.

Materia dat quidem *eſſe* INTRINSECVM, ſed *commune*; reliquæ verò cauſæ dant *eſſe intrinſecum*: at *proprium* bonum magis cenſetur eſſe noſtrum, quàm *commune* bonum, & *hoc* quod in nobis eſt, quàm quod eſt extra nos. Quamobrem rectè dicitur ſimpliciter à philoſophis FORMA DAT REI.

DIVISIO FORMÆ.

FORMA vt cauſat eſt, *vel*

1. *INTRINSECA*, quæ ſcilicet dat *eſſe intrinſecè*, vel

a. SECVNDùM *quid*, v. g. albedo, *parieti*, nempe quod ſit *albus*. Eſtque *forma* accidentalis.

b. SIMPLICITER, v. g. anima rationalis, homini; eſtque *forma* informans ſubſtantialis.

2. *EXTRINSECA*. Hæcque vel

a. DAT *eſſe extrinſecè*, *& moueri*, v. g. Deus, creaturis; vel *dat moueri tantùm*, v. g. nauta *naui*; & vtraque

vtraque prædicta eſt FORMA ASSISTENS.

b. DETERMINAT *agens ad certum effectum*, v. g. vultus regis, ad ſuiipſius imaginem, & eſt *cauſa exemplaris*. Vnde hæc, *forma* appellatur.

* Omnis forma informans *dat eſſe*, & *moueri*, non viciſſim; nam Deus *dat eſſe* creaturæ, & *moueri*, nec eſt eius *forma informans*, non enim eſt in creaturâ vt pars illius conſtitutiua.

Vnde perperam Deus appellatur *anima mundi*; niſi fortè ita vocetur; quia eſt huius *forma aſſiſtens*. Sicut à quibuſdam, cœli dicuntur *animati*, quòd ab *Intelligentijs* moueantur.

COROLLARIVM.

CAVSA finalis mouet FINALITER, ſeu vt id cuius gratiâ.

Efficiens, EFFICIENTER, *ſcilicet* vt id à quo eſt effectus.

Exemplaris, EXEMPLARITER, *nimirùm* vt id ad cuius ſimilitudinem aliquid efformatur.

1. *Materialis*, MATERIALITER, *ſcilicet* vt id ex quo aliquid componitur.

2. *Formalis*, FORMALITER, *ſeu* vt id per quod aliquid conſtituitur in ſe, & à cæteris diſtinguitur.

COMMODA *habitatio*, v. g. eſt id cuius gratia fit *domus*, ab architecto, ad ſimilitudinem alterius, ex lapidibus, per debitam fundamenti, parietum, & tecti diſpoſitionem.

* Eadem *actio*, prout eſt alicuius gratiâ dicitur *motio metaphorica*; quatenùs eſt ab efficiente vocatur *effectio*; prout autem eſt ab exemplari nuncupatur *aſſi-*

milatio; in quantùm eſt à causâ formali, *informatio* denominatur. Denique vt eſt à causâ materiali, *receptio*, ſeu *informatio paſſiua*, appellatur.

FORMALITER præſertim dicitur

1. PROVT *opponitur ei*, quod alicui ineſt virtualiter, vel eminenter *de quo* pag. 66.

2. ESSENTIALITER; ſic animalitas ineſt *formaliter* homini; quia ipſi ineſt *eſſentialiter*; eſſentia quippe eſt *forma* totius.

3. QVOD *ſecundùm formam* ſpectatur. Sic album *formaliter*, eſt ipſum ſecundùm *formam*, putà penès *albedinem*, conſideratum.

MATERIALITER ſpectari, eſt ſumi ratione *ſubiecti*, vel *materia*; ſic paries, v. g. eſt *album* materialiter; corpus humanum eſt *homo* materialiter.

INESSE *identicè*, eſt vnum alteri *identificari*, ſeu eſſe vnum, & idem cum ipſo, vel RATIONE

1. SVI, cum duo ſunt vna, eademque entitas; Sicut *animalitas*, & *rationalitas*, ſunt vna eademque *humanitas*.

2. SVBIECTI, quæ ſcilicet habent idem *ſubiectum*; Sic albedo, & dulcedo in lacte *identificantur*. Vnde album, & dulce ſunt quid *idem* in lacte.

* Quicquid ineſt *eſſentialiter*, ineſt *identicè*, non viciſſim; nam animalitas ineſt *identicè* rationalitati, non verò *eſſentialiter*; hæc enim concipi poteſt ſine animalitate, necnon per accidens eſt *animali*, quòd ſit *rationale*.

TRACTATVS TERTIVS.

DE PROPRIETATIBVS ENTIS VNIVERSIM.

PROPRIETAS eſt *accidens neceſſariò*, & *inſeparabiliter* manans ab eſſentiâ rei, v. g. *vis admirandi* reſpectù hominis; *nam*

VIS *admirandi*, eſt accidens *hominis*; quia non eſt de hujus eſſentiâ: at quicquid non eſt de eſſentiâ, à metaphyſicis, *accidens* appellatur.

ITEM, *vis admirandi* neceſſariò manat ab hominis *eſſentiâ*; hæc enim ſine illâ realiter eſſe non poteſt.

DEMVM *vis admirandi* manat inſeparabiliter ab hominis *eſſentiâ*; etenim ſine hâc eſſe non poteſt.

Hinc proprietas dicitur *affectio*; quia concipitur à nobis vt quid *eſſentiam* afficiens

VNDE *proprietas*, differt ab accidente communi quòd illa neceſſariò inſit tum ex parte ſui, tum ex parte ſubjecti; v. g. *vis admirandi*, reſpectu hominis. (Quamobrem proprietas nec latiùs, nec anguſtiùs patet quàm res cujus eſt proprietas; Ideoque inter ſe reciprocantur.) Accidens autem commune, vel ineſt *neceſſariò* tantùm ex PARTE

1. SVI, v. g. *grammatica* reſpectu hominis. Non enim illa poteſt eſſe ſine homine: at *hic* poteſt eſſe ſine *grammaticâ*.

2. Svbiecti, v. g. *albedo*, reſpectu eboris; ebur enim eſt *neceſſariò* album: at hoc non eſt *neceſſariò* ebur.

In Deo nulla eſt *proprietas*, cum in Dei entitate nihil dici poſſit *accidens*. Vnde perfectiones quæ cogitantur à nobis diuinam ſequi eſſentiam; putà immenſitas, infinitas, &c. à Theologis, *attributa*, non *proprietates* appellantur.

Amor non eſt *proprietas* cognitionis, quia non neceſſariò manat à cognitione; ex hâc enim poteſt odium ſequi.

Quamuis poſitâ intuitiuâ Dei viſione neceſſariò, & inſeparabiliter ſequatur *amor fruitiuus*; non tamen eſt illius *proprietas*; non enim à cognitione emanat, nec ipſi immanet: ſed eſt contingenter à voluntate, ipſique inhæret.

DIVISIO PROPRIETATIS.

PROPRIETAS entis eſt, *vel*

1. Simplex, quæ vnico effertur vocabulo, & ſine diſiunctione cum ente reciprocatur, eſtque

a. Primaria, quæ nullam ſupponit ante ſe; puta *vnitas*, *veritas*, *bonitas*.

* Triplex eiuſmodi *proprietas*, ſic probari poteſt, omne ens eſt indiuiſum in ſe, ſicque eſt *vnum*, vel conforme cum ſuis principiis, vel cum re ſignificatâ; tuncque eſt *verum*. Denique eſt perfectum, atque perfectiuum, & eſt *bonum*.

b. Secvndaria, quæ aliam præſupponit, v. g. *intelligibilitas*, quæ veritatem; *optabilitas*, quæ bonitatem ſupponit.

2. *COMPLEXA*, ea eſt quæ pluribus effertur vocabulis, nec ſine diſiunctione cum ente reciprocatur, v. g. *contingens*, & *neceſſarium*; etenim non omne ens, eſt *contingens*; Deus enim eſt ens, nec eſt contingens; nec omne ens eſt *neceſſarium*; nam creatura eſt ens, nec eſt quid *neceſſarium*: at omne ens eſt *neceſſarium*, vel *contingens*, & viciſſim, omne neceſſarium, vel contingens eſt ens.

DE SIMPLICIBVS ENTIS PROPRIETATIBVS.

DE VNITATE.

PRIVS agimus de *vnitate*, quàm de *veritate*, & de *hâc*, quàm de *bonitate*; ſiquidem abſoluta priora ſunt relatiuis: at *vnitas* eſt quid abſolutum; per eam enim res in ſe eſt indiuiſa: *veritas* & *bonitas*, ſunt quid relatiuum: *illa* per ordinem ad *intellectum*; *hæc* verò per reſpectum ad *voluntatem*: intellectus autem priùs agit, quàm voluntas. Vnde ſicut *intellectus* prior eſt *voluntate*, ſimiliter *veritas*, prior eſt *bonitate*.

VNITAS præſertim eſt.

1. INDIVISIONIS, quæ ſimpliciter VNITAS appellatur, eſtque *indiuiſio rei in ſe, & diuiſio a quolibet alio.*

VNVM eſt *indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio*; ſic Petrus eſt *vnus* homo; quia eſt *indiuiſus* in ſe, & *diuiſus* à quovis alio; qui ſi in plura diuideretur, non eſſet ampliùs Petrus, nec eſſet ampliùs *ens*, ſed *multa* entia.

Digitus non eſt quid *vnum*, quia non eſt à manu *diuiſus*. Vnde cum *vnitas* ſequatur ens digitus propriè non eſt *ens*, *ſed pars entis*.

Exercitus, etſi ab alio diuiſus, non eſt quid *vnum*, quia in multos milites diſtribuitur. Hinc propriè non eſt *ens*; ſed *multa*; ſeu vnum per accidens *de quo infra*.

* QVOD eſt indiuiſum in ſe, eſt vel *indiuiſibile*, v. g. Angelus, vel *diuiſibile*, v. g. homo. *Hoc* magis diſtat ab ente quàm *illud*; quia magis accedit ad non eſſe; omne quippe *diuiſibile* poteſt diuidi, ſeu deſinere eſſe, *indiuiſibile* verò,non item.

2. CONFORMITATIS, ſiue CONVENIENTIÆ; conuenire enim, eſt multa in *vnum venire*. Hæc VNITAS eſt, *vel*

a. ANALOGIÆ, v. g. *vnitas* quâ pharmacum, vrina, animal, dicuntur quid *vnum*; quia aliquâ ratione, in *ſanitate* conueniunt.

b. VNIVOCATIONIS, quâ dicuntur *vnum*, quæ eâdem planè ratione conueniunt. *Hacque* eſt, vel

1. *Generica*, quâ multa ſunt *vnum* genere, v. g. *homo*, & *brutum*, reſpectu animalis.

2. *Specifica*, quâ multa conueniunt ſpecie infimâ, v. g. Petrus, & Paulus in *humanitate*.

Vnitas numerica, eſt VNITAS INDIVISIONIS *de quâ plura in logicis*.

Vnitas	[Opponitur {	Multitudini.
Vnio		Diuiſioni.
Identitas		Diſtinctioni.
Simplicitas		Compoſitioni.

VNITAS, quæ eſt principium numeri, opponitur *multitudini*, ſeu numero, vt menſura, menſu-

rato; numerus enim eſt *multitudo menſurata per vnum*.

V N I T A S quæ conuertitur cum ente opponitur multitudini, vel *vt*

1. *Negationi*, v. g. vnitas *Angeli*, reſpectu *multitudinis* Angelorum.

2. *Priuationi*, v. g. vnitas hominis, multitudini ſuarum partium; habent enim aptitudinem vt fiant vnus homo, putà corpus, & anima rationalis.

Ratio eſt; quia *indiuiſum*, diuiſo opponitur vt negationi, aut priuationi; vt patet ex modò allatis exemplis: at *vnitas* ſe habet ad *multitudinem*, vt indiuiſum, ad diuiſum

M V L T I T V D O, ſeu numerus, eſt *vnitatum aceruus*, v. g. ouium multiplicitas. *Hæc* fit, vel

1. *Diuiſione*, v.g. cum charta in fruſta diuiditur, fit *multitudo* partium.

2. *Effectuum productione extra cauſas*. Sic creaturarum *multiplicitas* oritur earum extra Deum productione.

DE VERITATE.

VERITAS eſt æterna, ideòque iure merito de *antiquitate* contra mendacium gloriatur, eique tandem laruam adimit; ipſa etenim nunquam latet, *ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος*. Anxia profectò, & laborioſa eſt erroris deffenſio, amphractuoſa eſt, & deuia quæ ducit ad falſitatem via. Rectum verò, & ſimplex iter quod ad veritatem adducit, *ἁπλοῦς ὁ λόγος τῆς ἀληθείας ἔφυ*. Iucunda eſt veritatis inquiſitio, iucundior inuentio, iucundiſſima

verò inuentæ propugnatio. Error, vt potè *laruata veritas*, nouitatis fuco credulos, facillimè capit, & decipit. Vnde cautè aduertas, quòd quemadmodum chryſtallo *tranſparentia*, & *fragilitas*, ſic & falſitati pretium dant *apparentia*, & *nouitas*, nouitatem verò, *ſuperbia*, & ſuperbiam ingenerat *ignorantia*; quamobrem propter *vanitatem*, ne deſeras *veritatem*.

VERITAS eſt REI, vel SIGNI.

VERITAS rei, eſt *aut*

1. INCREATA, ſeu *ipſa eſſentialis veritas*, putà Deus.

2. CREATA, eſt *conformitas rei cum ſuis principijs*; ſic aurum obryſum eſt *verum*; quia in eo eſt pondus, color, ſonus, ductilitas malleo, reſiſtentia flammis, & ſimilia auri principia.

VERITAS *ſigni*, eſt eius conformitas cum re ſignificatâ, v. g. *conformitas*, hederæ præ foribus, cum vino vænali. Eſtque præſertim *ſermonis*, vel *operis*. De illâ in compendio Logicæ. *Hæc* autem eſt *conformitas operis cum principio ſua rectitudinis*; Sic artefactum eſt verum, dum eſt conforme Regulis artis.

VERVM IN

1. DIVINIS, eſt *ipſa ſubſiſtens* VERITAS.

2. CREATIS eſt, vel *verum*

a. *Veritate* rei, ſeu conforme cum ſuis principijs, v. g. verus amicus eſt, qui conformis eſt cum principijs veri amici.

b. *Veritate* ſigni, eſt id quod conforme cum re ſignificatâ, v. g. ſtatua Henrici Magni.

VERISIMILE, eſt quid veri ſimilitudinem referens. Quale eſt quod in parabolis narratur; taliter enim eſſe poteſt, qualiter eſſe dicitur.

INTELLIGIBILE, eſt quod intellectu poteſt percipi. Omne *intelligibile* eſt *verum*, & viciſſim. Hinc

Digitized by Google

non eſt verum quòd aliquid ſit *actu eſſentiæ*, & non ſit *actu exiſtentiæ*, id enim intelligi nequit.

INTELLIGIBILITAS, eſt id quo poteſt aliquid mente percipi. *Hæc* ſequitur veritatem; veritas, entitatem. Quapropter quò quid eſt magis *intelligibile*, magis eſt, *verum*, & quòd maximè eſt *intelligibile*, eſt maximè *verum*; ſicque eſt maximè ens, & viciſſim. Idem dicas de *vno*, & *bono*.

INTELLIGIBILE eſt, *vel*

Realiter. [*vel* { in ſe, *ſeu* quoad ſe.
Apparenter. nobis.

INTELLIGIBILE *realiter*, eſt id quod ſine mentis deceptione tanquam *verum* apprehenditur, v. g. quod ſit Deus.

INTELLIGIBILE *apparenter*, eſt id quod habet laruam veri, v. g. *hæreſis*.

INTELLIGIBILE *quoad ſe*, eſt quod eſt in ſe verum.

* Quod magis eſt *intelligibile in ſe*, eſt minùs *intelligibile nobis*; noſter enim intellectus eſt ad aliorum mentem, vt *viſus* noctuæ ad viſum aliorum animalium; & *intelligibile*, eſt vt *viſibile*: at quod maximè eſt *viſibile* in ſe, putà *ſol*, eſt MINIMÈ *viſibile* viſui noctuæ; ſic quod eſt maximè *intelligibile in ſe*, nimirum Deus, eſt minimè *intelligibile nobis*. Vnde rectè philoſophorum principi, ſe habet noſter *intellectus* ad Deum, vt *oculus* noctuæ ad ſolem.

INTELLIGIBILE *nobis*, dicitur quod eſt noſtro ſenſui familiare. Sic *corpus hominis* faciliùs cognoſcitur à nobis, quàm *anima rationalis*; creatura, quàm Deus. Hinc ſenſibiliora, ſunt nobis notiora.

Veracitas eſt virtus moralis inclinans ad ſemper

verè dicendum. Huic opponitur

Habitus mentiendi, ſeu dicendi voce aliter, quàm mente conceperis.

DE FALSITATE.

IGNARVM VVLGVS *ſenſu*, & *paſſione* regitur; SAPIENS verò *intellectu* ducitur, & *ratione*. Hinc illud ſolùm rerum *apparentias* percipit, hic & earum *eſſentias* comprehendit; cum autem aliud ſit *eſſe*, & aliud *apparere*; alia videntur *vulgo*, alia *ſapientibus*. Vnde quemadmodum aquilæ *viſus* lucis ſplendore recreatur, & illuſtratur; eoque *oculus* noctuæ læditur, & obcœcatur: ſic ſtolidos, *falſitas*; ſolidos verò animos ſola delectat *veritas*.

FALSITAS eſt REI, vel SIGNI; tot enim modis dicitur vnum oppoſitorum, quot modis dicitur, & alterum.

FALSITAS *rei*, eſt huius difformitas cum principijs eius cuius ſpeciem præ ſe fert, v. g. *hæreſis*.

FALSVM *falſitate rei*, eſt quid difforme cum principijs rei cuius ſpeciem præ ſe fert; ſic *adulator*, quia præ ſe fert ſpeciem amici, eſt *falſus amicus*: at infenſiſſimus inimicus, (quia nullam amicitiæ laruam habet) nullatenus *falſus amicus* exiſtimatur.

* Falſitas deſtruit ens, *falſa venditio*, non eſt venditio, ſed fraus, ſed dolus; *falſa religio*, non eſt religio, ſed ſuperſtitio, vel hypocriſis.

FALSITAS ſigni, eſt difformitas ſigni, cum re ſignificatâ, v. g. ſi quis dicat duos eſſe ſoles.

4. Conſtat nos vno modo verum dicere; infinita

autem via eſt quæ ad falſitatem diſturbat ; veritas eſt in indiuiſibili, falſitas eſt diuiſibili , & infinito implicata flexu ; veritas eſt rectitudo ſermonis ; falſitas verò eſt eiuſdem obliquitas : at via recta eſt vnica , obliqua verò eſt infinita.

FALSVM falſitate ſigni, eſt quid difforme cum re ſignificatâ ; ſic hedera appenſa præ foribus, vbi nullum eſt vinum vænale, eſt *falſum ſignum.*

DE BONITATE.

BONVM eſt multiplex, ſed præſertim eſt, *vel*

Abſolutum, relatiuum. *Reale*, *apparens.* In omni, *vel* aliquo genere	*Independens*, *dependens.* Metaphyſicum , Phyſicum, Morale, artificiale.

BONVM abſolutum (perfectum, ſeu *bonum in ſe)* eſt id cui nihil deeſt eorum quæ ad ipſius rationem ſpectant. *Sic* aurum dicitur *Bonum* cui inſunt color, ſonus, pondus, malleo ductilitas, reſiſtentia flammis, & ſimilia auri principia.

BONITAS *abſoluta* eſt, *vel*

1. INCREATA, ſeu bonitas per eſſentiam ; *nempe* bonitas Dei.

2. CREATA , eſt *integritas* perfectionum creaturæ debitarum ; ſeu *complexio* eorum quæ ad creaturæ complementum requiruntur. Sic bonitas actionis humanæ, eſt complexio ex laudabili obiecto, legitimo fine, omnibuſque circunſtantiis ei debitis.

BONITAS *abſoluta* vocatur PERFECTIO. Hæcque eſt, *vel*

1. SIMPLICITER *ſimplex*, quæ *omnem excludit imperfectionem, & oppoſitionem cum maiori, aut æquali perfectione*, ſeu quæ in vnâquâque re, melior eſt ipſa, quàm non ipſa, v. g. ſapientia.

2. SIMPLEX, quæ *omnem excludit imperfectionem, non verò oppoſitionem cum aliâ ſibi æquali*; v. g. paternitas diuina, habet enim oppoſitionem cum filiatione verbi æterni.

3. SECVNDÙM *quid*, quæ *includit imperfectionem*, v. g. ambulare, quòd limitationem importat; putà pedes, &c.

BONITAS iterum eſt, vel in *genere*

1. *Entis*, quæ eſt ABSOLVTA, de quâ hìc agimus, vel RELATIVA, *de quâ paulò infra.*

2. *Moris*, eſt quæ Conducit ad rationem meriti, v. g. Dei Charitas, quâ in hâc vitâ maximè ad noſtram fœlicitatem promouemur.

* Priùs eſt aliquid eſſe perfectum in ſe quàm in ordine ad aliud. Etenim perfectum huiuſmodi dat perfectionem: at priùs eſt habere in ſe perfectionem, quam eam alteri largiri.

IMPERFECTVM, eſt quod caret perfectione. Eſtque, *vel*

1. IMPERFECTVM priuatiuè, quod caret perfectione requiſitâ, v. g. profeſſor philoſophiæ, ignarus artis ſyllogiſticæ.

2. IMPERFECTVM negatiuè, *eſt* quod caret indebitâ ſibi perfectione. Seu quod non poſſidet omnem omninò perfectionem, v. g. angelus; Nec enim habet omnipotentiam.

HINC *defectus* eſt *priuatiuus*, ſeu priuatio, vel *negatiuus*, ſeu negatio; ille ſolùm officit perfectioni creaturæ, hic verò perfectioni Dei, non autem creaturæ repugnat.

Digitized by Google

Abſentia perfectæ cognitionis rerum naturalium eſſet *defectus priuatiuus* in intellectu angelico, eiuſmodi quippe perfectio ei debetur: at abſentia virtutis compræhenſiuæ inſcrutabilis eſſentiæ Diuinæ, in angelo eſt *defectus negatiuus*; ea enim ipſi non debetur; Deo autem (cum ſit entis totalitas) omnis perfectio debetur. Vnde non ens ab eius eſſentiâ infinitè exulat.

BONVM *relatiuum*, eſt quid alterius perfectiuum, ſeu quid alteri communicatiuum perfectionis, v. g. aqua, piſcibus.

* Quodlibet *Bonum relatiuum* non eſt cuilibet *bonum*; nam calor eſt congruus *igni*; noxius *aquæ*. Solus Deus omnibus eſt conueniens; eſt enim omnia in omnibus.

BONITAS *relatiua*, eſt virtus perfectiua alterius, v. g. *virtus* aquæ *refrigeratiua*, & *humefactiua* piſcium.

BONVM *realiter*, ſeu *verum bonum*, eſt id quod tale, aut præſtantius eſt, quàm nobis apparet, v. g. *virtus*; eſt enim præſtantior quàm ipſa nobis videtur.

BONVM *apparens*, eſt malum reuerà, apprehenſum vt bonum, v. g. *furtum*: etenim rapina ſe habet ad diuitias, vt fel ad condimentum.

BONVM *in omni genere*, (independens, ſeu per *eſſentiam*) eſt id quod continet omnia bona. Qualis eſt ſolus *Deus*. Hinc dicitur ſummum bonum.

BONVM *in aliquo genere* (dependens, ſeu per *participationem*) eſt bonum precarium; boni participatio. Qualis eſt omnis *creatura*. Hocque bonum videtur perfectum, cum habet *principium*, *medium*, & *finem*; putà cum agens, v. g. habet *eſſe*, *poſſe*, *agere*.

Digitized by Google

BONVM creatum, conſiſtit *in*

Menſurâ		*modo*	*quo determinetur.*
Numero	[ſeu	ſpecie	quâ in ſe conſtituatur.
Pondere		*ordine*	*quo tendat in finem.*

Sic homo habet ſuæ entitatis *menſuram*, & *modum*, quo ipſe limitetur; necnon *ſpeciem*, ſeu *eſſentiam*, quæ eſt inſtar numeri; putà humanitatem, per quam in ſe conſtituatur; tum inclinationem quâ, veluti *pondere* ad optatam ſuæ quietis ſtabilitatem ordinetur; *menſura* quippe cuilibet rei *modum* præfigit; *numerus*; *ſpeciem* præbet; *pondus*, denique rem ad quietem, & ipſius ſtabilitatem trahit.

	Metaphyſicũ		enti, vt eſt ens.
Bonũ	Phyſicum	[eſt propriũ	corpori vt naturali.
	Morale		moribus.
	Artificiale		operibus artis.

BONVM ſumitur.

1. Entitativè, eſtque res ipſa bona, v. g. *virtus*.

2. Svbiectivè, ſeu *materialiter*, eſtque ſubjectum bonitatis, v. g. *voluntas*.

3. Formaliter, eſtque forma boni; v. g. *honeſtas virtutis*.

BONI prærogatiuæ ſunt

1. Plenitvdo (perfectio, ſeu integritas) quâ ab *inanitate*, ſeu *vanitate*; tum à leuitate, ſeu exiguitate diſtat.

2. *Firmitas*, quâ ab inſtabilitate, ſeu inconſtantiâ dimouetur.

3. *Iucunditas*, quâ à moleſtiâ ſeiungitur. Illa eſt *actio ſecundùm naturam*; vel actionis condimentum.

Delectatio, eſt voluptatis perceptio.

Digitized by Google

4. *Puritas*, quâ à mali mixtione diſſidet.

Nemo bonus niſi ſolus Deus; ſolus enim habet has omnes bonitatis prærogatiuas.

BONI *proprietates* ſunt

1. Suiipſius diffuſio.
2. Conuenientia.
3. Optabilitas, ſeu appetibilitas.
4. Appetitûs ſatietas.

BONVM eſt ſui *diffuſiuum*, ſeu perfectionis communicatiuum.

Quapropter eſt alteri conueniens, eſt & optabile; & perfectum in ſe; priùs enim eſt aliquid eſſe perfectum in ſe quàm in ordine ad aliud; nam eſſe perfectum in ordine ad aliud, eſt ipſi perfectionem largiri: at *nemo dat quod non habet.*

CONVENIENS hìc, eſt quid habens perfectionem alterius indoli conſentaneam, v. g. aër, auibus; eſt enim ſuâ caloris, & humiditatis temperie eorum naturæ conſeruatiuus; *ſimile* quippe *ſimili conſeruatur.*

APPETIBILE, ſeu optabile, eſt quidquid aptum natum eſt ſui deſiderium excitare, v. g. fœlicitas.

APPETITûs *ſatietas*; eſt id per quod appetitus ita continetur, vt nihil ipſi reſtet vlteriùs deſiderandum.

Bonum ex integrâ causâ, *malum* ex quocumque defectu; *bonitas* enim eſt rei perfectio, & integritas: Malitia verò defectus, ſeu imperfectio.

DE MALITIA.

MALVM eſt abſolutum, vel relatiuum.

MALVM abſolutum (imperfectum, ſeu quid *deficiens*) eſt id cui deeſt aliquid eorum quæ ad eius naturam requiruntur; ſic *aurum* dicitur malum, cui deeſt pondus, vel color, aut quid ſimile; & quò plura ei deſunt, eò eſt quid imperfectius.

MALITIA *abſoluta* (imperfectio, ſeu *defectus*) eſt carentia debitæ perfectionis, v. g. abſentia frigoris in aquâ.

MALVM *relatiuum* (noxium ſeu *malum cauſaliter*) eſt quid priuatiuum perfectionis, v. g. *calor*, reſpectu aquæ.

MALITIA *relatiua*, ſeu *diſconuenientia*, eſt priuatio conuenientiæ; ſic malitia reſpectu aquæ eſt priuatio perfectionis, quam aqua, ſi frigus adeſſet, perciperet.

* Malum relatiuè, non eſt cuiuis malum; licet enim calor ſit noxius aquæ, eſt tamen proficuus igni.

* Malum inquantùm malum, nihil eſt; malus amicus non eſt amicus, ſed adulator, aut traditor.

MALVM ſumitur, *vel*

1. *Entitatiuè*, eſtque res ipſa mala, v. g. vitium, peccatum.

2. *Subiectiuè*, ſeu *materialiter*, eſtque ſubiectum malitiæ, v. g. voluntas.

3. *Formaliter*, eſtque forma mali; Scilicet *malitia*.

DE

DE COMPLEXIS

Proprietatibvs Entis.

COMPLEXÆ entis proprietates præſertim ſunt

Purum, non purum.	Abſolutum, relatiuum.
Simplex, compoſitum.	Contingens, neceſſarium.
Totum, pars.	Idem, diuerſum.
Finitum, infinitum.	

Pvrvm, ſeu *merum* dicitur, id quod eſt expers alienæ naturæ, (præſertim oppoſitæ.) Sic voluptas expers doloris, eſt pura.

Non-pvrvm, (*non putum*, ſeu *non merum*) eſt quid expers alienæ naturæ; *ſic* voluptas quæ percipitur ex comeſtione, non eſt pura; habet enim comitem famis dolorem, optimum enim cibi condimentum, fames.

* *Non-purum*, malè confunditur cum *mixto*; nam aurum obryſum, eſt mixtum, nec eſt *non-purum*.

Frigus cum *calore* in aquâ tepidâ, non eſt aliquod mixtum, eſt tamen *non-purum*.

Omne *impurum*, eſt *non-purum*, non viciſſim. Chriſtus enim Dominus eſt homo *non-purus*; eſt enim homo-Deus; & eſt hominum, & ſpecioſiſſimus, & *puriſſimus*, quis enim ipſum arguet de peccato.

Digitized by Google

Simplex ſumitur

Metaphyſicè,			Compoſitò.
Phyſicè,	[Sic opponitur	{	Mixto.
Logicè,			Complexo.
Moraliter,			Duplici *corde.*

SIMPLEX metaphyſicè (*de reliquis enim ſuo loco*) eſt id quod caret reali partium compoſitione, v. g. *angelus*; nequit enim in plures partes diuidi. Item punctum *mathematicè*; huius enim pars nulla.

Vnitas Dei eſt ſimpliciſſima, ſicut & Deus ipſe; caret enim compoſitione etiam mentali, puta ex genere, & differentiâ.

* In Metaphyſicis *ſimpliciora*, ſunt *perfectiora*; quæ ſunt enim diſperſa in inferioribus, ſunt identificata, in ſuperioribus. Sic Deus quia *ſimpliciſſimus* eſt, & præſtantiſſimus, rerum omnium in ſe perfectiones continens.

* In Phyſicis *ſimpliciora* ſunt *imperfectiora*, v g. materia, *elemento*. elementum, *lapide*; lapis, *plantâ*; hæc, *bruto*; brutum autem *homine*; homo eſt omnium rerum naturalium præſtantiſſimas, etenim cum *materiâ*, exiſtit, cum *elementis*, componitur; cum *mixtis*, ſubſtantialem habet formam, cum *plantis*, vegetat, ſentit cum *belluis*, intelligit cum *angelis*, denique cum *Deo*, ſapit. Devs rerum omnium perfectiones per totalitatem, & eminentiam continet; *homo* verò has habet cum participatione, & defectu.

COMPOSITVM, eſt ens ex pluribus perfectibilibus conſtans, v. g. homo, album, &c.

COMPOSITIO eſt, *vel*

1. Mentalis, quæ non præcedit mentis operam, v. g. *compoſitio* ex genere, & differentiâ. Hęc præciſè non repugnat *ſimplicitati*; vt patet in An-

gelo, ſed ſolùm *ſummæ* ſimplicitati, nempe *diuinæ.*

2. REALIS, ſeu quæ præcedit mentis operam, eſtque vel *ex*

a. *Pluribus diſcretis*, v. g. compoſitio exercitûs.

b. *Subiecto*, & *accidente*, v. g. compoſitio ex intellectu creato, & ipſius cognitione, ex quibus fit vnum intelligens. Hæcque præcisè ſimplicitati ſubſtantiæ creatæ non repugnat; eſt enim in *Angelo*, qui eſt ſubſtantialiter ſimplex.

c *Partibus realiter diſtinctis*, ſiue *eſſentialibus* Phyſicis, ſiue *entitatiuis*, quæ ſimpliciter appellatur *compoſitio.*

Sicque definitur *plurium partium ſeparabilium vnio*, ex *quibus fit vnum per ſe*, v. g. vnio animæ cum corpore in viuente. Item vnio capitis, & artuum cum trunco, in humano corpore.

VNIO, ſeu *coniunctio*, eſt plurium nexus, eaque eſt, *vel*

1. MORALIS, ſeu *Metaphorica*, quæ eſt animorum conſenſus, v. g. concordia fratrum. In quibus ſcilicet eſt vnum ſentire, vnum velle. Quâ ratione initio credentium erat cor vnum, & anima vna. Sicque AMOR dicitur *vnio duo copulans, aut copulare appetens.* Et hâc ratione in diuinis vnio reperiri poteſt, *ſpiritus* quippe *ſanctus* vocatur *vinculum* patris, & filij.

2. PHYSICA, ſeu *realis*, hæcque eſt, *vel*

a. *Impropria*, quæ videlicet fit mediante aliquo corpore, v. g. compactio aſſerum, quæ fit mediante glutine; vel manipuli vinculum, quod fit beneficio paleæ.

b. *Propria, quæ* fit nullo intercedente corpore, v. g. vnio animæ cum corpore per quam componitur *viuens.* Hæcque eſt plurium ſeparabilium con-

iunctio ex quibus fit in vnum.

* Vnio phyſica facit *compoſitum*; vnitas, facit *vnum*; hæc ab illâ diſtinguitur; Deus quippe arcem vnitatis tenet: at quæuis compoſitionis vmbra à puriſſimâ Dei ſimplicitate, infinitè exulat.

DIVISIO eſt, *vel*

1. MENTALIS, ſeu *Logica*, quæ eſt abſtractio *ſimplex*; vel *complexa*, de quibus in Logicis.

2. PHYSICA, ſeu *realis*, quâ res ſeorſim exiſtunt; hæcque eſt, *vel*

a. *Actiua*, ſeu actio quâ vnum ab alio diuiditur, v. g. actio quâ ſeparatur ramus ab arboris trunco.

b. *Paſſiua*, ſeu actualis, eſt exiſtentia vnius ſeorſim ab alio; hæcque eſt *negatio vnionis inter plura*, v. g. diuiſio Petri à Paulo, vel *priuatio vnionis*, v. g. ſeparatio animæ à corpore. Hæc enim habent aptitudinem vt inter ſe vniantur.

* Quæ ſine ſe inuicem exiſtunt, ſeorſim exiſtunt; non viciſſim; nam creatura exiſtit ſeorſim à Deo, illius enim exiſtentia, non eſt exiſtentia Dei; ſic ſeruus eſt ſeorſim à Domino; & *impoſſibile* eſt creaturam eſſe ſine Deo, & ſeruum ſine Domino.

Quæ ſunt diuiſa in inferioribus ſunt indiuiſa in ſuperioribus. Sic *virtus* quinque ſenſuum diuiſa in ſenſibus externis, vnitur in ſenſu communi.

DE
ENTE COMPLETO.

ENS completum, *totale*, adæquatum, ſeu *totum*, ſunt quid idem. Hocque

1. Latè, eſt id cui nihil deficit; ſic dicitur *totus* Deus; *totus* Angelus. Hocque ſenſu *totum*, idem eſt ac *perfectum*; ſeu *id cui nihil addi, & à quo nihil detrahi poteſt vt præſtantius ſit*; ſic imago eſt perfecta à quâ nihil deſideratur.

2. Propriè, eſt id quod habet partes actu, vel poteſtate. Hinc totum eſt *vel*

Actuale { quod { actu continet ſuas partes.
Potentiale { quod { poteſtate continet ſuas partes.

TOTVM *actuale*, ſeu *ſtrictè*, eſt *vel*

1. Essentiale, quod conſtat ex partibus eſſentialibus, vel *Metap yſicis*; putà ex genere & differentiâ, v. g. animal, ex viuente, & ſenſitiuo; vel *Phyſicis*, ſeu è materiâ, & formâ; v. g. animal è corpore, & animâ ſenſitiuâ.

2. Integrale, quod conſtat ex partibus integrantibus, ſeu entitatiuis, v. g. vlna ex duabus ſemi-vlnis, &c.

TOTVM *actuale*, iterum eſt, *vel*

1. Homogenevm, cujus partes ſunt eiuſdem nominis, & rationis cum toto, v. g. *aqua*; quælibet enim pars aquæ, eſt aqua, eique competit aquæ definitio.

2. Heterogenevm, eſt cuius partes ſunt diuerſi nominis, & rationis cum toto, v. g. *homo*; nam pes nec dicitur homo, nec difinitur ſicut homo.

TOTVM *potentiale* eſt, *vel*

1. Vniversale, quod totum, non totaliter ineſt cuilibet ſuorum inferiorum, v. g. animalitas, reſpectu hominis.

* Eſſe *totaliter* in aliquo, eſt ita in eo eſſe vt extra illud non poſſit reperiri; v. g. *animalitas* extra hominem, & brutum; *anima*, extra viuens.

* Eſſe *non totaliter*, eſt eſſe totum in aliquo: at non ſecundùm omnem ſuam extenſionem, ſeu entitatem v.g. *humanitas* in petro; reperitur enim etiam in paulo: item *anima rationalis*, in digito; ita enim eſt in digito, vt ſit extra digitum.

DE
ENTE INCOMPLETO.

ENS *incompletum*, partiale, *inadæquatum*, eſt PARS, hæcque eſt *vel*

POTENTIALIS } quæ in toto continetur { Poteſtate.
ACTVALIS } quæ in toto continetur { Actu.

PARS potentialis eſt, *vel*

1. EFFECTIVA; ſeu participatio cauſæ, v. g. *creatura*, reſpectu Dei; *glans*, reſpectu quercûs.

2. SVBIECTIVA (ſeu inferius reſpectu ſuperioris) eſt quæ totam ſuperioris eſſentiam continet: at non totaliter; v. g. ſpecies *reſpectu* generis. Hinc *ſpecies* dicitur participare *genus*, ſeu partem illius capere. Vnde vocatur aliquod particulare, v. g. homo, *reſpectu* animalis; item petrus *reſpectu* hominis; nam eſt *peculiaris* homo.

PARS ACTVALIS, ea eſt ex quâ componitur totum. Vel *id quod eſt in aliquo, & præter quod eſt aliquid quod ſit eiuſdem*. Eaque eſt, *vel*

1. ESSENTIALIS ſine quâ, res accuratè nequit concipi. Eſtque *vel*

a. METAPHYSICA, quæ & *Logica* dicitur, putà genus, & differentia, v. g. *animalitas*, & *ra-*

tionalitas reſpectu hominis.

b. Physica, quæ componit totum Phyſicum, putà *materia*, & *forma*.

Genus, & differentia in eodem indiuiduo identificantur inter ſe, v. g. animalitas, & rationalitas in petro; non item materia, & forma; putà corpus, & anima rationalis petri; vnde *hæc* ab inuicem poſſunt ſeparari; *illa*, non item.

2. *INTEGRALIS*, ea eſt quæ ad *integritatem* totius inſeruit; v. g. *brachium*.

Pars *integralis*, eſt homogenea, ſeu ſimilaris, vel etherogenea, ſeu diſſimilaris, quæ eſt diuerſi nominis, & diuerſæ rationis cum toto; v. g. pes, reſpectu animalis.

Pars *eſſentialis* differt ab *integrante*, res enim ſine illâ nec *eſſe*, nec *concipi* poteſt, v. g. homo, ſine *animâ rationali*: at ſine hâc res concipi poteſt; inſeruit enim ad eius integritatem, non ad eſſentiam. Imò ſine eâ vt plurimùm res eſſe poteſt, v. g. homo poteſt *concipi*, & *eſſe* ſine pede, vel manu.

ITEM pars eſt, *vel*

1. Entitativa, quæ componit *entitatem* rei, v. g. partes materiæ ſecundùm ſe ſpectatæ.

2. Qvantitativa, quâ res extenditur, ſeu vna realiter eſt extra aliam. Hæcque eſt *vel*

1. *Externa*, cum variæ partes corporis, varijs loci partibus correſpondent, componitque *extenſionem* externam.

2. *Interna*, quæ ſpectat ad extenſionem internam. quâ corpus habet ordinem partium ad ſe inuicem.

* Extenſio interna differt ab entitate corporeâ, quòd *hæc* ſit ſine ordine partium ad ſe inuicem, *illa* non item. Sic ſi Deus ſpoliaret omni extenſione *corpus*, v. g. *humanum*, eius partes inter ſe confunderen-

tur ratione ſui; *pedes* ſcilicet cum *capite*; *manus*, cum *pectore*; tuncque ſolùm haberet partes entitatiuas, & exigentiam remotam extenſionis externæ. Si verò id deſtitueret *ſolâ extenſione externâ*, tunc haberet ordinem partium ad ſe inuicem cum exigentiâ proximâ extenſionis externæ; caput enim hæreret collo, collum, humeris, &c.

PRÆTEREA PARS eſt, *vel*

1. ALIQVOTA, quæ ſcilicet multoties repetita totum abſumit, v. g binarius, reſpectu denarij; quinquies enim repetitus abſumit denarium.

2. NON-ALIQVOTA quæ ſcilicet nequit adæquare totum, v. g. *ternarius* reſpectu denarij.

MVTILVM, eſt continuum permanens, diuiſibile in partes diſſimiles, cui detracta ſit pars integrans in extremitate, irreparabilis.

Numerus, nequit dici quid mutilum; quia non eſt *continuus*; nec *tempus*, quia non eſt *permanens*; nec *linea*, cum non ſit diuiſibilis in partes diſſimiles. Nec cadauer; ab eo enim non eſt ſeparata pars integrans, ſed eſſentialis. Nec denique *animal* cui detracta ſit aliqua pars in medio corporis, vel detracti ſint vngues; nam hi ſunt reparabiles; illa verò non eſt in extremitate; at rectè dicitur homo mancus *cui amputatum eſt crus*; *eſt enim quid continuum*, &c.

DE

FINITO, ET INFINITO.

FINIS quandoque dicitur *rei perfectio* τέλος, ſicque *perfectum* appellatur, quod ſuum finem at-

tigit, & complementum. Quandoque finis, πέρας, idem eſt ac defectus. Sic finitur Regnum vbi Deficit, & omne *finitum*, deficiens eſt, & imperfectum.

FINITVM, eſt id quod *finem* habet, ac *terminum*, v. g. quæuis *creatura*; eſt enim alterius gratiâ; habetque vltimum extra quod nihil eſt ipſius, & intra quod omnia quæ ad ipſam ſpectant continentur.

INFINITVM eſt quod caret termino; ſeu ex quo ſecundùm quantitatem (*molis*, vel *virtutis*) accipientibus, remanet ſemper aliquid accipiendum extra id quod ſumitur. Eſtque *duplex* nempe.

1. CATEGOREMATICVM, quod ſecundùm id quod in ſe actu continet, *termino* caret. Hocque eſt, vel infinitum *per*

a *Eſſentiam*, ſeu in omni genere. Quod ſine defectu poſſidet actu omnium perfectionum genera, v. g. ſolus Deus.

b. *Participationem*, ſeu in aliquo genere, quod actu continet in ſe omnes alicuius generis perfectiones, v. g. *linea conſtans actu infinitis pedibus non communicantibus.*

2. SYNCATEGOREMATICVM, ſeu *infinitum potentiâ*, eſt id quod nequit vnquam ſuæ infinitatis habere complementum, v. g. *linea bipedalis*, quæ & longiùs, & longiùs ſemper protendi poteſt: at nunquam poteſt euadere actu infinita; tam enim finitum nequit fieri infinitum actu, quàm corporeum poteſt euadere ſpiritale.

INFINITVM *ſyncategorematicum*, eſt vel *per*

1. *Detractionem*, & *additionem*, v. g. linea bipedalis, à quâ indifferenter poteſt aliquid detrahi, aut cui aliquid poteſt ſemper adjici.

2. *Additionem* tantùm, quod poteſt creſcere in

infinitum, & nunquam creuiſſe, v. g. *numerus*, augeas enim numerum in infinitum per totam æternitatem, ipſi poterit addi *numerus* ſemper *major* in infinitum.

* Infinitum, per *detractionem*, dicitur ſecundùm minimum; infinitum verò per *additionem*, dicitur ſecundùm maximum.

Non datur infinitum infinito maius, maiori enim limitaretur: at infinitum limitatum, ſicut & terminis clauſum (eo ſaltem reſpectu quo infinitum eſt) videtur quædam chymæræ ſpecies.

DE DVRATIONE.

DVRATIO, eſt permanentia rei in ſuo eſſe.

Eſtque præſertim { æternitas, æuiternitas. / *æuum*, tempus.

ÆTERNITAS, à Boëtio accuratè (*more ſuo*) definitur *interminabilis vita, tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*.

1. Dicitur *interminabilis*, quia eius eſt, quod nec *principium*; nec *finem* habere poteſt.

2. *Interminabilis vita*; quia durationis protenſio attenditur potiùs ſecundùm *operationem* (vt potè quid perfectius) quàm ſecundùm *eſſe*. Vnde *tempus* dicitur menſura motûs: at vita eſt operatio.

3. *Tota*, quia eſt ſecundùm omnem ſuam entitatem.

4. *Tota ſimul*; quia caret ſucceſſione.

5. *Perfecta*, quia non eſt inſtans temporis. Tum quia ei nulla deeſt duratio.

6. *Perfecta poſſeſſio*, quia eſt immutabiliter ſtabilis.

ÆTERNVM eſt, *vel*

a. *Poſitiuè*, quod actu, & de facto eſt ab æterno, v. g. *ſolus Deus*.

b. *Negatiuè*, quod non eſt addictum certæ temporis differentiæ, v. g. *natura vniuerſales*; putà humanitas; potuit enim & priùs, & priùs ab æterno *produci*, & poteſt poſteriùs, & poſteriùs *conſeruari*. Sicque eſt æterna, ratione productionis, & ſuæ conſeruationis.

ÆVITERNITAS (*vt ita dicam*) eſt æternitas participata, ſeu æterna creaturæ duratio. Hæcque eſt, *vel*

1. *Æui* æternitas, *ſeu* ęuum ęternum; qualis eſſet perpetua creaturæ incorruptibilis, putà angeli, duratio.

2. *Temporis* æternitas, *ſeu* æternum tempus, *ſeu* perpetua rei corruptibilis duratio; qualem quidam attribuêre motui cælorum, fingentes eum ab æterno eſſe, & in æternum duraturum.

Vtraque ejuſmodi duratio eſt chymærica; tam enim æternum, & temporale ſunt impoſſibilia quàm corporeum, & ſpiritale: at idem nequit eſſe corporeum, & ſpiritale, v. g. eadem anima, nequit eſſe corporea ſimul, & ſpiritalis. Igitur eadem *duratio* nequit eſſe æterna, & temporanea.

ÆVVM ſtrictè, eſt interminandæ vitæ precaria duratio, v. g. *angeli*, vel *anima rationalis* duratio.

TEMPVS, eſt duratio vtrinque finienda, v. g. duratio motûs, exigit enim incipere, & deſinere.

Æternitas		æterna		immutabilis.
Æuiternitas	eſt	perpetua	duratio rei	mutabilis.
Æuum		finita		ĩcorruptibilis.
Tempus		ſucceſſiua		corruptibilis.

* Quod eſt in tempore, aut eſt tranſmutatio; putà

motus; aut tranſmutationis ſubiectum; putà *homo*; naſcitur enim, creſcit, deſinit.

* Tempvs perpetuum ab *æternitate* differret, quod hæc ſit immobilis durationis præſentia, cuius hodiernum non ſucceſſit heſterno, nec craſtinum ſuccedet hodierno; eſt enim nunc eſſentialiter permanens: at tempus perpetuum; quia foret tempus, eſſet eſſentialiter ſucceſſiuum; quod enim viuit in tempore, *præſens*, à præteritis ad futura procedit, craſtinum nondum apprehendens, heſternum perdidit, & in hodiernâ duratione non ampliùs viuit quàm in hoc mobili, tranſitorioque momento.

* Æviterna ab *æternis* differrent, quòd licet per interminandam ducerentur vitam; non tamen interminabilis vitæ indiuiſibilem complecterentur præſentiam. In ijs quidem continuaretur vita: at huius plenitudinem eundo poſſidere non valerent, mutabilitatem quippe haberent ſibi annexam, v. g. *angelus*, cogitationum volubilitatem; *cœlum*, motum: at æterna, interminabilis vitæ totam ſimul plenitudinem poſſident.

DE

ABSOLVTO, ET RELATIVO.

Absolvtvm dicitur quaſi *ſolutum ab* alio, vel vt a

1. Termino, eſtque id quod non definitur per ordinem ad aliud, v. g. *homo*. Sicque opponitur relatiuo.

2. Cavsâ, eſtque *independens*, v. g ſolus Deus, opponiturque dependenti.

3. Svbiecto, eſtque id quod non eſt in alio, v.

g. petrus; & ſic opponitur ei quod alteri ineſt, *vel* vt pars toti *vel* vt accidens ſubiecto, &c.

RELATIVVM, eſt quod habet ſuum eſſe per ordinem ad aliud, eſtque *vel*

1. ESSENTIALE, cui relatio ineſt eſſentialiter, v. g. *creatura*, cujus relatio ad creatorem eſt eſſentialis. Hæcque dicitur, vel RELATIO

a TRANSCENDENS, eo quòd conueniat omnibus categorijs; cuiuis enim *accidenti* ineſt *relatio* eſſentialis ad ſubſtantiam; omne enim accidens eſt entis ens.

b SECVNDÙM *dici*; quia id cui conuenit dicitur, potiùs *relatiuum* quàm reuerà ſit, v. g. *viſus* dicitur potiùs *relatiuum* ad *viſibile*, quàm reuerà ſit; ille enim eſt quid *abſolutum*; cum ſit qualitas.

c. NON-MERA; quia præter *relationem* includit aliquid *abſolutum*; ſeu potiùs eſt *abſolutum* includens *relationem*, v. g. *relatio* ſcientiæ ad ſcibile; eſt enim ipſa *ſcientia* vt eſſentialiter reſpicit *ſcibile*.

2. RELATIVVM *accidentarium*, eſt id cui contingenter conuenit relatio; v. g. *filiatio* homini; non enim eſt de eſſentiâ hominis quòd ſit filius; Adam quippe fuit *homo*, nec fuit *filius*. Huiuſmodi RELATIO *dicitur*.

a. ACCIDENTARIA; quia non eſt de *eſſentiâ* ſubjecti; v. g. *relatio* ſerui ad dominum.

b. CATEGORICA; quia categoriæ relationis ambitu coarctatur; eſt enim tantùm *ordo vnius ad aliud*, v g. filij, ad patrem.

c. SECVNDÙM *eſſe*, quia *totum eius eſſe, eſt per ordinem ad aliud*, v. g. totum eſſe patris vt pater eſt, eſt eſſe ad filium.

d. *Mera*, quia eſt *pura habitudo vnius ad aliud*; eſt enim merus reſpectus ad aliud; putà filiatio, eſt mera habitudo filij ad patrem.

DE
NECESSARIO, ET
CONTINGENTE.

CONTINGENS eſt, *id quod poteſt aliter, & aliter ſe habere*, v. g. quæuis creatura.

CONTINGENTER quandòque, idem eſt *ac*

1. Per *accidens*, de quo infra.

2. *Liberè*, ſeu quod eſt in noſtrâ poteſtate, *de quo in morali.*

3. *Modus*, quo quid adeſt & abeſt ſine ſubiecti interitu, *de quo in logicis.*

* Nec omne *contingens* eſt *accidentale*, nec omne *accidentarium* eſt *contingens*; nam Anti-chriſtus eſt *contingens*, nec tamen eſt quid *accidentale*. Vis ridendi eſt homini *accidentaria*; nec tamen eſt ei *contingens*.

* Omne liberum, eſt contingens, non viciſſim; nam occiſio hominis à tegulà decidente eſt *contingens*, non *libera*; quia ab ipſo non fuit præuiſa.

NECESSARIVM, dicitur à *non ceſſando*, quaſi id ceſſare nequeat.

DEFINITVR, *id quod non poteſt aliter atque aliter ſe habere*. Eſtque *vel*

1. NECESSARIVM *abſolutè*, quod ità eſt vt impoſſibile ſit non eſſe, v. g. *Deus*. Hocque dicitur *neceſſarium* neceſſitate exiſtentiæ.

2. NECESSARIVM *hypotheticum*, quod ſolùm ex *ſuppoſitione* neceſſarium eſt. Eſtque *vel*

Neceſſarium *neceßitate*

2. *Sine ordine ad finem*. Sicque eſt *id ſine quo res eſſe non poteſt*; ſic *animalitas*, aut *vis ridendi* conuenit homini; homo enim nequit eſſe ſine vtrâque.

Huiuſmodi *neceſſitas* propter indiſſolubilem nexum ſubiecti cum attributo, fundat propoſitiones *æternæ veritatis.*

b. *Per ordinem ad aliud*, ſeu neceſſitas medij; vnde quid dicitur, vel NECESSARIVM

1. SIMPLICITER, ſeu ſine quo res nullatenùs haberi poteſt, v g. *alimentum*, vitæ conſeruandæ; hac enim ſine illo nequit conſeruari.

2. SECVNDùM *quid*, ſeu id ſine quo res haberi poteſt: at non ita commodè, v. g. *calceus*, homini ad incedendum: hocque neceſſarium,dicitur ad melius eſſe.

NECESSITAS eſt determinatio ad vnum eſtque *vel*

1. *Abſoluta*, ſeu exiſtentiæ, quâ res eſt ita,vt impoſſibile ſit eam non eſſe; hæcque conuenit ſoli Deo.

2. *Hypothetica*, eſtque *vel*

Sine ordine ad finem, ſeu ſine quâ res eſſe non poteſt; hâc neceſſitate, *rationalitas*, vel *virtus ridendi* conuenit homini.

ITEM *neceſſitas* eſt, *vel*

1. ANTECEDENS, quæ eſt independenter à voluntatis nutu; hæcque eſt vis, coactio, vel neceſſitas ſimplex quâ res naturali inclinatione ad vnum indeclinabiliter mouetur, v. g. ea quâ lapis nullo retinente obice deorsùm fertur.

2. CONSEQVENS, ea eſt quæ ſequitur liberum voluntatis conſenſum, v. g. ea quâ neceſſe eſt loquentem loqui. *De his in compend. morali.*

Præterea *neceſſitas* eſt

Metaphyſica.	quæ nititur.	rerum eſſentiis.
Phyſica.		ordine naturæ.
Moralis.		noſtris factis.

NECESSITAS

1. *Metaphyſica*, directè à Deo impediri nequit, v. g. quòd homo exiſtat, & non ſit animal rationale.

2. *Phyſica*, non poteſt impediri naturæ viribus, v. g. quod ſol moueatur; at poteſt ſuperari ab authore naturæ; nam ad imperium Ioſüe ſol ſtitit curſum ſuum.

3. *Moralis*, difficulter ab agente naturali ſuperari poteſt, v. g. quòd quis reperiat annulum quem projeciſſet in mare.

IMPOSSIBILE, opponitur *neceſſario*; nam *neceſſarium* eſt id quod nequit non eſſe; *impoſſibile* verò, eſt id quod non poteſt eſſe.

IMPOSSIBILITAS eſt *vel*

1. *Metaphyſica*, quæ eſt extra limites Abſolutæ omnipotentiæ Diuinæ; v. g. quòd *homo* ſit Equus.

2. *Phyſica*, quæ excedit naturæ vires; v. g. quod *ſol* retrocedat.

3 *Moralis*, quę eſt ſupra communem hominis agendi rationem, v. g. quòd quis pomum capiti filij ſui impoſitum transfodiat primâ jaculi emiſſione, illæſo filio. Item quòd quis arte, & induſtriâ è mœnibus vrbis obſeſſæ, oculum effodiat alicui primâ ſagittæ ejaculatione. Ejuſmodi impoſſibilitas ab hominibus ſuperari poteſt; prima quippe à quodam Heluetio fuit ſuperata; altera verò à quodam nomine Æſter qui datâ operâ è mœnibus Metonæ in finibus Macedoniæ emiſit ſagittam, & eruit oculum Philippo macedonum Regi, vt conſtat hoc verſu

Aſter, Philippi oculo immittit ſagittam.

Αϛὴρ Φιλίππῳ ὄμματι πέμπει βέλος.

Quicquid fit *neceſſariò*, fit *infallibiliter*, & determinatè, non viciſſim; nam quòd fit *liberè*, infallibiliter, & determinatè fit: at non fit neceſſariò, *neceſſitate* ſcilicet *antecedente*.

DE
EODEM, ET DIVERSO.

IDENTITAS ſumitur

1. Propriè, & vt opponitur *diuerſitati*, eſtque vnitas, ſeu conformitas naturæ, v. g. *identitas* Petri cum Paulo in *humanitate*.

2. Strictè, & vt opponitur

a. *Separabilitati*, Eſtque vnitas quaſi plurium, v. g. *identitas* accliuis, & decliuis in monte.

b. *Separationi*, Eſtque vnitas plurium; *Sic* corpus humanum junctum animæ rationali eſt vnus idemque homo. Similiter Sequana & Matrona Pariſijs ſunt vnus, idemque fluuius.

IDENTIFICARI cum aliquo, eſt eſſe quid vnum, & idem, ſeu vnam eandemque entitatem cum eo; ſic in homine anima vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis identificantur.

DIVERSITAS, eſt naturæ diſconuenientia; v. g. *diſconuenientia* inter naturam humanam, & equinam.

DIVERSA, dicuntur, *quæ non ſunt eadem*; hæcque ſunt

1. Disparata, quæ ita inter ſe pugnant vt ſimili modo cum alijs pugnare poſſint, v. g. Bos, & equus.

2. Differentia, quæ partim ſunt *eadem*, partim *diuerſa*, v. g. homo, & brutum; *animalitate* quippe conueniunt, *Rationalitate* autem, & irrationalitate differunt.

3. Primo-diversa, ſunt rationes diuerſitatis, v. g. *Deus*, & *materia prima*; in nullo quippe

Digitized by Google

conueniunt. Item eſſentiales differentiæ, quibus quodlibet differt ab alio; v.g. *corporeitas*, & *ſpiritalitas*.

DE DISTINCTIONE.

DISTINCTIO, ea eſt quâ res vna non eſt alia, ſeu *negatio identitatis*.

Eſtque totuplex, quotuplex eſt ens; ipſa quippe eſt proprietas entis: at omne ens eſt *reale*, vel *rationis*. Igitur

DISTINCTIO eſt, *realis*, vel *rationis*.

1. REALIS, quæ præcedit mentis operam, eſtque

a. MAIOR, ſeu diſtinctio rei, à re; eſtque ea quæ intercedit inter ea, *vel*

α. Quorum vnum poteſt eſſe ſine alio & viciſſim, v. g. Diſtinctio animæ rationalis à corpore.

β. Quorum unum eſt principium alterius, v. g. Diſtinctio patris æterni, à verbo Diuino.

γ. Quæ ſeorſim exiſtunt, v. g. *Dominium*, & *ſeruitus*; licet enim, nec poſſint eſſe ſine ſe inuicem, nec vnum ſit alterius principium; quia tamen ſunt ſeorſim, in diuerſis nimirùm ſuppoſitis diſtinguuntur, *diſtinctione* reali majori.

b. MINOR, (*modalis*, ſeu diſtinctio rei à modo) ea eſt quâ *vnum poteſt eſſe ſine altero, non viciſſim*; v. g. diſtinctio vnionis, à rebus vnitis.

* Quæ ſunt diuiſa, ſunt diſtincta realiter; quæ ſeparata ſunt & ſeparabilia: at non viciſſim; nam in *viuente* anima eſt *ſeparabilis*, & realiter *diſtincta*, non tamen, eſt realiter à corpore *diuiſa*.

* Quæ ſunt *ſeparabilia*, ſunt realiter *diſtincta*, non viciſſim; pater enim Diuinus diſtinguitur realiter à filio, à quo nequit ſeparari.

* Omnis igitur *diuiſio* eſt realis *diſtinctio*, non viciſſim; nam eſt realis *diſtinctio* corporis ab animâ in viuente ſine vtriuſque diuiſione.

2. *DISTINCTIO rationis*, eſt ea quæ non præcedit mentis operam; ſeu diſtinctio eiuſdem à ſeipſo. Hæcque eſt vel RATIONIS

a. RATIOCINANTIS, ſeu ſine *fundamento*, quæ propter ſuam inanitatem, nugatoria appellatur; v. g. diſtinctio Petri à Petro; Petrus enim hìc diſtinguitur à ſeipſo, eodem modo ſpectato.

b. RATIOCINATÆ, quæ & *virtualis*, & quandòque diſtinctio *formalis* appellatur; eſt diſtinctio ejuſdem à ſeipſo cum *fundamento*.

FVNDAMENTVM ejuſmodi diſtinctionis eſt *quatruplex* putà.

☞ a. REI *perfectio*, dum tanta eſt vt vnico conceptu nequeat à nobis apprehendi. Hinc fit, vt rem ſimpliciſſimam quaſi multiplicem apprehendamus; v. g. *entitatem* Dei; dum in eâ *diſtinguimus* ſapientiam, bonitatem, omnipotentiam, &c.

☞ b. EFFECTVVM *diuerſitas*; ſic hominis animam *diſtinguimus* in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, propter effectûs vitæ, ſenſûs, & rationis.

☞ c. MVLTIPLICITÀS *terminorum*; ſic via Athenis, Thebas; Thebis, Athenas; pariter accliue montis, à Decliui, diſtinguitur.

☞ d. SEPARABILITAS *in rebus aliis*; ſic in Belluis anima ſenſitiua à vegetatiuâ diſtinguitur, quòd *hæc* ſeorſim ab *illâ* in plantis reperiatur.

Omnis diſtinctio eſt realis, vel rationis; *ex modo dictis*. Deinde omnis diſtinctio præcedit, vel non præcedit mentis operam; ſi præcedat eſt *realis*, ſecùs, eſt rationis.

* Omnis diſtinctio realis eſt major, vel minor; quia

eorum quæ realiter ab inuicem diſtinguuntur, vel vnum poteſt exiſtere ſine altero, vel non.

Si neutrum poſſit eſſe ſine altero, v. g. *pater Diuinus*, & *verbum*; Item *dominium*, & *ſeruitus*, diſtinguuntur diſtinctione reali majori.

Si vnum ſaltem Diuinitùs poſſit eſſe ſine altero, vel poterit eſſe viciſſim ſine ipſo, v. g. *anima*, ſine corpore, & hæc diſtinguuntur Diſtinctione reali majori, vel alterum non poterit eſſe ſine altero; v. g. *ſimitas* ſine naſo, & hæc diſtinguuntur diſtinctione reali minori.

DISTINCTIO virtualis formalis ex naturâ rei, quâ, v. g. Dei perfectiones à nonnullis diſtingui dicuntur, eſt ipſa *diſtinctio* rationis ratiocinatæ, nec poteſt dici major mentali, & minor reali, ſeu media realem inter, & rationis; vt quidam credunt; nulla ſiquidem eſt diſtinctio ejuſmodi *ex dictis*.

Distinctio *virtualis* non eſt vera *diſtinctio*, ſed vis æquiualens diſtinctioni; ſicut calor virtualis in ſole non eſt verè, & formaliter calor, ſed vis æquiualens calori.

Ex debitâ rerum diſtinctione, & vnitate naſcitur ordo. Igitur hìc agimus

DE ORDINE.

ORDO Iuriſconſultis, eſt conditio, ſeu vitæ ſtatus; qualis Romæ triplex fuit, putà *Senatorius*, *equeſtris*; *plebeius*.

PHILOSOPHIS, eſt *apta plurium diſpoſitio ſecundùm prius, & poſterius*; v. g. mirabilis partium mundi diſpoſitio.

SERIES, eſt *ordo* rerum materialium ſibi ſuccedentium.

PRIVS, dicitur id quod magis accedit ad *primum*; ſic in tripudio *prior* dicitur is qui magis accedit ad *choragum*.

POSTERIVS, dicitur id quod magis recedit á *primo*; ſeu quod magis accedit *ad vltimum*; v. g. in *choreá*, is qui magis recedit à *chorago*.

EXTREMVM, *dicitur* quaſi extra quod nihil manet; hocque eſt *ſupremum*, ſeu primum: vel *infimum*, ſeu vltimum.

VLTIMVM, ſeu *infimum* eſt id infra quod nihil eſt.

INFIMVM *ſupremi*, eſt ſupremum *infimi*; ſic *infimus* angelorum eſt præſtantior ſupremo hominum. *Infimus* hominum, eſt excellentior perfectiſſimâ belluarum.

NATVRA, *extrema* extremis non junxit, niſi per *media*; v. g. aquas, *atheri*, non niſi per aërem.

SVPREMVM, eſt ſupra quod nihil eſt; ſic Deus eſt ſupremum ens.

Quæ ſunt diſperſa in *inferioribus*, ſunt identificata in *ſuperioribus*, v. g. anima vegetatiua, quæ diuiſa eſt à ſenſitiuâ in plantis, identificatur cum ipsâ in belluis; & anima ſenſitiua, quæ eſt ſeorſim à rationali in belluis, eſt identificata cum ipsâ in homine. Cum igitur Deus ſit ſupremum ens, quæcunque ſunt diuiſa in creaturis, ſunt ſimpliciſſimè adunata in eſſentiâ diuinâ.

PRIMVM dicitur, id quo nihil eſt prius, eſtque vel *primum*

1 *Poſitiuè*, ſeu ante quod nihil eſt, & poſt quod ſunt cætera, v. g. Deus poſt quem ſunt creaturæ.

2. *Negatiuè*, ſeu id ante quod nihil eſt. Sic Adam, ante Euam conditam, erat primus hominum.

Item PRIMVM eſt, *vel*

Digitized by Google

1. IN *omni genere*, ſeu id à quo, & ad quod ſunt omnia, v. g. ſolus Deus.

2. IN *aliquo genere*, ſeu ſecundùm quid, quod eſt tantùm primum in aliquâ entis ratione, v. g. *ſol* in genere lucidorum; *ignis*, in genere calidorum; *aurum*, in genere metallorum, &c. *

ITEM *primum* eſt, vel IN

1. *Intentione*, ſeu id cuius gratiâ primariò aliquid *fit*, vel *eſt*, v. g. *ſanitas* reſpectu curationis morbi.

2. *Executione*, ſeu id à quo res primò incipit, v. g. *Diæta* reſpectu eiuſdem curationis.

* Quod eſt primum in *intentione*, eſt vltimum in *executione*, & viciſſim, v. g. ſanitas quæ primò deſideratur ab ægroto, vltimò comparatur, & pharmacum quod vltimò intenditur, primò ſumitur.

Primariò / Secundariò [idem eſt ac { Præcipuè. / Minùs præcipuè.

PRIMVM in vnoquoque genere eſt *menſura* cæterorum.

MENSVRA, eſt id vnde dignoſcitur rei quantitas, hæcque eſt

1. *Molis*, ſeu multitudo, v. g. numerus; vel magnitudo, v. g. extenſio lineæ.

2. *Virtutis*, ſeu rei perfectio, vnde res perfectæ dicuntur, magnæ; ſic Deus optimus, dicitur maximus.

HINC *menſura* eſt

1. *Molis*, ſeu vnde expenditur quota res ſit, vel quàm extenſa.

2. *Virtutis*, ſeu vnde rei perfectio dignoſcitur, eaque eſt *id ad quod quò magis res accedit perfectior æſtimatur, & à quo quantùm recedit imperfectior habetur*, v. g. Deus reſpectu omnium creaturarum.

Hinc *angelus* eſt homine perfectior, *homo*, brutis,

belluæ, plantis; *hæ* autem rebus inanimatis; quia *angelus* magis accedit ad Deum, quàm homo; *hic* quàm belluæ; *hæ* verò ſunt homine imperfectiores; quia magis à Dei perfectione recedunt; *homo* quippe cum Deo intelligit, *bellua* non item.

Menſura, eſt quid primum, notiſſimum, ſimplex, certiſſimum.

QVOD *eſt primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum*; ſic VNITAS, eſt cauſa materialis, numeri; homo, cauſa finalis belluarum; Deus, cauſa finalis efficiens, & exemplaris rerum omnium.

Non tamen omne *primum*, eſt eiuſmodi; nec enim *primus* angelorum, eſt eorum cauſa; nec aurum, reſpectu metallorum.

PRIMVM *in vnoquoque genere*, *eſt perfectiſſimum*, v. g. *Deus* reſpectu omnium entium.

* Vnitas non eſt numerorum perfectiſſimus; nec materia, corporum. Quia vtraque eſt ſolùm quid *primum* in genere potentiæ, ſeu cauſæ materialis, non in genere actûs, ſeu perfectionis.

* Omne primum eſt quid vnum; igitur in *ordine* eſt quid *vnum*: cum autem in rebus omnibus, ſit præſtantiſſimus ordo, eſt quid maximè vnum: Id autem eſt Deus.

ORDO eſt, *vel*

ACTIVVS, qui & *formalis* dicitur, *Eſtque ratio ordinis in mente ordinantis*; quique quatenus eſt in huius mente appellatur *formalis*, quatenus eſt ab ipſo ordinante ad res ordinatas, dicitur *actiuus*, v. g. LEX in mente eius qui curam habet communitatis. Vnde dicitur *ordinatio ſocietatis.*

PASSIVVS ſeu *obiectiuus*, eſt diſpoſitio inexiſtens rebus ordinatis, v. g. *diſpoſitio partium vniuerſi in hoc mundo.*

Dicitur paſſiuus, prout res efficiuntur; dicitur objectius quatenus Agens, ipſum reſpicit.

Vterque eſt, *vel*

1. Natvralis, qui eſt à naturâ. Eſtque, vel ratione perfectionum eſſentialium, vel *connexionis* cauſarum, effectuumque naturalium inter ſe. *Ille* à Deo nequit directè inuerti; impoſſibile enim eſt hominem non eſſe belluâ prſtantiorem; *hic* poteſt à Deo mutari, v. g. ordo quo *Veri* ſuccedit *Æſtas*; *Æſtati*, *Autumnus*; huic, *Hyems*; Ver enim poterat eſſe æternum.

2. Arbitrarivs, qui eſt, vel *ex*

a. *Dei beneplacito*, v. g. diſpoſitio templi Hieroſolymitani.

b. *Hominum inſtituto*, v. g. ſeries exercitûs; hæc enim eſt ad libitum imperatoris.

ORDO iterum eſt, *vel*

1. Doctrinæ, ſeu *diſciplinæ*; quo res diſponuntur inter ſe ratione *euidentiæ*, v. g. quòd priùs agatur de causâ per accidens, quàm de causâ per ſe; de ente rationis, quàm de ente reali.

2. Natvræ, quo ſcilicet priùs exponuntur, quæ ſunt *priora* naturâ ſuâ, v. g. *cauſa*, quàm *effectus*; *pars*, quàm *totum*.

ITEM *ordo* eſt, vel cognitionis

a. Distinctæ, quo exponuntur quæ ſunt *notiora in ſe*; puta *Deus*, quàm *creatura*; *pars*, quàm *totum*.

b. Confvsæ, quo priùs diſponuntur quæ ſunt *manifeſtiora reſpectu noſtri*; v. g. *ſenſibile*, quàm *ſpiritale*; *totum*, quàm pars, &c.

DENIQVE eſt ordo

1. Actûs, ſeu *perfectionis*, quo res præſtantiores, priùs imperfectioribus collocantur, v. g. *finis*,

quàm *media*; *forma*, quàm *materia*.

2. GENERATIONIS, quo ſcilicet proceditur ab imperfectioribus ad perfectiora; v. g. à *mediis*, ad *finem*; à *materiâ*, ad *formam*.

Vnde quis ordinatè poteſt ab imperfectioribus ad perfectiora procedere, vel viciſſim, v. g. à *Metaphyſicâ*, *Phyſicâ*, &c. ad logicam; vel à *Logicâ*, *Morali*, &c. ad *Metaphyſicam*. Licet enim ab vno extremo ad aliud tranſire per medium: at non licet à medio, ad vnum, deinde ad alterum perturbatè extremum progredi, v. g. in enumeratione partium philoſophiæ, à phyſicâ ad logicam, & ab hâc ad metaphyſicam pertranſire.

ORDINATIO, eſt ordinis introductio; ſeu ordinis *productio*, vel *receptio*. Hæc dicitur *diſpoſitio* (v. g. in domo) illa dicitur *ordinatio* (v. g. in architecto.)

CONFVSIO, eſt indebita plurium congeries, v. g. *chaos*.

Confuſio, ſi inconſultò accidat, eſt ignorantiæ fœtus, vt *ordo* eſt ſapientiæ proles. SAPIENTIS enim eſt *ordinare*; ſiquidem eſt diſponere ſecundùm prius, & poſterius: at ſolius eſt ſapientis diſponere ſecundùm, prius, & poſterius; nam id ſolùm poteſt is qui nouit naturam prioris, & poſterioris: at ſolius ſapientis eſt noſſe rerum naturas.

Ex *cognoſcibilitate*, *bonitate*, & *ordine* (ſaltem in compoſitis) naſcitur PVLCHRITVDO. Quamobrem hìc agimus

DE PVLCHRITVDINE.

PVLCHRITVDO, *diuino Philoſopho*, eſt flos bonitatis; radius boni; oritur enim à *bonitate*, ſicut ſplendor, à ſole.

A nonnullis *dicitur*, Imperium ſine ſatellitio; quia, non minarum, ſed illecebrarum vi, imperat; nec armis, aut terrore ipſa vincitur; ſed animis, & amore deuincitur.

DEFINITVR bonitas clarè, diſtinctè, & jucundè cognoſcibilis. Eſtque *vel*

1. INTELLIGIBILIS, quæ ſolo intellectu poteſt percipi, v. g. Dei ſplendor; virtutis candor, &c.

2. SENSIBILIS, quæ ſenſu poteſt percipi, eſtque *vel*

a. *Viſibilis*, quæ poteſt *viſu* apprehendi, v. g. decora Priami dignitas; Helenæ *venuſtas*, &c. Hinc quibuſdam, *pulchra* dicuntur, quæ viſa placent.

b. *Audibilis*, quæ *auditu* poteſt cognoſci, v g. canorum harmonici concentûs melos.

* Omnia *pulchra*, ſunt *bona*, non viciſſim; dicimus enim ſüaues odores, gratos ſapores, non *pulchros*; quia diſtinctè à nobis non cognoſcuntur; ſolo quippe, *viſu*, & *auditu* res clarè, & diſtinctè percipimus; ſiquidem cæteri ſenſus ſunt in nobis hebetiores, & obtuſiores. Vnde à Philoſopho VISVS & AVDITVS appellantur diſciplinæ ſenſus.

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS.

DE SPECIEBVS ENTIS VNIVERSIM.

QVAMVIS *ens*, *res*, *aliquid*, *quid*; Item *vnum*, *verum*, *bonum*, dicantur termini tranſcendentales, nihilominùs tres *vltimi*, de entis proprietatibus, *priores* verò, de entis naturâ dicuntur.

QVID, minùs communiter ſumitur quam *aliquid*; hoc autem quàm *res*; *hac* verò, quàm *ens*. QVID, enim à Philoſophis pro ſolâ *eſſentiâ*, ſeu, *quidditate* ſolet vſurpari; ALIQVID, verò pro ſolo *ente actuali*; RES verò pro ſolo ente reali; ENS dicitur etiam de *ente rationis*. Hinc ens eſt terminus omnium generaliſſimus.

ENS generaliſſimè *dicitur* quicquid extra nihil eſt, vel eſſe poteſt.

Eſtque ſolùm REALE, vel RATIONIS; *vt dictum eſt*. Vnde *ens medium* admittere eſt quiſquilias è ſcholâ, non Philoſophiæ placita colligere.

ENS rationis latiſſimè dicitur quicquid ſpectat ad rationem. Eſtque vel

1. EFFECTIVVM, quod eſt effectus à ratione, procedens velut à *causâ efficiente*, v. g. hic mundus; Archimedis ſphæra, &c.

2. SVBIECTIVVM, ſeu quæuis forma recepta in mente tanquam in *ſubiecto*, v. g. intellectio, verbum, vel habitus mentis.

3. OBIECTIVVM, ſiue quicquid objicitur menti. Eſtque *vel*

a. *Non-purum*, ſeu quid *reale* conceptum, v. g. hic, vel alter mundus.

b. *Purum*, ſeu ens rationis propriè, & vt opponitur enti reali. Sicque

DEFINITVR, quod nec eſt, nec eſſe poteſt independenter à mente. Seu *quod habet tantùm eſſe obiectiuè*, v. g. alter Deus; tandiu quippe ſolùm eſt, quandiu mens de ipſo cogitat. Hocque eſt *vel*

1. *Non fundatum*, ſeu *fictitium*, quod vulgò *chimaricum* appellatur, eſtque id quod ſine fundamento fingitur, v. g. *hircoceruus*.

2. *Fundatum*, quod cum aliquo intellectus humani apparente fundamento cuditur, v. g. *negatio* concepta, inſtar formæ realis, v. g. abſentia visûs in lapide. Idem dicas de priuatione, & denominatione externâ.

ENS *rationis* iterum eſt

a. DOCTRINALE, quod ſcientiis inſeruit; putà ſecundæ intentiones Logicæ.

b. NON-DOCTRINALE, quod ſcientiis minimè inſeruit, v. g. *Hippocentaurus*.

DE ENTE REALI.

ENS reale, eſt quicquid éxiſtit, vel exiſtere poteſt independenter à mente, eſtque *vel*

1. ACTVALE, quod exiſtit citra mentis operam, v. g. *hic mundus*.

2. POSSIBILE, quod nemine cogitante poteſt exiſtere, v. g. *alter mundus.*

* Omne *actuale* eſt *reale*, non viciſſim; nam alter mundus eſt *realis*; cum ſit *poſſibilis*, nec eſt *actualis*; cum non ſit extra nihil.

☞ Omne *actuale* poteſt habere, tripliciter ESSE, putà *actu*, *poteſtate*, *obiectiuè*, v. g. hic mundus; cum enim ſit extra nihil, eſt ACTV: at quia ab actu ad poſſe valet conſequentia, eſt etiam POTESTATE; tum, quia cognoſci poteſt à noſtro intellectu, habere quòque poteſt eſſe OBIECTIVÈ.

Ens merè poſſibile, poteſt tantùm habere eſſe *poteſtate*; quia poteſt exiſtere. Et quia poteſt quòque à noſtro intellectu percipi, poteſt quòque habere eſſe *obiectiuè*, v. g. alter mundus.

Ens purè obiectiuum, v. g. *deorum pluralitas*, poteſt tantummodò habere eſſe *obiectiuè*; putà eſſe *cognitum*; quod enim à nobis cognoſcitur acquirit eſſe, (vnde Philoſopho domus priùs eſt in mente architecti quàm in lapidibus) at non acquirit aliud eſſe, quàm *eſſe cognitum*, ſeu *obiectiuè*.

ENS *reale* iterum eſt, vel *per*

1. ESSENTIAM, ſeu יהוה id eſt ipſum eſſe, v. g. ſolus Deus.

2. PARTICIPATIONEM, ſeu precaria entis vmbra, qualis eſt omnis creatura.

PRÆTEREA ens eſt

1. PER SE, vel *quod*

a. *Alteri ineſt neceſſariò*, v. g. rationalitas; *aut* vis ridendi homini.

b. *Non eſt per aliud.* Sic lumen dicitur *per ſe* viſibile; quia non videtur *per aliud.*

c. *Eſt totum*, vel *vnum* per ſe. *Sicque* eſt vel

a. *Omnino ſimplex* (quod ſcilicet caret partibus) v. g. Deus, angelus.

☞ b. *Compoſitum*, ſeu totum conſtans ex actu, & potentiâ naturalem ordinem inter ſe habentibus, & ejuſdem generis, v. g *homo*; conſtat enim ex *corpore* (quod eſt *potentia*) & ex *animâ* (quæ eſt *actus*) ſuntque eiuſdem *generis*, ſeu *categoria*; etenim ſunt ſubſtantiæ.

* Quod eſt vna *eſſentia*, v. g. humanitas, vel vna *perſona*, v. g. Chriſtus Dominus, eſt ENS *per ſe*.

2. *Ens* per *accidens*, dicitur vel *quod*

a. *Alteri ineſt contingenter*, v. g. medicina, medico.

b. *Eſt tale per aliud*. Sic paries eſt extenſus per accidens; nempe per quantitatem.

c. *Prout opponitur* toti per ſe. Sicque definitur, *quod conſtat pluribus* vel

a. *Naturalem ordinem inter ſe non habentibus*, v. g. *domus*, conſtat enim pluribus artificiali ordine inter ſe connexis. Item *ciuitas*; conſtat enim ex pluribus arbitrarium ordinem inter ſe habentibus.

b. *Diuerſi generis*, v. g. *frigidum* reſpectu aquæ; conſtat enim ex aquâ, & frigore, quæ licet habeant naturalem ordinem ad inuicem; ſunt tamen diuerſi *generis*; aqua quippe eſt *ſubſtantia*, frigus verò eſt *qualitas*.

* Omne contiguum, deinceps, vel diſcretum, eſt ENS *per accidens*.

* Omne ens per *accidens* ſupponit ens *per ſe*; vel à quo ſit, vel ex quo componatur. Sic mundus, *Deum*; frigidum, *frigus*; ciuitas, *hominem* ſupponit.

ENS *reale* rurſus eſt *vel*

PER *ſe* { ſubſiſtens / non ſubſiſtens [putà { *ſubſtantia.* / *accidens.*

Cum autem plura de illâ, quàm de hoc ſint nobis dicenda; idcirco priùs agimus

---

DE ACCIDENTE.

CONTINGENS, ſeu ἐνδεχόμενος, non eſt confundendum cum accidente quod vocatur, συμβεβηκός, (de quo hîc agimus) omnis enim creatura eſt *contingens*, nec omnis eſt *accidens*, putà homo.

ACCIDENS latè, *dicitur* quaſi ad aliud cadens. Hocque *vel*

Opponitur { Eſſentiæ. Neceſſario. Subſtantiæ.

ACCIDENS prout opponitur.

1. Essentiæ, dicitur quicquid non eſt de eſſentiâ, v. g. *vis ridendi*, reſpectu hominis. Sic *proprietas* ineſt accidentariò.

2. Necessario, ſicque dicitur quicquid alteri ineſt *contingenter*, v. g. veſtis reſpectu hominis. Sicque eſt *accidens commune*, ſeu quintum vniuerſale.

3. Svbstantiæ, ſicque dicitur ens per ſe non *ſubſiſtens*. Item, ens *inhærens*.

☞ Inhærens, *dicitur* quod eſt in alio non tanquam pars, & impoſſibile eſt eſſe ſine eo in quo eſt (ſeu ſine ſuo ſubjecto.) Sic nigredo *inhæret* hebeno; *ineſt* enim hebeno, nec eſt hujus *pars*, & illa nequit naturaliter *eſſe ſine* hebeno.

* Devs non *inhæret*; quia nequit eſſe in alio;

cum cætera ſint in ipſo. Item *Petrus*; non enim eſt in alio vt in ſubjecto. Nec *anima* inhæret, viuenti, aut hujus corpori; ineſt enim viuenti vt *pars*, & huius corpori, vt *compars*. Nec humanitas *inhæret* Petro; ipſi enim ineſt vt tota communis ipſius eſſentia.

Hedera, non *inhæret* parieti; quia eſt naturaliter à pariete ſeparabilis. Nec proprietas quarto modo; putà *vis ridendi*, homini; quia nc diuinitùs quidem ab homine eſt ſeparabilis.

* Omne ſubiectum ſaltem diuinitùs poteſt eſſe ſine *ente inhærente*, non viciſſim nam grammatica, ne diuinitùs quidem poteſt eſſe ſine grammatico. Vnde *ens inhærens*, differt à proprio *quarto modo*, quòd huius ſubiectum nequidem diuinitùs poſſit eſſe ſine ſuâ proprietate, v. g. homo, ſine virtute ridendi.

* Omne ens *inhærens*, eſt non *ſubſiſtens*, non viciſſim; nam *modus*, eſt ens non *ſubſiſtens*, nec tamen eſt ens *inhærens*; non enim eſt entitas ſuperaddita rei modificabili, v. g. *vnio* rebus vnitis; *ſimilitudo*, qualitati.

* Quod inhæret alicui, inhæret & omni; ſic *nigredo* inhæret hebeno; quia inhæret *crinibus*, eſſentiæ quippe rerum ſunt immutabiles.

* Iuſtitia non *inhæret* Deo, quamuis *inhæreat* homini; quia vniuocè non conuenit Deo, & creaturæ.

ACCIDENS perit, *vel*

1. *Oppoſitione contrarii*, v. g. *calor*, oppoſitione frigoris.

2. *Defectu influxûs agentis*, v. g. *lumen*, recedente corpore lucido.

3. *Defectu termini*, v. g. *filiatio creata*, deficiente paternitate.

4. *Corruptione ſubiecti*, v. g. figura ſtatuæ, deſinente ipſius marmore.

DE SVBSTANTIA ET SVBSISTENTIA.

SVBSTANTIA dicitur à *ſubſtando*, & *ſubſiſtendo*. Svbsistere, eſt *eſſe in ſe*; ſeu non eſſe in alio.

Svbstare, eſt ſtare ſub alio, vel vt *inferius* ſub ſuperiore; vel vt *ſubjectum* ſub formâ; aut *totum* ſub parte; ſic petrus maximè *ſubſtat*; ſtat enim ſub homine, vt quid *inferius* ſub ſuperiore; ſub animâ, vel brachio, vt *totum* ſub parte. Item ſub albedine vt *ſubjectum* ſub formâ.

SVBSTANTIA, generatim eſt *Ens per ſe ſubſiſtens*. Svbstare, *autem accidentibus*, conuenit ſoli ſubſtantiæ creatæ.

Quadruplex eſt *gradus* incommunicabilitatis ipſius ſubſtantiæ; vltimus autem eſt Svbsistentia; quæ vocatur vltimum ſubſtantiæ complementum.

Svbstantia, eſt incommunicabilis alteri vel tanquam

1. Svbiecto *inhæſionis*, v. g anima, viuenti; huic enim nequit inhærere; cum ſit huius pars.

2. Pars, *toti*; hoc modo humanitas eſt ſubſtantia; non verò anima; cum hæc ſit pars; vnde eſt ſolùm *ſubſtantialis*, ſeu *pars ſubſtantiæ*.

3. Svperivs, *inferiori*; v. g hæc humanitas; ſic ſpecies, & genera ſubſtantiarum Ariſtoteli non ſunt ſubſtantiæ.

4. Svpposito, v. g. Petrus; ſic quia, *hæc humanitas*, eſt communicabilis Petro, eſt *ſubſtantia ſingularis*, non verò *ſuppoſitum*. Hinc humanitas quæ Verbo hypoſtaticè, ſeu perſonaliter vnitur, non ſubſiſtit; Etenim Verbum Diuinum aſſumpſit naturæ humanæ ſingularitatem, non perſonalitatem.

Petrus *maximè ſubſiſtit*, continet ènim omnem incõmunicabilitatis rationem; non enim eſt in alio vt accidens in *ſubjecto*; nec vt pars in *toto*; aut vt ſuperius in *inferiori*, vel denique vt ſubſtantia ſingularis in *ſuppoſito*.

Animalitas eſt *ſubſtantialiter communicabilis* humanitati; *humanitas* autem, huic humanitati; *hæc* verò Petro; *Petrus* autem nulli eſt intrinſecè communicabilis.

SVPPOSITVM eſt ſubſtantia incommunicabilis alteri ſubſtantialiter perfectibili, & terminabili: ſicque illud nequit communicari alteri tanquam

1. Subjecto inhæſionis; quia eſt *ſubſtantia*.
2. Pars, *toti*; quia eſt *ſubſtantia completa*.
3. Superius, *inferiori*; quia eſt *ſubſtantia ſingularis*.
4. Suppoſito; quia ſubſiſtit *ſubſiſtentiâ actuali*.

PERSONA eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſtantia.

SVBSISTENTIA eſt, *vel Radicalis*, ſeu prima ſubſiſtendi exigentia. *Aptitudinalis*, ſeu aptitudo ad ſubſiſtendum. *Actualis*, ſeu actus per quem de facto, ſubſtantia, ſubſiſtit. Prima eſt de *eſſentiâ* ſubſtantiæ creatæ; ſecunda eſt eius *proprietas*, tertia, eſt ei *contingens*.

SVBSISTENTIA, non reddit *Naturam*, ſed *Perſonam* incommunicabilem; *perſona* enim, non *natura* Patris Diuini eſt incommunicabilis: ſubſiſtentia autem reddit naturam incommunicabilem ad modum terminabilis, & perfectibilis, non verò ad modum terminatiui, & perfectiui; Perſona enim Verbi terminat, & perficit humanitatem quam aſſumpſit; quæ quia ſubſtantialiter terminatur, & à Verbo perficitur, propriâ caret ſubſiſtentiâ.

SVBSTANTIA redditur alteri incommunicabilis tanquam

anima habet *perſeitatem*, non totalitatem; humanitas habet *totalitatem*, non ſingularitatem; Divinitas habet *ſingularitatem*, non individuationem; humanitas Chriſti ſalvatoris habet *individuationem*, non ſubſiſtentiam actualem; *Petrus* omnia prædicta continet; eſt enim per ſe, totum, quid ſingulare, individuum, ſuppoſitum.

SVPPOSITVM eſt ſubſtantia ultimatè completa, v. g. *Bucephalus*; habet enim ultimum incommunicabilitatis complementum; eſt enim ſubſtantia ut actu ſubſiſtens, ſeu totaliter completa.

PERSONA, eſt ſuppoſitum intellectuale, *ſeu* intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſtantia; eſt enim ſubſtantia intellectualis ultimatè completa, v. g. *Verbum Divinum*, Gabriel, *Petrus*.

Boëtio, eſt *natura rationalis individua ſubſtantia*. Hæc definitio perſonæ non eſt accurata; non enim convenit *naturæ Angelicæ*, cùm hæc ſit intellectualis, non rationalis.

Item, non competit Perſonæ Divinæ, cùm non ſit individua; Pater enim Divinus differt à Verbo, *perſonalitate*, non autem *individuatione*.

Ultimò, quia humanitas Chriſti ſalvatoris, eſt naturæ rationalis individua ſubſtantia; nec tamen eſt perſona.

Omnis *perſona*, eſt *ſuppoſitum*, non viciſſim; Bucephalus enim eſt *ſuppoſitum*, non autem eſt *perſona*.

SUBSISTENTIA Latinè, *hypoſtaſis* Græcè, eſt ratio conſtitutiva ſuppoſiti, ut *perſonalitas*, reſpectu perſonæ; eſt enim id per quod *ſuppoſitum*, præciſè eſt id quod eſt, & à cæteris diſtinguitur. *Illa* eſt realiter indiſtincta à ſuppoſito, cùm ſit abſtractum Metaphyſicum.

DEFINITUR, *ultimum ſubſtantiæ complementum, eam reddens alteri incommunicabilem tanquam ſuppoſito*; ſiquidem eſt ultimus incommunicabilitatis ſubſtantiæ gradus, *ſeu* ultima, quâ in ſe completur, ſubſtantialis perfectio.

NATURA ſubſiſtens, non verò ut eſt ſubſiſtens, poteſt communicari.

SUBSISTENTIA quippe non reddit *naturam*, ſed *perſonam* incommunicabilem; *perſona* enim, non *natura* Patris Divini eſt incommunicabilis: ſubſiſtentia autem reddit perſonam incommunicabilem ad modum terminabilis & perfectibilis, non verò ad modum terminativi, & perfectivi; perſona enim Verbi terminat & perficit humanitatem, quam aſſumpſit; quæ quia ſubſtantialiter terminatur, & à Verbo perficitur, propriâ caret ſubſiſtentiâ.

Hinc *ſubſiſtentia*, dicitur *ſubſtantiæ totalitas*. Ideoque reddit *ſubſtantiam* incommunicabilem alteri per modum naturæ; ſubſtantiæ enim totalitas, non eſt ulteriùs ſubſtantialiter perfectibilis, qualiter eſt natura communicabilis, v.g. humanitas Verbo Divino.

Similiter ſubſiſtentia reddit ſubſtantiam incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito, quod enim ſubſiſtit actu, v.g. *Verbum Divinum*, non poteſt uniri alteri, putà humanitati noſtræ, ut hæc eſt ſuppoſitum; è duobus enim ſuppoſitis non fit unum ſuppoſitum, cùm hoc ſit ens per ſe.

DIVISIO SUBSTANTIÆ.

SUBSTANTIA eſt, *vel*

1. COMPLETA, quæ non eſt nata ingredi compoſitionem *totius per ſe*, v.g. *Angelus*

INCOMPLETA, quæ nata eſt ingredi compoſitionem *totius per ſe*, v.g. *anima*, quæ componit vivens, vel exigit ipſum componere. Sic

Sic *ens* { completum / incompletũ } [eſt quod { nõ eſt / eſt } { natũ ingredi cõpoſitionem totius per ſe.

SIC *angelus*, eſt quid *completum*, & *anima*, eſt quid *incompletum* in ratione entis.

ITERVM ſubſtantia, eſt *vel*

1. PRIMA, ſeu *indiuidualis*, v. g. Petrus.

2. SECVNDA, ſeu *vniuerſalis*, v. g. homo. *De quib. in comp. Log.*

PRÆTEREA SVBSTANTIA, eſt *vel*

1. CORPOREA, ſeu *materialis*, quæ in ſuo eſſe dependet eſſentialiter à materiâ, v. g. *corpus*, eſt enim ſubſtantia corporea.

2. INCORPOREA, *ſpiritalis*, ſeu *immaterialis*; quæ in ſuo eſſe eſt independens à materiâ, v. g. SPIRITVS, eſt enim *ſubſtantia ſpiritalis.*

Hæc eſt, *vel*

a. *Increata*; putà ſolus Deus.

b. *Creata completa*, putà Angelus.

VTRAQVE ſubſtantia eſt VIVENS. Quamobrem hìc agimus.

DE

VIVENTE GENERATIM.

VIVENS vnicâ definitione nequit definiri; cum varia ſit in viuentibus vitæ ratio. Itaque priùs viuens eſt diuidendum, quàm definiendum.

VIVENS igitur, eſt *vel*

1. Per eſſentiam; hocque eſt vitæ plenitudo ſeu *puriſſima primæ veritatis comprehenſio*, & *ſumma bonitatis dilectio* Nempe *ſolus Deus*.

2 Per participationem, eſtque *vel*

a. *Pure ſpiritale*, putà Angelus.

b. *Corporeum*, hocque etiam eſt *vel*

α. Non purè corporeum, v. g. ſolus homo.

β. Purè corporeum, hocque eſt, vel *ſenſitiuum*, v. g. *bellua*; aut *vegetatiuum*, putà *planta*.

Homo, eſt *viuens* partim ſpiritale, partim corporeum. Vnde ſicut Dei, & angelorum, ſimiliter belluarum, & plantarum vitam participat. Quapropter in eo eſt omnis potentiæ vitalis ſpecies; nempe *intellectus*, *voluntas*, & *virtus motiua ſpiritalis*; ſicut in Deo & Angelis. Item *ſenſus*, *appetitus*, & *vis motrix materialis*, cum belluis. Denique ipſi ineſt *facultas nutritiua*, *augmentatiua*, & *generatiua* cum plantis. *De quibus ſuo loco.*

VIVENS de quo hìc agimus eſt purè ſpiritale, hocque eſt, *vel*

1. *Independens*, putà ſolus Deus.

2. *Dependens*, nempè Angelus.

DE ANGELIS.

ANGELI, dicuntur *nuntii*; quia Deus iis vtitur ad ſuas voluntates hominibus manifeſtandas.

ANGELVS generaliter, eſt ſpiritus creatus completus.

Angelorvm *alij* ſunt

1. Boni, qui ſanctitatem à Deo conditore acceptam ſeruauerunt. Idcircò ſunt aulici Dei.

2. Mali, ſunt qui ſuâ in Deum rebellione miſerrimè, è ſuæ ſanctitatis gratiâ exciderunt.

Bonorum, ſunt tres *Hierarchiæ*, in nouem *ordines* diſtributæ.

HIERARCHIA, eſt diſpoſitio ſacrarum perſonarum ſub aliquo ſupremo principe conſtitutarum.

Ἀ'για ἀρχὴ, ſacer principatus, eſt princeps, & multitudo ſacrarum perſonarum ſub ipſo ordinata.

Ordo, ſeu *chorus*, eſt ſpecialis in hierarchiâ cœtus perſonarum, muneris ſimilitudinem habentium. Sic omnes Seraphim *amore*, Cherubim uerò Dei *ſcientiâ* eminent.

IN prima Hierarchiâ ſunt

Seraphim qui diuini amoris ardore flagrantes, ineffabile ſpiritûs ſancti charitatis incendium referunt. *Cherubim*, qui incomprehenſibilis ſapientiæ irradiati ſplendore, æternum verbi *increati* lucis candorem exprimunt. *Throni* qui Diuinæ majeſtatis ſede pollentes inacceſſibilem *æterni patris Deo* riam nobis repræſentant. Igitur ij ſpiritus, glovt *Trino* ſubjacent, eique, velut in ipſius *ſanctuario* aſſiſtunt.

IN ſecundâ hierarchiâ ſunt *Dominationes*, inferioribus imperantes quæ ſunt agenda. Item *virtutes*, præbentes facultatem ad agendum. Tum etiam *poteſtates* alijs præſcribentes quâ ratione mandata Dei ſint exequenda: ij ſunt veluti in veſtibulo *ſanctuarij* Dei.

IN tertiâ denique hierarchiâ ſunt *principatus*, qui vt duces incipiunt exequi quæ ſunt a ſuperiori-

bus præſcripta, alioſque in executione dirigunt. Item *Archangeli* qui inter operandum à *Principatibus* diriguntur, & *Angelos* regunt. Tum denique *Angeli* qui Dei mandata ſimpliciter, exequuntur; vel ea (niſi ſint grauioris momenti) *hominibus* exequenda deportant. Iique, ſunt veluti extra veſtibulum *Sanctuarij* Dei.

SPIRITVS mediæ, & poſtremæ *Hierarchia* Deo aſſiſtunt, deſtinati ad ipſius decreta erga homines, necnon miniſteria erga cæteras creaturas exequenda. Hinc exponuntur nominibus, officia erga creaturas, deſignantibus, puta *dominationes*, *virtutes*, &c.

RATIO ſocietatis in Hierarchiâ eſt *purgare*, *illuminare*, *perficere*; ſuperiores enim ab inferiorum mente neſcientiam, & ab eorum voluntate defectus purgant; eos quippe veritatum manifeſtatione illuminant, & in *veritatis* agnitione confirmantes, & *Charitatis* ardore corroborantes, perficiunt, v. g. SERAPHIM *ignea charitatis*, quâ ſunt accenſi actiuitate & efficaciâ *Cherubim* purgant, *ſua claritatis* ſplendore illuminant. *ſuoque voluntatis ardore*, ipſos Deo intimiùs vnientes, perficiunt.

HINC triplex eſt *vita ſpiritalis* in homine, *putà*

1. PVRGATIVA, ſeu errorum intellectûs, & vitiorum voluntatis emendatiua.

2. ILLVMINATIVA, in quâ noſter intellectus lumine fidei, de veritatibus ſupernaturalibus illuſtratur.

3. VNITIVA, in quâ voluntas eò euehitur accenſa charitatis ardore, vt Deo vnicè adhæreat.

QVA ratione, cœleſtes intelligentiæ ſint coram diuinâ majeſtate ſubſtratæ, poteſt ruditer exponi, ordine eorum quæ in aulâ principis geruntur; in

eâ quippe aulicorum *aliqui* eius ſunt dignitatis, vt in ipſius conclaui admittantur. *Alii* id ſolùm habent vt in anteriore cubiculo reſideant. *Alii* demùm, vt foris, & ad portam maneant. Eorum autem qui ad perſonam principis admittuntur (aut propter ſuæ nobilitatis dignitatem, vel officium) *quidam*, eâ ſolùm pollent gratiâ, vt cum principe familiari ſermone poſſint facilè colloqui.

ALII, hoc etiam priuilegio gaudent. vt & conſiliorum principis ſint participes; *Alii* demum prætereâ hoc eminent honore, vt & aſſiduè principem ſtipent, eiuſque lateri iugiter adhæreant. *Hi* verò à Principe eius voluntates immediatè ſuſcipiunt, eiuſque mandata, in veſtibulo *reſidentibus* enunciant, *hique* ea *ſtantibus* ad fores, declarant. *Hi* denique *aliis ſubditis* (ſi opus eſt) exequenda præſcribunt. Simili (modo vt ita dicam) *Throni* immediaté deum recipientes, ad eum gratiæ, & honoris euehuntur faſtigium, vt in diuinæ majeſtatis ſplendore rerum agendarum rationes cognoſcant. *Cherubim* præterea, & Dei ſecreta, ipſo reuelante, percipiant. *Seraphim* autem vlteriùs ad hunc dignitatis, & eminentiæ apicem euehuntur vt ſuæ flammeæ charitatis incendio indeſinenter Deo vniantur, eiuſque decreta ab ipſo immediaté accepta inferioribus ſuæ Hierarchiæ angelis declarent; hi autem ſpiritibus ſecundæ hierarchiæ manifeſtant; eaque (ſi ſint miracula, vel prodigia) ipſi exequuntur; vel ſi non ſint ſui officij, ea *ſpiritibus* inferioris Hierarchiæ efficienda delegant: putà *Principatibus*; hi verò *Archangelis, Archangeli* demùm *Angelis* imperant; *angeli* denique hominibus agenda præſcribunt.

PRINCIPATVS, tutandæ Eccleſiæ, cauſiſque

vniuerſalibus adminiſtrandis; putà cœlis, &c. præponuntur. *Archangeli*, rebus ſummis perpetrandis, atque Rebuſpublicis curandis, aut principum cuſtodiæ præficiuntur. *Angeli* denique rebus minoris momenti, tum hominum priuatorum directioni, atque cuſtodiæ deputantur. Vnde Pſalti regio. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis, &c.*

Angeli inferiores, quidquid à ſuperioribus declarandum hominibus acceperunt, id hos docent, aut *interiùs* ſpecies intentionales (præſertim in ſomniis) componendo, diuidendo, vel nouas excitando: vel *exteriùs* vocibus articulatis, idque imaginariâ apparitione (cum videlicet, ab eo tantùm, cui eiuſmodi fit apparitio obiter deprehenditur) aut in corporibus aſſumptis; *videlicet* cum apparitio à pleriſque dignoſcitur.

ASSVMPTIO *corporis ab Angelo*, eſt ſpecialis vnio localis Angeli cum corpore quâ ſe, ſuumque officium viſibiliter demonſtrat; vt conſtat ex Angelo ductore filij Tobiæ.

DE

FACVLTATIBVS ANGELORVM.

CVILIBET ſubſtantiæ ſpiritali triplex eſt potentia, *putà* intellectus, voluntas, & virtus motiua ſpiritalis.

INTELLECTVS, eſt potentia ſpiritalis cognoſcitiua omnis veri.

Cognoscitivvm, eſt cognitionis productiuum, v. g. *intellectus*, vel *ſenſus*.

Cognoscibile, eſt id quod poteſt cognoſci, v. g. Sol.

Cognitio, eſt vitalis obiecti repræſentatio. Hæcque eſt, *vel*

1. *Materialis*, ſeu ſenſatio.

2. *Spiritalis*, ſeu intellectio; hæcque eſt *ſpiritalis obiecti repræſentatio*, v g. conceptio Solis in mente.

Cognoſcere, eſt obiectum vitaliter ſibi repreſentare. *Sic* pater diuinus generando Verbum, ſuam ſibi eſſentiam repræſentat. Hinc Verbum diuinum vocatur *imago*, *&* *character ſubſtantiæ illius.*

INTELLECTIO eſt, *vel*

1. Directa, *ſeu* cognitio rei diſtinctæ ab operatione mentis, v. g. conceptio Solis; *hæcque* fit ſine examine, eſtque *imperfecta*; vt dum primâ fronte cognoſco *animal rationale*. Vel cum mentis examine, hæcque eſt *perfecta*, v. g. cum aduerto *animal* eſſe genus proximum hominis; *rationale* autem eſſe eius differentiam maximè propriam.

2. *Reflexa*, ſeu cognitio cognitionis, v. g. examen definitionis.

PRAXIS.

QVOD acquiritur per cognitionem *Reflexam* eſt, poſterius quàm id quod acquiritur per cognitionem *directam*: Logica acquiritur per cognitionem *reflexam*; cæteræ verò ſcientiæ in ſtatu perfecto per cognitionem *directam*.

Reſponſio, quod acquiritur per cognitionem *re-*

flexam eſt poſterius quàm id quod acquiritur per cognitionem *directam imperfectam*; non verò id quod acquiritur *per cognitionem perfectam*: at cæteræ ſcientiæ acquiruntur in ſtatu perfecto per cognitionem *directam perfectam*.

INTELLECTIO iterum, eſt *vel*

1. ABSTRACTIVA, quâ vnum cognoſcitur per aliud, v. g. *cauſa*, per effectum; putà *Deus*, per creaturas.

2. INTVITIVA, quâ *res* in ſe videtur. Eſtque *vel*

a. *Apprehenſiua*, quâ res ad modum cognoſcentis finiti percipitur, v. g. *viſio beatifica*, quâ Deus ab intellectu angelico noſcitur; cognoſcibilitas enim Dei ſuperat infinitè vim cognoſcitiuam creaturarum; Ideoque ei nequit adæquari, ſicut minima ſcrobs, maris abyſſis (ſi parua licet componere magnis.)

b. *Comprehenſiua*, quâ res cognoſcitur in quantùm in ſe eſt cognoſcibilis, v. g. *cognitio* quâ Deus ſeipſum intelligit; adæquatur enim rei cognitæ; cognoſcit quippe ſuam eſſentiam in quantùm ipſa eſt cognoſcibilis.

COGNITIO præterea, eſt

1. *Matutina*, quâ res cognoſcitur in verbo diuino, v. g. *viſio* quâ beati cognoſcunt res creatas in verbi ſplendore, velut in ſpeculo res omnes nitidiſſimè repræſentante.

2. *Veſpertina*, quâ res cognoſcitur in ſe, v. g. quâ mundus per propriam ſpeciem intelligitur.

TALIS eſt *cognitio*, qualiter *cognitum* eſt in cognoſcente; illud autem eſt in cognoſcente ad modum cognoſcentis. Si igitur modus cognoſcendi rei cognitæ, excedat modum naturæ cognoſcentis, res cognita nequit in ſe videri.

Digitized by Google

3. OMNE COGNOSCENS, eſt *vel*

1 CORPOREVM, hocque vel habet *formam*

a. *Materialem*, & huic conuenit percipere actu quod eſt in hâc materiâ ſenſibili; ſeu *hoc materiale ſenſibile*; putà Bucephalo conuenit cognoſcere ſolùm hoc ſapidum; *nempe* hanc, quam comedit auenam.

b. *In materiâ, ſed à materiâ ſeparabilem*, v. g. homo; h cque naturaliter abſtractione cognoſcit formas quæ habent eſſe in materiâ ſenſibili, v. g albedinem ſeorſim à pariete, necnon naturas vniuerſales ſeparatim à ſingularibus.

2. PVRE *ſpirituale*, hocque eſt, vel *eſſentialiter*

a. *Limitatum*, v. g. Angelus. Huicque naturaliter conuenit cognoſcere intuitiuè res purè ſpiritales creatas, putà angelos.

b. *Illimitatum*, putà Deus, eique ſoli poteſt competere ſeipſum naturaliter intuitiuè videre, operari enim ſequitur eſſe.

Sicut igitur, eſt ſupra naturam ſensûs cognoſcere formas vt abſtractas; Pariter eſt ſupra naturalem *hominis* ſortem, ſpiritus intuitiuè videre; ſimiliter eſt ſupra omnem naturæ angelicæ vim, Deum intuitiuè cognoſcere. Igitur *gratia Dei eſt vita æterna.*

QVò *natura intelligentis* eſt excellens eò ſimpliciori, & eminentiori cognitione rerum naturas penetrat. Vnde cum Deus ſit ſupremum intelligens, *vnico verbo* omnia comprehendit. Sic quantò magis natura cognoſcentis eſt imperfecta, eò imperfectiori, multiplicique ratione res cognoſcit. Vnde *Angelus* intelligibili puritate id percipit, quod *homo*, ſolummodò ſenſibilium ſimilitudinibus agnoſcit, v. g. intelligibili puritate *potentiam Dei* concipit,

quam homo ſub *brachii* ſimilitudine, apprehendit.

Loqvi, *eſt* ſuum conceptum manifeſtare.

Manifeſtatio veritatis fit lumine.

Lumen dicitur quidquid aliud manifeſtat. Hinc Verbum æternum *vocatur* candor lucis æternæ; Item *lux* vera, *lumen* de lumine.

LVMEN eſt, *vel*

1. Natvrale, quod nobis res naturaliter declarat, v. g. *Lumen*, Solis. Item *Lumen* intellectûs humani, vel Angelici. Hocque eſt Lvmen *naturę*.

2, Svpernatvrale, quod res ſupra naturæ noſtræ ſortem poſitas patefacit. Hocque eſt, vel Lvmen

a. *Fidei*, quod eſt myſteriorum noui teſtamenti reuelatio.

b. *Glorię*, quò eſt intuitiua diuinæ eſſentiæ manifeſtatio.

Lvmen, eſt vel efficienter; quod efficit veritatis manifeſtationem, v. g. intellectus; vel *formaliter*, ſeu ipſa veritatis manifeſtatio, v. g. manifeſtatio eſſentiæ hominis.

Illuminare (intelligibiliter) eſt agnitam veritatem manifeſtare.

Ad *concipiendum* requiritur virtus intellectiua, & ſimilitudo rei intellectæ; hæc autem eſt ſimilitudo ab obiecto. *Vide in lib. de ani. Vbi de cognitione.*

Ad *loquendum*, Angelis ſufficit voluntatis conuerſio, ſeu directio: at vt homines, hominibus loquantur, requiritur, & exterior cogitationis declaratio. *Vid. in logi. Vbi de ſermone.*

Motus intellectûs, eſt *inquiſitio* veritatis, vt *motus* voluntatis eſt *deſiderium* boni.

VOLVNTAS, eſt facultas appetitiua ſpiritalis, v. g. appetitus quo tendimus in res honeſtas. *De his vid. in lib. de ani. & in mor.*

POTISSIMVS *actus* voluntatis eſt AMOR, eſtque vel

APPRETIATIVVS, quo aliquid magni facimus, ipſumque alteri præferimus.

AFFECTIVVS, quo erga rem amatam ſtudio inclinamur.

EFFECTIVVS, quo aliquem opere colimus; *primus* à mente exeritur, *ſecundus* à ſolâ voluntate; *tertius* autem ab aliis facultatibus. Hàc triplici amoris ratione, exigit Deus ſe à nobis ſuper omnia adamari; vt conſtat ex hoc præcepto *diliges Deum tuum ex tota mente, ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, & ex totis viribus tuis.*

ITEM AMOR eſt

CONCVPISCENTIÆ, quo alteri bonum volumus vtilitatis noſtræ gratiâ; v. g. amor quo ſeruus optat opes Domino ſuo, ſpe lautioris fortunæ.

AMICITIÆ, quo alterum diligimus, quia dignus eſt qui propter ſe ametur, v. g. amor quo quis amat virtutem propter honeſtatem.

VOLVNTAS eſt liberi arbitrii ſedes.

Liberum arbitrium, dicitur æquilibrium voluntatis; eſt vis electiua. *Vid. de his in Comp. Mor.*

DE DEO.

DEVS latinis, à dando dicitur; quia omnibus dat, & à nullo quicquam poteſt recipere. Vn-

de largitio eius, eſt maximè liberalis.

Græcis dicitur Θεός, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod omnia intueatur, vel à nomine δέος, *metus*, *formido*, quòd ipſe ſit formidabilis. Vnde illud

Primus, in orbe Deos fecit, timor.

Dicitur etiam δαίμων, quaſi δαήμων, *ſciens*.

Item nuncupatur ἀνενδεής, id eſt *non indigens*; *perennis*; *bonis omnibus affluens*; eſt enim ſufficientia boni. Cum ſit totalitas. & entis plenitudo.

Appellatur quòque αὐτάρκης, id eſt ſibi ſufficiens, omniaque ſuppeditans.

HEBRÆIS, יהוה, ὄνομα ἀπόρρητον, καὶ ἀφώνητον. nomen arcanum, & ineffabile; eſt enim proprium Dei nomen.

SYRIS ܡܪܝܐ, *Morio*, DOMINVS. *Id eſt* arbiter ſapientiſſimus, & ſupremus rerum omnium moderator.

ARABIBVS, الله, *Allah*; à radice, أله, *Aleah*, coluit, adoravit.

NVLLA gens eſt tam immanis, tamque barbara, quam Dei opinio non imbuerit; naturâ quippe magiſtrâ docemur, vrgente anguſtiarum neceſſitate, ad Deum, vt nos exaudiat, clamare, & vt ab eà noseripiat, ad ipſum ſupplices manus extendere. Quis igitur de ipſius exiſtentià dubitare poteſt? Enimuerò Deus eſt ad creaturas, vt *vnitas*, ad numerum; *æternitas*, ad tempus; *immotum*, ad mobile; *cauſa*, ad effectum: at *numerum*, ſine vnitate; *mobile*, ſine immobili; vel denique *effectum*, ſine *cauſà* exiſtere, eſt rerum planè impoſſibilium. Vnde impius negat in *corde* Deum; quia vellet eum non eſſe, quem ſuorum

ſuorum criminum vindicem fore præſentit; nec ipſum negat *mente*; Etenim ipſius exiſtentiæ claritate illuſtratus conuincitur.

Hinc Atheis notitia exiſtentiæ Dei, à Legiſlatoribus, ad Reipub. & ſtatûs conſeruationem (vt religiosè credatur) eſt populorum animis inſtillanda, necnon in iis ſollicitè eſt fouenda.

Exiſtentia Dei, eâ ratione prætereà demonſtrari poteſt. Deus eſt ens ſummè neceſſarium; hinc Athei nolunt Deum exiſtere, quia negant exiſtentiam entis ſummè neceſſarii: at exiſtit ens ſummè *neceſſarium*, vel enim exiſtit ens abſolutè *neceſſarium*, vel omne ens eſt *contingens*: at non omne ens eſt *contingens*; hoc enim poſito omne ens eſſet poſſibile, & non eſſet poſſibile. Eſſet poſſibile; eſſet enim *contingens*. Nec vllum ens eſſet poſſibile; ſupponamus enim omne ens actu exiſtens, non exiſtere; quod enim eſt poſſibile, poteſt poni non eſſe; cum ſit indifferens vt ſit, vel non ſit: at tunc omne ens eſſet impoſſibile; cum nulla tunc foret cauſa ipſius productiua; Etenim nihil tunc actu exiſteret à quo poſſet é potentiâ ad actum reduci.

DEVS *eſt* ipſa eſſentialis veritas, charitas, immobilitas, & ipſa omnipotentia.

EST actus puriſſimus; eſt enim ens in omni genere perfectionum infinitum; etenim à nullo limitari poteſt. Quicquid enim ab aliquo limitatur ad aliquod genus, vel eſt eius *principium*, v. g. pater diuinus reſpectu Verbi. Aut eius *cauſa*, v. g. Deus reſpctu creaturæ; vel denique eſt eius *radix*; v. g. eſſentia Dei reſpectu miſericordiæ diuinæ: at Deus nullo ex his modis limitari poteſt: cum ſit *ens* eſſentialiter omni ratione *independens*. Igitur Deus eſt ipſa ſubſtantialis perfectio.

L

Omne ens eſt vnum. verum, bonum: Deus eſt maximè ens; cum ſit primum ens. Igitur eſt maximè vnus, verus, bonus; tum quia eſt prima, & eſſentialis vnitas, veritas, bonitas.

Devs eſt eſſentialiter ſingularis; cum ſit ipſa entis totalitas: at entis totalitas eſt eſſentialiter ſingularis; impoſſibilis enim eſt duplex entis totalitas; quælibet enim eſſet totalitas entis, & non eſſet; eſſet ex hypotheſi; non eſſet; quia extra quamlibet ſeorſim eſſet aliquid: at entis totalitas, eſt id extra quod nihil eſt.

Cum ſummum bonum ſit maximè ſui communicatiuum, atque diffuſiuum. Ideoque natura diuina communicatur omnibus modis quibus ens poteſt communicari. Nempe *ad*

1. *INTRA*, vel *emanatione*, v. g. paternitati diuinæ; aut *actione*, nempe vel intellectione notionali, putà *Filio*; aut *amore*, videlicet *Spiritui Sancto*.

2. *EXTRA*, per omnipotentiam, largiendo bona *gloriæ*, *gratiæ*, *naturæ*, ſcilicet tribuendo *eſſe*, *poſſe*, & *operari*; hocque, vel non *viuentibus*, putà Soli; aut *viuentibus*, videlicet *plantis*, *bellnis*, *hominibus*, *Angelis*.

ATTRIBVTA Dei, alia ſunt *inſtar*

1. *POTENTIÆ*, nempe *intellectus*, *voluntas*, *omnipotentia*; potentia prima eſt *dirigens*; ſecunda, *mouens*, vel *imperans*; tertia, *exequens*. Hæcque eſt *ordinaria*, v. g. ea quâ Deus mundum condidit; *extraordinaria*, v. g. ea quâ ſtitit ſolem, ad imperium Ioſüe; vel *abſoluta*, v. g. ea quâ quæritur, an Deus poſſit infinitum actu extra ſe producere.

2. *HABITVS*, putà ſcientia, &c. Hæcque eſt vel

a. *Viſionis*, quâ noſcit res actu *exiſtentes*, v. g. hunc mundum, vel quæ *extiterunt*, putà diem heſternum; vel aliquando *exſtituras*, v g. Antichriſtum.

Sicut vnico ſimplici inſtanti Deus omnem durationem ſibi immobiliter adunat; Ita indiuiſibili mentis intuitu omnem cognitionis aciem comprehendit.

b. *Simplicis intelligentiæ*, quâ videlicet noſcit res poſſibiles nunquam futuras; putà omnes filios quos Adam potuit gignere.

c. *Media* (vt quibuſdam placet) quâ cognoſcit res nunquam futuras, quæ fuiſſent tamen poſitâ quâdam conditione; v. g. conuerſionem Tyriorum, & Sydoniorum ſi patrata fuiſſent apud eos miracula, quæ apud Corroſaim, & Bethſaidam edita fuerunt.

3. *ACTVS*, v. g. diuinæ eſſentiæ *comprehenſio*, & *Charitas*. Item actus vtriuſque putà *decreta*, & *prouidentia*; vel generalis, quâ omnibus prouidet; *vel* particularis, ſeu *prædeſtinatio* quâ peculiari ratione quibuſdam creaturis intellectualibus de mediis ad vitæ finem neceſſariis, ordinat.

De prouidentiâ (quâ ſcilicet Deus ſuos ſicut nutrix infantulum, fouet) hi verſus in quibus Deus inducitur loquens poſſunt dici.

Sum via, ſumque tibi dux, cuſtos, terminus idem,
Sedulus & te vlnis geſtio ferre meis.

De actibus Dei ad extra, puta creatione, conſeruatione, &c. Egimus ſupra tract. de cauſis.

EPILOGVS.

COELI *enarrant gloriam Dei*, ſublimis illorum eminentiæ amplitudo, ſupremi moderatoris immenſitatem expandit, & maieſtatis celſitudinem explicat, & extollit, necnon eorundem immunitas à mixtione, & incorruptibilitatis perennitas diuinæ ſimplicitatis puritatem, & prodit, & probat, incommutabiliſque ipſius eſſentiæ æternitatem ſtabilit, atque confirmat; continuus etiam, & vbique diffuſus ſyderum ſplendor, noſtris oculis viſibiliter manifeſtat ipſum inuiſibilem, ipſum qui poſuit in ſole tabernaculum ſuum, & lucem habitat inacceſſibilem. *Leuate* quæſo *in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc.* Nonne harmonicus ſyderum concentus, vt & eorum ad numerum motus mirâ commendatione celebrant arcanam incomprehenſibilis ſapientiæ ordinationem, necnon eorum influxuum communicatio; ineffabilis ipſius bonitatis diffuſionem ad nos deriuat, atque dimittit; tum etiam mirabilis ſtellarum militia, ſicut caſtrorum acies ordinata tuetur, atque propugnat fortitudinem Domini Dei exercituum, Domini qui tribus digitis, SAPIENTIÂ, nimirùm, BONITATE, & POTENTIÂ mundi machinam appendit, ordinat moderatur; *leuate oculos ſurſum, & dicite* quoniam *opera manuum eius annunciat firmamentum.* Nunquid etiam propinquitas, & diſtantia planetarum, item præſentia, & eorundem à nobis diſtantia, tum diei, noctiſque indeſinens, & ad amuſſim

ordinata viciſſitudo, vt & perennes indiſſolubilium tempeſtatum vices, ipſum euidenter patefaciunt *apud quem nulla eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Leuate* igitur *oculos ſurſum, & ſcitote* quoniam *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam* eius qui

Conſtans, immotuſque manens dat cuncta moueri.

Pariter inſoliti euentus, & vrgentes comœtarum minæ, judicis qui pauperem injuſtè vexatum è ſtercore erigit, iram, atque vindictam prænuntiant, & pronunciant, fulgetræ illuſtrant, tonitrua reboant, fulmina exequuntur. *Leuate* tandem *oculos veſtros* in excelſum, & fateamini *quoniam non ſunt loquelæ, neque ſermones quorum non audiantur voces eorum*; Etenim *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; *&* HOC, *quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*, quòd fecerit hæc, moueat, & promoueat IS, quo terra fulcitur ponderibus librata ſuis, IS qui mare turbat, ſedat, continet, *qui legem poſuit aquis ne tranſirent fines ſuos*, IS *qui de theſauris ſuis educit ventos*, aërem diducit; æthera diffundit, cœlum circumagit, ſydera fœcundat, & illuſtrat. Interroga volatilia cœli, & id indicabunt tibi, jumenta, & idipſum docebunt te; Talpas, & idem tibi detegent; ſicut & piſces diuinâ Vniuerſi adminiſtratione quaſi ſtupefacti, ſuo etiam ſilentio clamabunt quòd *horum omnium artifex* ſit *Sapientia*, quam homines demonſtrant, *Dæmones credunt, & contremiſcunt*, Angeli laudant, Poteſtates venerantur, Throni capiunt, Cherubim adorant, Seraphim ardent. Tibi modò inter creaturas locum elige (ſi poſſis) ô *inſipiens*, qui dicis *in corde tuo, non eſt Deus*. Tolle,

tolle impiam cœcitatem, attolle oculos in excelſum, & exclames! ô Domine *tua eſt terra, tui ſunt cœli, & eorum plenitudo* refulget ſplendore, & gloriâ majeſtatis tuæ. Oh *quàm vani ſunt homines in quibus non eſt ſcientia* Dei! qui *è magnitudine creaturarum* noluerunt agnoſcere earum creatorem; Oh *beata gens, Cuius Dominus eſt Deus* ipſius! *Cui* SOLI, ab omnibus, & vbique *ſit*

VIRTVS, LAVS, HONOR,

GLORIA, ET BENEDICTIO

IN PERPETVAS

ÆTERNITATES.

Digitized by Google



Qui valet e nihilo res cunctas condere, ſolus ipſe poteſt harum cauſas reſerare latentes.

ENCHIRIDION
TOTIVS PHYSICÆ.

MVNDVS viſibilis, opus Dei inuiſibilis, tanquam exemplar, oculis animæ noſtræ proponitur, & exponitur, cujus imago ſit à nobis delineanda, quam eò viuidiori charactere exarabimus, quò vberiori virtute dignabitur illius Archetypus, & Artifex, non neruorum ſpiritus, & manus dexteritatem; ſed ſtyli vim, & breuitatem, mentiſque aciem acuere, moderari, promouere.

Quapropter illius ſummæ bonitatis auxilio freti, abſcondita naturæ arcana ſuſcipimus pro viribus noſtris, ſummatim hìc declarare.

PHYSICA dicitur ἀπὸ τῆς φύσεως, quod putà NATVRÆ, *rerumque naturalium*, ſit contemplatiua. Eſtque duplex putà

Hiſtorica | *Æthiologica* [quę corporũ naturaliũ { hiſtoriã | cauſas [refert

HÆC definitur *ſcientia ſpeculatiua corporis vt naturalis.*

NATVRALE, hìc *dicitur* quod conſtat *naturis*; id eſt *materiâ*, & *formâ*.

PHYSICA AVSCVLTATIO eſt, *vel*

1. GENERALIS, quæ corpus naturale vniuerſim, ejuſque principia, cauſas, & affectiones ſpeculatur.

2. SPECIALIS, quæ ſpecies corporis naturalis contemplatur. Vnde quatuor erunt Phyſicæ tractatus.

PRIMVS erit de principiis; *Secundus* de cauſis; *Tertius* de proprietatibus; *Quartus* denique de ſpeciebus corporis naturalis.

TRES primi, ad *generalem*. Quartus autem ad *Phyſicam ſpecialem* pertinet.

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS.

DE PRINCIPIIS

CORPORIS NATVRALIS.

PRINCIPIA corporis naturalis, ſunt *vel* 1. *COGNITIONIS*, eaque *vel*

a. COMPLEXA, putà *ex nihilo nihil fit*; *in nihilum nihil poteſt reſolui*, &c.

b. SIMPLICIA, v. g. MOTVS; eſt enim *quid primum unde corpus naturale dignoſcitur*; ex vegetatione enim *vegetans*, in plantis; ex ſenſatione, *ſentiens*, in belluis; & ex ratiocinatione *anima rationalis* in hominibus dignoſcitur.

2. *REI*. Parmenidi, & Meliſſo, ſunt ENS IMMOBILE; hocque illi erat *finitum*; huic verò erat *infinitum*.

ANAXAGORÆ *πανσπερμία*, *ſeu* omnium ſeminum confuſio.

HERACLITO, ignis { THALETI, aqua.
ANAXIMENI,& DIOGENI aër { POëTIS, terra.

DEMOCRITO, Plenum, & Vacuum.

HÆSIODO, Amor, & Chaos.

ZENONI, Cauſa, ſeu *Deus*, & Materia.

PITHAGORÆ, Par, ſeu *materia*; Impar, ſeu *forma*.

EMPEDOCLI, Concordia, ſeu *materia*, & Diſcordia, ſeu *forma*; quia *hæc* eſt particularis; *illa* verò eſt communis.

PLATONI, Magnum, & Paruum; *illud* eſt *materia*; *hoc* autem eſt *forma*; quia *hæc* eſt ad certum corpus determinata.

PERIPATETICIS, principia *rei*, ſunt *generationis*, aut *compoſitionis*.

PRINCIPIA *generationis* ſunt, *vel*

1. EXTERNA, *ſeu* ea ſine quibus generatio corporis naturalis poteſt concipi; putà *finalis*, *efficiens*, & *exemplaris cauſa*.

2. INTERNA, *ſeu* ea ſine quibus generatio corporis naturalis nequit concipi; putà *materia*, *forma*, & *priuatio*.

PRINCIPIA compoſitionis, ſunt partes eſſentiales corporis naturalis; putà *materia*, & *forma*.

PRINCIPIA, tum *generationis*, tum *compoſitionis*, DEFINIVNTVR ea quæ neque ex ſeſe inuicem, neque ex aliis; ſed ex quibus omnia corpora naturalia fiunt, vel primò per ſe componuntur.

Principia *non fiunt ex ſe ſe inuicem*; ſicut enim duæ cauſæ nequeunt ſibi inuicem eſſe cauſæ; ſic duo principia nequeunt ſibi inuicem eſſe principia.

Materia non fit ex *formâ*; cum *illa* ſit *hâc* prior.

Forma verò materialis fit è *materiâ* vt è principio diuerſæ rationis à ſe non *forma ſpiritalis*; putà anima rationalis.

Nec *fiunt ex aliis* (velut ex principiis eſſentialibus) ſunt enim eſſentialia principia corporis naturalis: at eſſentialia, cum ſint prima principia non fiunt ex aliis; nulla enim habent ſeipſis priora. Si-

cut a. b. c. &c. reſpectu Grammaticæ.

Hinc *ignis*, *aër*, &c. non ſunt prima principia Phyſica. Componuntur enim ex aliis; putà è *materia*, & *formâ* tanquam ex partibus eſſentialibus Phyſicis.

Vnde *materia* non fit ex aliâ *materiâ*, & *formâ*; ſicut A. non fit ex alio A. & B. alioquin non eſſet ampliùs A. purum; ſed Ab, vel Ba.

Quanquam autem *materia* componatur ex partibus entitatiuis; cum ſit *corporea*; non tamen conſtat è *genere*, & *differentia*; id enim ſoli ſpeciei conuenit. Quamuis autem ex his conſtaret; tamen eſſet primum *Phyſicæ* principium; non conſtaret enim ex aliis principiis eſſentialibus *Phyſicis*; ſed *Metaphyſicis*: at non repugnat primum principium ſubalterni generis conſtare ex principijs ſuperioris generis. Sic primum principium *artis ſtatuariæ*, putà marmor, conſtat ex materiâ, & formâ Phyſicis.

Ex *iis omnia corpora naturalia fiunt* (vel *vt* è *ſubiecto*; putà materiâ; aut è *termino à quo*; nempe priuatione; vel *termino ad quem*; nimirùm, formâ ſubſtantiali) ſunt enim generaliſſima principia: at è generaliſſimis fiunt omnia. Sicut è literis fiunt omnes dictiones.

ET *ex ijs primò per ſe omnia corpora naturalia componuntur*; nihil enim eſt ijs prius; cum ex illis tanquam è principijs eſſentialibus ea conſtituantur.

PRINCIPIA GENERATIONIS definiuntur à Philoſopho, *ea quæ nec ex ſe ſe inuicem nec ex aliis, & ex quibus omnia fiunt.*

PRINCIPIA verò COMPOSITIONIS, *ea è quibus primis res naturâ conſtantes ſunt non ex accidente, ſed quod vnumquodque ſecundùm eſſentiam dicitur.* Ea patent ex dictis.

MATERIA, FORMA, PRIVATIO, ſunt *principia generationis*; ſiquidem *generatio* ſine ijs nequit concipi; *generatio* quippe *hic*, eſt tranſitus à non eſſe ſubſtantiæ, ad eſſe ſubſtantiæ in ſubjecto: at non eſſe ſubſtantiæ à quo fit eiuſmodi tranſitus, eſt PRIVATIO; ſubiectum in quo fit, eſt MATERIA; eſſe ad quod fit, eſt FORMA. Sic in *inflammatione* ligni, *fit* tranſitus à non eſſe flammæ in *materiâ* ligni *diſpoſitâ*, ad eſſe flammam: non eſſe flammæ, à quo fit tranſitus eſt *priuatio*; eſſe flammæ ad quod fit, eſt *forma*; *materia* ligni diſpoſita eſt ipſum ſubjectum, ſeu materia.

ID *experientiâ* conſtat ſi quis enim accenſam candelam tradat puero accendendam; hic reſpondebit candelam non flammâ priuari. Si quis pariter ad id muneris det ei candelam ligneam, reponet non eſſe materiam flammæ ſuſcipiendæ idoneam. Si demum accenſam referat candelam, quæ fortè per iter extinguatur; ſubitò eam accenſum recurret. Adeò verum eſt prædicta tria principia ad generationem corporis naturalis deſiderari.

DE MATERIA.

MATERIA eſt DVPLEX, *nempe*

1. SECVNDA, ſeu affecta certis diſpoſitionibus ad determinatam formam introducendam idoneis, v. g. *materia humida*, ad formam aquæ.

2. PRIMA, eſt ſubiectum omnium formarum naturalium expers, & ad eas indifferens. *Hanc* materiam exiſtere eâ ratione

Probatur, ſe habet *natura* ad formas Phyſicas, vt *ars* ad artificiales: at in *arte* datur ſubiectum omnium formarum artificialium expers, & ad eas indifferens,

v. g. in *arte* pingendi tabula raſa. Igitur in *naturâ* eſt aliquod ſubiectum, omnium formarum naturalium expers, & ad eas indifferens: at id eſt MATERIA PRIMA.

DEINDE, ſubiectum perfectius nihilo, imperfectius corpore naturali, eſt *materia prima:* at ſubjectum ex quo NATVRA opera ſua producit eſt perfectius nihilo, & imperfectius corpore naturali; quò enim agens eſt potentius, eò imperfectius ſupponit ſubiectum ex quo ſua opera producat; Agens enim virtute ſuæ potentiæ ſupplet defectum ſubjecti: at NATVRA eſt agens imbecillius *Deo*, & potentius *Arte*.

Igitur NATVRA ſupponit ſubiectum perfectius eo ex quo *Deus* operatur, & imperfectius eo ex quo *Ars* ſua elicit opera: id autem eſt *materia prima*; eſt enim imperfectior corpore naturali, & perfectior nihilo: at NIHILVM eſt *ſubiectum* ex quo *Deus* omnia producit, & CORPVS NATVRALE eſt *ſubiectum* ex quo *Ars* ſua molitur opera, v. g. *marmor* reſpectu ſtatuariæ. Quapropter MATERIA PRIMA eſt *ſubiectum* ex quo *Natura* ſua opera educit.

PRÆTEREA ſubiectum commune omnibus corporibus eſt *materia prima*: at id exiſtit. Quod enim tranſit è corpore in corpus, eſt commune omnibus corporibus: datur aliquid quod tranſit è corpore in corpus, v. g. dum è *ligno* fit *ignis*, eſt aliquid quod tranſit è *ligno* in *ignem*; ſiquidem è multo *ligno* fit magnus *ignis*, è pauco, fit paruus: id quod è *ligno* tanſit in *ignem*, eſt ſubiectum commune omnibus corporibus, ſeu *materia prima*. Vel enim quod tranſit è *ligno* in *ignem*, eſt *materia* ligni vel eius *forma*, vel *totum lignum*: at quod tranſit non eſt *forma* ligni; hæc enim conuenit *ſoli ligno*:

quod autem tranſit eſt commune *ligno*, & *igni*; nec id quod tranſit eſt totum *lignum*; quia hoc perit. Ergo quod tranſit eſt ſubiectum commune *ligno* & *igni*: at id eſt commune omnibus corporibus.

MATERIA *prima* dicitur quod nec eſt *quid*, nec *quantum*, nec *quale*, vel *aliquid eorum* quibus ens *determinatur*; ſed commune eorum ſubiectum; nec enim.

MATERIA eſt *ſubſtantia completa*, *quantitas*, *qualitas*, aut quæuis alia categoria. Sic *materia* ignis non eſt ipſe *ignis*, nec eius *quantitas*, *calor*, *figura*, *motus*, aut quoduis ſimile, nec primum ipſius principium actiuum; ſed eſt *commune eorum ſubiectum*.

MATERIA de ſe eſt *otioſa*, ſeu nullius actiuitatis, vt porè quæ ſit indifferens ad quamlibet formam, & operationem.

MATERIA eſt *incorruptibilis*; quia manet poſt omnes corruptiones; tranſit enim de corpore in corpus. De ligno, in ignem, de igne, in fumum, de fumo, in aërem.

DE FORMA.

FORMA *Phyſica*, eſt propria corpori naturali; Eſtque *vel*

1. ACCIDENTALIS, ſeu ens inhærens corpori naturali, v. g. *albedo*.

2. SVBSTANTIALIS, *ſeu* ratio quidditatis corporis naturalis; eſt enim hujus conſtitutiua in ſe, & diſtinctiua illius à cæteris.

DICITVR, actus primus corporis vt naturalis, v. g. *anima rationalis* reſpectu hominis; eſt enim

primum, & inſitum cuiuſlibet operat'onis princ.-pium

Idem actus vt conſtituit *corpus*, dicitur *forma*; vt autem ipſum mouet appellatur *natura*.

EXISTIT *forma ſubſtantialis.* Quia dantur generatio, & corruptio: at illa eſt productio *formæ ſubſtantialis*; hæc verò eſt *eiuſdem formæ* deperditio; ſic dum equus gignitur, acquirit *formam ſubſtantialem*, dum autem interit, eandem amittit; fit enim aliud quam erat ante. Dum autem caleſcit, aut refrigeratur; creſcit, aut decreſcit, &c. fit alius, non aliud.

DEINDE, *equus* differt eſſentialiter à *boue*; ſunt enim diuerſæ naturæ; non enim differunt per meram figuram externam, vt Gallus ab Æthyope, vel menſa, à cathedrâ; habent enim operationes ſpecie

Differentes: id per quod equus differt eſſentialiter à *boue* eſt forma ſubſtantialis; id enim non eſt *materia*; cum ſit communis omnibus corporibus, Nec *forma* accidentalis. Illa enim variari poteſt re manente eâdem: at mutatâ formâ quâ *bos* differt præcisé ab equo, non ampliùs remanet idem

PRÆTEREA *anima ſenſitiua*, eſt forma ſubſtantialis: in belluis, eſt *anima ſenſitiua*; ſunt enim capaces doloris, & voluptatis. Ipſæ etiam auſtreæ; conſtringuntur enim dum punguntur; & dilatantur, dum alimento vtuntur. Vno verbo omne animal eſt capax doloris, & voluptatis: at quæuis bellua eſt animal.

TVM *etiam* quia primum, & radicale ſentiendi, & appetendi principium eſt *anima ſenſitiua*: in belluis eſt primum, & radicale ſentiendi, & appetendi principium; potentia enim eſt à radice: at in belluis eſt potentia ſentiendi, & appetendi; ab actu

enim ad poſſe valet conſecutio: belluæ autem ſentiunt, & appetunt. Alioqui fruſtra iis ineſſent, ſentiendi, & appetendi organa.

BELLVÆ *ſentiunt*; videre quippe, & recordari eſt ſentire: bellua videt, & recordatur.

BELLVA *videt*; nam aues aſpectis viatoribus euolant, quæ ſi viſu, & quouis alio ſenſu deſtituerentur, non magis profectò quàm ſtipites, aut lapides mouerentur. Hinc culpanda foret diuina prouidentia, quæ belluis neceſſaria ad vitæ conſeruationem denegaſſet.

Item canis diſcernit *herum* à *latrone*; hunc enim *allatrat*, & *mordet*; illi *obedit*, & *adulatur*: id autem viſu, & olfactu præſtat. Vnde poſt nonum diem, dicitur videns, aut cæcus.

BELLVA *recordatur*; canis Vliſſis, ipſum quem à viginti annis non viderat, poſteà viſum, caudâ abblandiendo veluti ſalutauit. *Item* quidam equus domino ereptus, ſeſſore iter faciente, juxta domum ipſius heri accedens, ita firmiter ibi fixit pedem, vt ipſe à ſeſſore nullà ratione inde potuerit dimoueri. Hinc proprius herus accedens equum ſuum vindicando recuperauit. Enimuerò aues eſcis quæſitis, & procul à nidò, & ſine hæſitatione reperto, pullos ſuos nutriunt: at ſine memoriâ ſuorum pullorum, nidi, & loci in quo hic eſt constructus, id præſtari nequit. *Deinde* belluæ ſunt capaces quàm plurimarum artium; equus enim equeſtrem diſcit; imò nuperrimè viſus eſt Pariſijs quidam canis, qui eiuſmodi artem didicerat: at id fieri nequit ſine *memoriâ*. Quamobrem fingere belluam ſenſu deſtitutam, eſt fingere hominem rationis expertem.

BELLVÆ *appetunt*: amare quippe, & odiſſe eſt appetere: at *belluæ* amant, v. g. pullos, & oderunt, pullorum

pullorum raptores, gallina enim ſuos ſub alis, aduerſùs Miluium, congregat, & tuetur, imò (licet ipſa mollis ſit, & ignaua) aduerſùs canes, eorum defenſionis gratià colluctatur. Vnde periculoſum eſt occurrere Vrſæ raptis fœtibus.

QVAPROPTER in belluis eſt primum radicale ſentiendi, & appetendi principium. Quod poſſet etiam probari; quia nimirùm *ouicula* inter decem millia ouium, ſuam, quam lactet matrem quærit, & agnoſcit; viſo lupo, fugit, &c. In referendis ejuſmodi belluarum ſagacitatibus, mihi potiùs charta, & tempus, quàm materia deficeret, at hæ ſatìs, ex *αὐτοψία*, ſeu hiſtoriis patent.

OBTRVDES Deus res condidit vt eas potuit condere: at Deus potuit condere belluas quæ forent *αὐτόματα*, & *machinæ* ſe ſe mouentes.

RESPOND. Eodem modo probari belluis ineſſe animam ſenſitiuam; Deus enim potuit producere carnem cujus forma fuerit anima merè ſenſitiua; *Id* enim eſt conuenientius quàm *aliud*, DIVINÆ

POTENTIÆ; viuens enim eſt præſtantius opus, quàm corpus inanimatum.

BONITATI; etenim ampliùs eſt vitam communicare, quàm eam non largiri,

SAPIENTIÆ; ſapientius enim eſt producere aliquid quod ab intrinſeco moueatur, quàm ab extrinſeco tantùm; homo naues, quæ aquis, & ventis mouentur, producit: piſces autem, quâuis arte effingere nequit.

ITEM *nego mi.* Nec enim potuit Deus *verbis*, & *rebus* mentiri: at Deus, producendo eiuſmodi machinas, fuiſſet *mentitus*.

1. *Verbis*; nam Deus aſſerit *gen.* 5. 6. 7. *cap.* &c. belluas eſſe *ſexûs* maſculini, & fœmini; *viuere*,

M

comedere, *mori*: at id de *Machinis* verè dici nequit.

2. *Rebus*; obtrudiſſet enim *Machinas* ſe ſe *bellnarum* inſtar motitantes; ſiquidem *illa*, ab his; ſenſu vulgi, & omnium ſapientum judicio, non differunt; nullus enim horum hactenùs fuit qui ANIMAL non diuiſerit in *rationale*, vel *irrationale*; qui ANIMAM, non etiam diuiſerit in *rationalem*, *ſenſitiuam*, vel *vegetatiuam*.

DEINDE *nego eandem* mi. Eſſentiæ, *quippe*, rerum ſunt immutabiles: at anima ſenſitiua eſt de eſſentiâ belluæ; ſicut anima rationalis eſt de eſſentiâ hominis. Vnde bellua machina, eſt chymæra, & quid peius ipſis poëtarum fabulis.

Quamobrem qui belluis ſenſum denegat; non modò ſenſui, & rationi (ſine quibus nulla eſt Philoſophia) ſed ſacris oraculis (ſine quibus nulla diuina fides) paſſim contradicit. Sic enim Deus ipſe ſerpenti loquitur *gen.* 3. c. Maledictus *es inter omnia animantia*, *& beſtias terræ*; *ſuper pectus gradieris*, *& terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Item c. 6. è *cunctis animantibus vniuerſæ carnis bina induces*, (in arcam) vt viuant tecum maſculini ſexûs, & fœminini, &c. Vnde ſic argumentor

Quod eſt inter omnia animantia, & belluas terræ gradiens ſuper pectus, terram comedens omnibus diebus vitæ ſuæ, habet animam ſenſitiuam: at ſerpens eſt eiuſmodi *è text. cit.*

Deinde quæ viuunt è cunctis animantibus vniuerſæ carnis, maſculini ſexûs, & fœminini, habent ſaltem animam vegetatiuam: at belluæ ſunt eiuſmodi, è *text. cit.*

Quamobrem qui ſecùs loquuntur, aut ſentiunt, magis adhærent ſomniis ignari, quàm oraculis ipſiuſmet Veritatis; vnde non immeritò à pleriſque

S.S. Patribus hæreſeωs, ſicut & à Philoſophis temeritatis accuſantur. Enimuerò hoc figmentum ortum duxit à Democrito Atheorum Antesignano, *vt patet ex S. Grego. Nyſſ. initio lib. de anim.*, vbi ſic habet. *Democritus* IGNEM (animam eſſe aſſeuerat, etenim figuras orbiculatas atomis verò concretas, ignem, & aërem (ait) animam perficere. *Sic habet Græcè.*

Δημόκριτος δὲ πῦρ. τὰ γὰρ σφαιροειδῆ σχήματα τῶν ἀτόμων συγκρινόμενα πῦρ δὲ καὶ, ἀὴρ ψυχὴν ἀποτελεῖν.

PROFECTO admittere eiuſmodi *atomos* non eſt ſoluere difficultatem in explicandis variis ſagacitatibus, & belluarum indolibus, ſed eam tranferre, in fictitia indiuiſibilia; quæ quamuis exiſterent nullius eſſent virtutis multò minùs quàm cineres, aut arenæ maris; quantò enim corpora ſunt tenuiora, eò ſunt imbecilliora.

OBGANNIES iterum, nemo debet ex præuiâ imaginatione anticipatum ferre judicium: at ex præuiâ imaginatione, anticipatoque judicio creduntur belluæ ſentire, & appetere.

RESPONDEO, pari modo probari poſſe *lilia* non eſſe alba: *ſolem* non lucere; *hominem*, rationem non habere; videlicet dicendo id nobis ex præuiâ imaginatione, anticipatoque judicio falsò apparere. Vnde quidam vt multa abſona, & impia putà quodlibet elementum ſuos habere incolas rationales, & ſimilia abſurda in credulorum animos inducere moliatur, hàc decipiendi cauillatione abutitur

DEINDE *nego mi.* Quod docti, & indocti communi conſenſu admittunt, non oritur è præuiâ imaginatione; ſed è naturali ratione; quæ ſe habet ad

veritatem, vt viſus ad *colores*; at nemo ſanæ mentis, viſum arguet deceptionis circa omnem colorem; ita nullus ſanè, omnium hominum mentem erroris condemnare, ſine temeritate audebit, circa veritatem à doctis ſimul, & indoctis admiſſam: at docti ſimul, & indocti communi conſenſu admittunt belluas ſentire, & appetere. Quamobrem tam abſurdum eſt denegare *ſenſum* belluis, quàm iis *rationem* attribuere. Hinc illud poëtæ de ijs appoſitè poteſt dici

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

FORMA *ſubſtantialis*, eſt *vel*

1. MATERIALIS, quæ è materiâ educitur, v. g. *anima equina*.

2. SPIRITALIS, quæ independenter à materiâ producitur, v.g *anima rationalis*.

PRIVATIO eſt abſentia formæ in ſubiecto ad eam recipiendam idoneo. *de quâ in comp. metap.* pag. 46.

PRIVATIO eſt, *vel*

1. CORRVPTIVA *ſui ſubiecti*, v. g. cœcitas, oculi; mors, viuentis, &c.

2. NON CORRVPTIVA *ſubiecti*, v. g. tenebræ, *reſpectu* aëris.

ITEM eſt, *vel* ratione

1. *Generis*, v. g. abſentia viſûs in Talpâ.

2. *Speciei*, v. g. carentia viſûs in homine.

3. *Sexûs*, putà abſentia lactis in mammis virilibus.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE CAVSIS, ET ESSENTIA CORPORIS NATVRALIS.

CAVSA *finalis* corporum naturalium eſt *vel* 1. Proximvs, ſeu *operatio* cuilibet corpori naturali propria, v. g. *illuminatio* reſpectu Solis; Etenim vnumquodque eſt propter operari.

2. Remotvs, eſt *homo*; nam omnia corpora ſunt hominis gratiâ; *Macrocoſmus*, propter *Microcoſmum*.

3. Remotissimvs eſt *Deus*; nam homo, & quæuis alia creatura,ſunt Dei gratiâ; omnia quippe propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.

OPIFEX corporis naturalis, eſt aliud corpus, v.g. Gallus reſpectu pulli: idem eſt, & cauſa exemplaris.

CAVSA materialis, eſt materia prima.

CAVSA formalis, eſt forma ſubſtantialis, ſeu *ſubſtantia incompleta cum materiâ totum per ſe componens*, v. g. anima vegetatiua *reſpectu* plantæ.

ESSENTIA *corporis*, eſt materia, & forma ſubſtantialiter vnitæ.

Dicitvr à Philoſopho, *hoc* in *hoc*. Seu certa for-

Digitized by Google

ma in certâ materiâ, putà homo eſt anima rationalis in corpore oſſeo, carneo, erecto, varijſque organis inſtructo; res quippe naturales, ſe habent vt *ſimum*, non vt *curuum*: nam *ſimitas*, eſt curuitas in certo ſubiecto, putà naſo: at curuitas ſimpliciter non affectat determinatum ſubiectum, eſt enim indifferenter in *arcu, rota*, &c.

VTRAQVE eſſentialis pars corporis naturalis eſt NATVRA.

DE NATVRA.

NATVRA æquiuocè ſumitur, nempe vt eſt

1. NATVRA *naturans*, id eſt author naturæ, eſtque Deus prout ordinariâ potentiâ mundum adminiſtrat. Sic opus *naturæ* dicitur opus *intelligentiæ*, & quæ *naturâ* fiunt, *ratione* fiunt.

2. NATVRA *naturata*, ſuntque cauſæ naturales: putà *Sol* vt diffundit lumen, &c.

3. VNIVERSVM, quà ratione quod exiſtit dicitur eſſe in rerum *natura*; id eſt in mundo.

4. TEMPERAMENTVM, hinc Medicis, is, in quo atra bilis dominatur, dicitur eſſe *natura* melancholicæ.

5. REI *cuiuſque* eſſentia; ſic dicitur *natura* diuina, & angelica.

6. PARS *eſſentialis* compoſiti Phyſici, vt hìc à nobis vſurpatur, & à Philoſopho *definitur* principium, & cauſa motûs, & quietis eius in quo eſt primò, per ſe, & non per accidens.

BREVIVS definiri poteſt, primum principium

per ſe motûs, & quietis eius in quo eſt.

Sic *anima* vegetatiua in plantis, eſt primum principium vegetationis; hæc enim à nullo priori procedit.

Est *principium per ſe* vegetationis; ad hanc enim anima vegetatiua, naturâ ſuâ tendit.

Eivs *in quo eſt*; anima quippe vegetatiua eſt in plantâ cuius eſt principium vegetationis.

Principivm *motûs*, & *quietis*; ſicut enim anima vegetatiua eſt principium augmentationis, eſt & principium *quietis* in obtentâ quantitate ſibi debitâ. Sicut enim eadem virtus mouet lapidem deorsùm, ſic & ipſum quietat in centro.

NATVRA eiuſmodi eſt, *vel*

1. Activa, ſeu primum principium actiuum motûs, & quietis. *Putà* forma ſubſtantialis, v. g. forma aquæ; eſt enim primum principium motiuum ipſius in mare, & ipſam quietans in mari.

2. Passiva, eſt primum principium receptiuum motûs, *putà* materia, v. g. corpus hominis. natvra *actiua* eſt vis inſita rebus, ex ſimilibus ſimilia producens, & ea in ſuo eſſe conſeruans.

Actiua eſt magis natura, quàm paſſiua; hæc enim eſt potentia, illa verò eſt actus: at vnumquodque magis eſt id quod eſt, ſecundùm actum, quàm ſecundùm potentiam.

NATVRA opponitur

1. Libero arbitrio, & ſic eſt quid ad vnum determinatum, v. g. ignis, ad calefaciendum.

2. Vi, *de quâ in morali.*

3. Arti, eſtque id cujus opus, habet in ſe principium ſuæ perfectionis, & primò per ſe ſubſtantias producit: artis verò *opus*, non habet in ſe princi-

pium ſuæ perfectionis; ſic ſtatua ſeipſam non perficit, nec ſibi ſimilem producit. Item Ars per ſe non producit ſubſtantias, ſed ſolùm addendo actiua paſſiuis.

4. GRATIÆ, eſtque id quod non ſuperat naturæ vires, putà *ſtudere*

NATVRALE opponitur

1. SVPERNATVRALI, eſtque id quod non ſuperat naturæ vires, v. g. *ſcientia*.

2. VIOLENTO, *ſic* eſt id quod fit ſecundùm inclinationem agentis.

3. LIBERO, *tum* eſt quid ad vnum determinatum, v. g. Soli, *lucere*.

4. FORTVITO, *ſiue* id quod datur à naturâ, v. g. *ſanitas*; pecunia verò fortuitò euenit.

5. ARTIFICIALI, eſtque id quod habet in ſe principium motûs, v. g. viſus.

6. METAPHYSICO, & eſt id quod conſtat materiâ, & formâ.

RES naturales Medicis dicuntur, quæ ſpectant ad corporis humani conſtitutionem, temperiem, & operationem.

Non-naturales, ſunt eæ quibus fouetur bona eiuſmodi conſtitutio, putà

— *Mens læta, quies, moderata diæta.*

Præter-naturales, ſunt eæ quæ laudabilem corporis conſtitutionem, atque temperiem labefactant, putà morbi, morborum cauſæ, ſymptomata, ſeu morborum ſigna, & effectus.

NATVRA eſt *entis amans*; quapropter appetit quicquid eſt ſuiipſius perfectiuum, & nociuum refugit.

NATVRA *non deeſt in neceſſariis, nec abundat in*

ſuperfluis ; eſt enim ſapiens, bona, & potens. Quapropter ſuum opus ordinat ad debitum finem, & ad eum aſſequendum, impedimenta remouens, idonea largitur media.

HINC *compendio ſtudet*, agitque lineâ rectâ; vt potè breuiſſimâ ; nec enim facit per plura quæ poteſt tàm commodè præſtare per pauciora.

NATVRA *agit propter finem* ; oculos quippe conceſſit ad videndum, pedes ad incedendum. Vnde aberrat à fine cœcos, claudoſue gignendo.

Tendit ad optimum (*primariâ* ſcilicet *intentione*) ſic MAREM intendit propter perfectionem, &, niſi impediatur, ſemper facit ſaltem id quod eſt optimo proximum (*ſecundariâ* nimirum *intentione*) FEMELLAM, v. g. propter neceſſitatem.

NATVRA eſt exemplar operum artis, v. g. ſtatuariæ.

NATVRA ab imperfectioribus ad perfectiora procedit, à *ſanguine*, ad ouum ; ab *ouo*, ad pullum ; à *pullo*, ad gallum.

NATVRA agit per inſtus-ſuſceptionem ; ſic nutriuntur, & adoleſcunt plantæ.

ARS efficit opera ſua per *iuxta-poſitionem*, v. g. pictura ; vel per *detractionem*, v. g. ſculptoria.

NATVRA totum ſimul ſuum opus, licet ſummatim producit, tum pedetentim abſoluit, v. g *glandem* ex quâ ſenſim proceram educit quercum.

ARS opus ſuum ſucceſſiuè per partes (vt plurimùm producit, v. g. *Architectura*, ædificium, primò jaciendo fundamenta, tum parietes, denique ijs tecta ſuperimponit. Quod ſi totum ſimul opus producat, id ſtatim abſoluit, v. g. in Fuſoriâ ; ſtatuam quippe fuſilem ſecundùm omnem ſuam extenſionem ſtatim ab initio producit.

ARS exteriorem figuram ſui operis producit ; v. g.

figuram iouis in marmore. Natura id omne quod eſt in opere procreat, v. g. id omne quod eſt in equo.

NATVRA, ſine arte multùm poteſt; ars ſine naturâ nihil. Sponte in opimo Solo præſtantes plantæ naſcuntur; in arenâ autem, nequidem vilis alga, quâuis arte naſci poteſt.

SECVNDVM naturam ſunt, quæ naturali inclinatione appetuntur.

NATVRÆ inclinatio, eſt *vel*

1. GENERALIS, ſeu ad bonum totius Vniuerſi, v. g. *motus Solis*.

2. PARTICVLARIS, ſeu ad bonum proprium, v. g. *natatio piſcium*.

Contra *naturam* eſt quod inclinationi naturæ repugnat, v. g. *poſitio* piſcis extra aquam.

Motus aquæ ſurſum metu vacui, vt eſt contra *peculiarem* aquæ inclinationem; ſic eſt ſecundùm *vniuerſalem* illius propenſionem; cum ſit ad bonum totius vniuerſi.

Præter *naturam* in Phyſicis, dicitur quod nec eſt ſecundùm, nec contra inclinationem naturæ, v. g. homini ſedere.

MIRACVLA ſunt tum præter, tum ſupra intentionem naturæ *particularis*, & *vniuerſalis*, v. g. ſuſcitatio Lazari.

MYSTERIA verò ſunt ſupra captum creatæ mentis, v. g. incarnatio verbi Diuini.

Naturam habent ea, quibus ineſt principium motûs, & quietis; talia ſunt corpora naturalia, *putà* lapis, planta, bellua, &c.

Secundùm *naturam* ſunt, quæ

1. Habent in ſe *naturam*, v. g. plantæ.

2. Sunt à *naturâ*, putà lux.

3. Per ſe accidunt *naturâ conſtantibus*, v. g. aquæ, refrigerare, vel refrigerari.

TRACTATVS TERTIVS.

DE PROPRIETATIBVS CORPORIS NATVRALIS.

COMMVNISSIMÆ corporum *affectiones*, ſunt quantitas, locus motus, quies, & actio naturalis.

QVANTITAS hic eſt poſitio partium extra partes. Eſtque *vel*

A. DISCRETA, cujus partes nullo communi vinculo copulantur, v. g. *numerus*.

Numerus eſt multitudo menſurata per vnum; ſeu vnitatum aceruus.

Vnitas eſt principium numeri.

NVMERVS eſt

1. TRANSCENDENS, qui conuenit enti generatim vt eſt multiplex, v. g. angelorum *multitudo*. Sic dicitur quia nullis categoriæ limitibus coarctatur.

2. CATEGORICVS, qui conuenit rebus quantis, v. g. *aceruus* lapidum.

ITEM eſt

1. FORMALIS, ſeu forma quæ aduenit rebus eò quòd ſint tot; putà dualitas, trinitas, &c.

2. MATERIALIS, ſunt res ipſæ numeratæ, v. g. homines.

PRÆTEREA numerus, eſt

1. PAR, qui ſcilicet diuiduus eſt in partes æquales, v. g. *Binarius.*

2. IMPAR, qui diuiduus eſt in partes inæquales, v. g. *ternarius.*

B. CONTINVA, eſt ea cujus partes communi vinculo copulantur, *eſtque*

1. SVCCESSIVA, cuius partes ſunt in perpetuo fluxu, v. g. *tempus.* Quod eſt ſucceſſio motûs, *eſtque* præteritum, præſens, vel futurum.

2. PERMANENS, eſt ea cuius partes omnes ſunt ſimul; hæcque vocatur *magnitudo*, ſicut quantitas continua dicitur numerus, vel multitudo.

MAGNITVDO *molis*, eſt extenſio cuius omnes partes ſunt ſimul.

Partes quantitatis ſunt vel

1. *Æquales*, quæ vel ſunt tot, quot aliæ; vel quæ nec anguſtiùs, aut ampliùs patent, v. g. Duæ lineæ duorum pedum.

2. *Inæquales*, quarum vna amplior eſt alterâ; aut latiùs, vel anguſtiùs ipsâ patet, v. g. *ternarius*, binario. Aut linea bipedalis, tripedali. *Hæ ſunt*

a. *Proportionales*, quæ habent inter ſe *proportionem*. Hæcque eſt vel

α. Arithmetica, *in quâ* eſt idem *exceſſus*, v. g. *quinarii* ad ſenarium, vt *nouenarii*, ad denarium; nam ſicut *ſenarius*, quinarium vnitate excedit; ſic *denarius* vnica vnitate ſuperat nouenarium.

β. Geometrica, *in qua* ſeruatur ſimilis exceſſus, v. g. *proportio* binarij, ad ſenarium, vt ternarij, ad nouenarium; ſicut enim *ſenarius* eſt duplò major ternario; ſimiliter *nouenarius*, eſt duplò amplior ternario.

b. *Non proportionales*, quæ non habent inter ſe *proportionem*, v. g. duæ medietates.

MAGNVM ſtrictè eſt continuum permanens diuiſibile in ea quæ inſunt quorum vtrumque, ſi duo ſunt, vel vnumquodque, ſi plura ſunt, aptum eſt eſſe hoc aliquid.

MAGNITVDO continua permanens eſt, *vel*

a. LINEA, quæ concipitur velut fluxus puncti, & definitur, *longitudo* ſine latitudine, & profunditate. Seu *extenſio* ad vnum.

Punctum, ſeu *atomus*, eſt quid indiuiſibile; Euclidi, eſt id cujus pars nulla.

b. SVPERFICIES, quæ cogitatur veluti lineæ veſtigium, vel linearum textura. Definitur longitudo & latitudo, profunditatis expers. Seu extenſio ad duo. Superficies eſt, vel

Concaua, *ſeu* ſpectata ex parte cauitatis, v. g. ſuperficies dolij ex parte vini.

Conuexa, ſpectata ex parte tumoris, v. g. ſuperficies dolij, ex parte aëris ipſam ambientis; hæc poteſt dici *concamerata*, vt & altera appellari *Gibboſa*.

c. CORPVS, cogitatur vt quid ex ſuperficiebus compactum; hinc dicitur *ſolidum*, ſeu trina dimenſio, definitur longitudo, latitudo, & profunditas. *Seu* extenſio ad tria.

DE PROPRIETATIBVS QVANTITATIS.

PROPRIETATES quantitatis ſunt

1. MENSVRABILITAS, *ſeu* ea eſt per quam corpus poteſt menſurari.

Menſura molis, eſt id vnde corporis quantitas dignoſcitur. Eſtque vel

a. *Actiua*, ſeu externa, per quam dignoſcuntur quotæ, vel quantæ res ſint, v. g. vnitas reſpectu numeri, vlna reſpectu panni.

b. *Paſſiua*, ſeu interna, eſt ea per quam multitudo, vel magnitudo poteſt menſurari.

2. DIVISIBILITAS, eſt diuiſionis capacitas, v. g capacitas diuiſionis in *vlnâ*.

3. IMPENETRABILITAS, eſt *obſiſtentia*, quâ corpus impedit ne alterum ſubeat locum quem occupat, v. g. *vis* quâ lapis reſiſtit corpori ipſum impellenti.

Penetratio, eſt quaſi penitùs intratio.

Populariter, eſt intratio vnius corporis in aliud cum ipſius diuiſione; ſic gladius penetrat; vel tumefactione, ſic aqua penetrat vinum dum cum ipſo miſcetur.

Latè, eſt intratio accidentis in corpus ſine diuiſione, aut dilatatione, v. g. tranſitus lucis per vitrum.

Strictè eſt intratio corporis in corpus ſine diuiſione, aut dilatatione. Sic Chriſtus Dominus penetrauit lapidem ſepulchri.

4. ÆQVALITAS, eſt commenſuratio quantitatum; *ſeu* forma per quam res eſt totuplex, vel tanta in ſe, quotuplex, vel quanta eſt alia.

Æqualitas eſt, *vel*

a. *Adæquationis*, quâ vnum tantam habet dimenſionem, quantam habet alterum, v. g. duo ſolida; vtrumque enim habet trinam dimenſionem.

b. *Continentiæ*, quâ vnum nihil continet præter aliud, v. g. locus, reſpectu rei locatæ. Superficies enim loci non reſpondet locato quoad *dimenſionem*; ſuperficies quippe loci eſt binæ tantùm dimenſionis: at corpus locatum eſt trinæ dimenſionis; illi tamen Reſpondet ratione *continentiæ*; nihil enim locus continet præter rem locatam.

5. Inæqvalitas, eſt quantitatum inadæquatio.

Inæqualia, ſeu *inadæquata*, dicuntur, ea quorum vnum *latiùs*, vel *anguſtiùs* patet altero. Item ea quorum *quantitas* nòn eſt *vna*; ſeu quorum vnum maius eſt, aut minus altero, v. g. linea tripedalis, reſpectu bipedalis.

DE
LOCO, ET VACVO.

Locvs, eſt ſuperficies corporis ambientis prima, & immobilis. *Sic* locus Petri, eſt concaua ſuperficies aëris ipſum immediatè circundantis.

OMNIS *locus*

1. Continet *locatum*, eſt enim immobile receptaculum corporis.

2. Adæqvat *locatum*, ſcilicet ratione continentiæ.

3. Separabilis eſt à re locatâ. Vnde concha limacis non eſt eius locus; quia hanc nequit deſerere.

4. Immobilis eſt; quia locus nequit deferri; alioquin motus localis fieret ſine mutatione loci: at id eſt impoſſibile.

HINC *locus* differt à *vaſe*; vas enim deferri poteſt, v. g. nauis; non *item* locus, v. g. portus, vrbs, &c. Quamobrem *vas* dici poteſt locus mobilis; *locùs* verò vas immobile; ſeu intransferibile. Vtrique conuenit quòd ſit ſpatium corpore repletum.

Digitized by Google

Deus eſt in loco *per*

Eſſentiam		Peruadit.
Præſentiam	[quia omnia	Peruidet.
Potentiam		Peragit.

Vir honeſtat locum, non locus virum.

LOCVS eſt *vel*

1. Mathematicvs, ſecundùm ſolam ſuperficiem, & ſeorſim à quàuis materiâ, aut qualitate ſenſibili conſideratus.

2. Physicvs, ſeu ſpectatus ſecundùm qualitates conſentaneas, vel diſſentaneas locato, eſtque vel

a. *Naturalis*, qui conuenit corpori naturali ſecundùm propriam ipſius inclinationem, v. g. *aqua*, piſcibus.

Hic *locati*, eſt conſeruatiuus; quia perfectiones congruas, & locato amicas qualitates continet, v. g. *aqua*, humiditatem, & frigus, quæ piſcium indoli congruunt.

b. *Violentus*, qui rem continet contra naturalem inclinationem, v. g. terra, piſces.

Hic deſtructiuus eſt *locati*; quia diſconuenientes, & inimicas ipſius indoli qualitates continet, v. g. *terra*, quæ *ſiccitatem*; vel aër qui *calorem*, habet deſtructiuum temperamenti piſcium.

ITERVM locus naturalis eſt, vel

1. Proprivs, qui peculiaris eſt vni corpori, v. g. *locus* Petri, ſoli Petro.

2. Commvnis, qui continet plura corpora, v. g. *mare*, reſpectu piſcium.

Loci differentiæ ſunt	Surſùm, deorſùm.
	Antrorſùm, retrorſùm.
	Dextrorſùm, ſiniſtrorſùm.

Svrsvm

1. Svrsvm, ſiue diſtantia à centro terræ, ad mundi circunferentiam; *ſic* homo erectus habet caput ſurſum.

2. Deorsvm, eſt ſpatium à circunferentiâ mundi ad terræ centrum; *ſic* lapis cadens, deorſum tendit.

Pars *antica* mundi, dicitur ea quæ obuerſatur noſtræ faciei; *Poſtica* verò, pars ei oppoſita. Hinc ſi quis ſpectet ſeptentrionem, pars *anterior* mundi; Reſpectu hujus hominis eſt, *Polus arcticus*, ſeu *borealis*; pars *poſtica*, eſt *meridies*; quia tunc habet dorſum versùs meridiem; *Dextra* pars erit *Oriens*; *Siniſtra*, *Occidens*. Quapropter vario reſpectu eadem cœli pars à variis anterior, vel poſterior appellatur.

Antrorsvm *reſpectu* mundi

Theologis, eſt interuallum ab oriente ad meridiem; *quia* ſpectant orientalem plagam ob eius præ cæteris excellentiam; quòd videlicet in eâ Paradiſus terreſtris fuit conſtitutus; tum quia in eâdem parte nobis ortus eſt Sol juſtitiæ; tum quia aliquando ibi celebrandum eſt vniuerſale iudicium. Hinc omnia templa nauium inſtar conſtructa, versùs orientem vergunt; vt iis ad ſalutis portum tendamus.

Aſtronomis eſt *Meridies*; quia velociſſimum attendunt aſtrorum motum; is autem fit in *meridie*; quia æquali temporis ſpatio, maximum cœli circulum aſtra debent decurrere quo vertitur minimus circulus, v. g. is qui eſt iuxta polum: cum autem in Sphærâ, quo circulus à Polo remotior eſt; concitatiùs moueatur. Idcircò cum circulus meridionalis maximè diſtet à Polis, ipſum concitatiſſimo impetu rapi neceſſe eſt.

Coſmographis, & Geographis (quia videlicet Poli

altitudinem ſpectant) antrorſum mundi, eſt ſpatium à ſeptentrione ad meridiem.

RETRORSVM mundi

Theologis		Occidens.
Aſtronomis	eſt	Septentrio.
Coſmographis, & Geographis		Meridies.

DEXTRORSVM mundi

Theologis, eſt Meridies.

Philoſophis, eſt Oriens; quia ab eo incipit motus.

Coſmographis, & Geographis, eſt eadem mundi regio.

Aſtronomis, eſt occidens. Quia ſydera ab occaſu ad ortum motu proprio tendunt. Hinc Plinio errantia ſydera contrarium mundo agunt curſum; id eſt læuum.

SINISTRORSVM *mundi*

Theologis, eſt *Septentrio*.

Philoſophis, Coſmographis, & Geographis, eſt occidens.

Aſtrologis judiciariis (vt aiunt) dextrum, eſt pars cœli ſupra Orizontem conſpicua; ſiniſtrum verò eſt pars cœli infra Orizontem depreſſa.

Poëtis dextrum cœli latus, eſt Polus arcticus; ſiniſtrum, eſt Polus antarcticus, ſeu auſtralis. Iuxta illud maronis

Quinque tenent cœlum zonæ, quarum vna coruſco
ſemper ſole rubens, & torrida ſemper ab igne,
quam circa extrema, dextrâ, læuâque trahuntur
caruleâ glacie concreta.

Et illud Nazonis

Vtque duæ, dextrâ cœlum, totidemque ſiniſtrâ
Parte ſecant zonæ

Hinc etiam Lucano de Arabibus qui ad Romanos venerant.

Ignotum vobis, Arabes veniſtis in orbem,
vmbras mirati nemorum, non ire ſiniſtras.

IN homine mundi Domino

1. SVRSVM, ſeu *pars ſuperior*, eſt ea à quâ ſuſcipit alimentum; *putà* caput. Etenim Deus
Os homini ſublime dedit.

2. DEORSVM, ſeu *pars inferior*, eſt pars prædictæ oppoſita; hæc etiam exiſtimatur calx, illa vertex.

3. ANTRORSVM, ſeu *pars antica*, eſt ea in quâ viget cognitio; putà *facies.*

4. RETRORSVM, ſeu *pars poſtica*, eſt pars priori oppoſita; nempe *terga.*

5. DEXTRORSVM, ſeu *dextra*, eſt ea à quâ incipit motus; à pede quippe dextro incipimus nos mouere.

6. SINISTRORSVM, ſeu *ſiniſtra*. eſt pars receptiua motus. Vnde naturaliter humero ſiniſtro onera imponimus.

DE VACVO.

VACVVM, & *inane* Poëtis ſunt polyonyma, & vtrumque ab ijs vocatur locus in quo non eſt corpus ſenſibile *tactu*, vel *viſu*, v. g. aër. Vnde iis per inane, ſeu per aerem volare, perinde eſt.

Item vana conſilia ab ijſdem *inane* appellantur. Vnde illud.

O curas hominum! ô quantùm eſt in rebus inane!

A vulgo Vacuum & inane promiſcuè vſurpantur

ſcilicet pro loco qui deſtitutus eſt corpore cui continendo deſtinatur, licet alio ſit repletus; ſic *crumena* in quâ non eſt pecunia, vulgò vocatur *vacua*.

PHILOSOPHIS *verò*

INANE, eſt ſpatium quouis corpore deſtitutum nullo limite circunſcriptum; quale cogitatur à Pithagoreis, eſſe extra mundum. Hócque ſpatium eſt negatiuum, non priuatiuum.

VACVVM eſt ſpatium priuatum penitùs omni corpore, termino circunſcriptum. *Definitur* ſpatium deſtitutum omni prorsùs corpore, aptum repleri; qualis foret aula, v. g. quàm nullum corpus ſubiret deſtructo penitùs corpore ipſam priùs replente.

VACVVM eſt, *vel*

1. VACVVM *ſimpliciter*, ſeu ſeparatum. Quod eſt notabile ſpatium omnis omninò corporis expers.

2. PARVVM, ſeu diſſeminatum, quale ab Epicurëis fingitur; eſtque vacuum corporibus, pororum inſtar, diſperſum.

Natura non patitur *vacuum*; quia eſt quid iners, & otioſum. Vnde à *vacando*, dicitur.

Item ipſum odit; quia eſt amans entis; vnitatis, ſuæque conſeruationis; *vacuum* autem partium diuiſionem, & totius deſtructionem inducit.

DE MOTV.

QVI *motum* inficiantur, Naturam, (vt potè quæ ſit principium motûs) ignorant. Eſt via ad quietem; nihil enim mouetur vt ſemper moueatur, ſed vt quieſcat, vel alijs quietem poſſit conciliare.

MOTVS populariter, eſt ſola *latio*, ſeu motus lo-

calis, quia vulgus ſolo ſenſu ducitur: at *motus localis* eſt omnium motuum maximè ſenſibilis.

LATE, eſt mutatio, hæc autem eſt tranſitus ab vno ſtatu ad alium ſtatum, v. g. illuminatio.

PROPRIE, eſt mutatio ſucceſſiua; ſeu actus mobilis vt eſt mobile.

Luculenter diſinitur à Philoſopho, actus entis in potentiâ, prout eſt in potentiâ, v. g. ſculptio reſpectu ſculptilis. Eſt, v. g.

Actus marmoris; etenim ipſum perficit.

Actus imperfectus; quia eſſentialiter tendit ad vlteriorem terminum, v. g. ad figuram.

Actus marmoris, non vt eſt actu marmor; ſed vt eſt potentiâ, ad figuram.

In motu, eſt

MOTOR, ſeu is qui mouet, vel mouere poteſt.

MOBILE, ſeu ſubiectum receptiuum motûs.

TERMINI *motûs*, ſeu ij intra quos eſt, & extra quos nihil eius reperire eſt. Putà

Terminus à quo, *ſeu* is à quo incipit motus, v. g. *priuatio figuræ*, in ſtatuâ.

Terminus ad quem, *eſtque* is qui per motum producitur, v. g. *figura* per ſculptionem, *vid.* pag. 85.

Omnis *motus* eſt *mutatio* non viciſſim. *Illuminatio* quippe eſt *mutatio*, non verò eſt *motus*; ſiquidem hic eſt cum ſucceſſione: at *mutatio* poteſt eſſe ſine ſucceſſione; cubiculum enim vnico inſtanti, face accensâ, illuſtratur.

MVTATIO eſt, *vel*

1. GENERATIO, ſeu tranſitus à non eſſe ſubſtantiæ, ad eſſe ſubſtantiæ in ſubiecto, v. g. tranſitus à non eſſe pulli, ad eſſe pulli in certâ materiâ.

Differt à creatione, nam terminus à quo *crea-*

tionis eſt negatio entis, ſeu merum nihil: at terminus à quo *generationis*, eſt priuatio formæ ſubſtantialis.

In generatione producitur de nouo compoſitum Phyſicum ratione formæ ſubſtantialis: at in creatione producitur totum ens ſecundùm ſe.

2. CORRVPTIO, eſt tranſitus ab eſſe ſubſtantiæ, ad non eſſe ſubſtantiæ in ſubiecto, v. g. *mors*, eſt enim tranſitus à non eſſe viuentis, ad eſſe viuentis, in cadauere.

Differt ab annihilatione; quia hæc nullum relinquit ſubjectum; corruptio verò relinquit ſubjectum.

3. ACCRETIO, eſt acquiſitio nouæ quantitatis; *ſeu* motus à paruitate ad magnitudinem, v. g. à paruitate *infantis*, ad magnitudinem *viri*.

Accretio fit { Intus-ſuſceptione. / Iuxta-poſitione, v. g. *mixtio aquæ cũ vino.* / Rarefactione. / Additione, v. g. *numeri auctio.* }

4. DECRETIO, eſt motus à majori quantitate ad minorem, v. g. a quantitate *viri* ad quantitatem *ſenis*.

Rarefactio, eſt motus corporis à *minori* extenſione externâ, ad *maiorem*, nouâ non accedente materiâ, v. g. in lactis *ebullitione*.

Condenſatio, eſt motus corporis à majori extenſione externâ ad minorem nullâ recedente materiâ, v. g. in lactis refrigeratione. *Item*

Cõdenſatio / Rarefactio [*eſt motus ad* { extẽſionem / cõſtrictioné } { in eâdem materiâ, & quãtitate.

Rarum, eſt id cuius partes dilatantur; *ſeu* id quod ſub magnâ dimenſione parùm habet materiæ, v. g. *fumus excitatus è puluere pyrio.*

Denſum, eſt id cuius partes coarctantur; *ſeu* quod ſub paruâ dimenſione multùm habet materiæ, v. g. *plumbum.*

5. ALTERATIO, eſt motus à qualitate, vel ad qualitatem; *ſeu* acquiſitio, vel deperditio *qualitatis*, v. g. refrigeratio aquæ.

Alteratio eſt, *vel*

a. *Perfectiua*, ſeu motus ad qualitatem proficuam, v. g. recuperatio ſanitatis.

b. *Deſtructiua*, eſt motus ad qualitatem nociuam, v. g. calefactio aquæ.

6. LATIO, ſeu motus localis, eſt motus è loco in locum, v. g. tranſitus à *cubiculo* ad *aream*.

MOTVS *localis* eſt, *vel*

a. *Naturalis* qui eſt ab intrinſeco ſecundùm inclinationem mouentis, v. g. *aſcenſus* ignis; *deſcenſus* lapidis, &c.

b. *Violentus*, qui eſt contra inclinationem naturalem. Talis eſt ferè omnis motus projectorum.

Violentum eſt, *vel*

1. *Simpliciter*, quod repugnat præcipuæ inclinationi totius, v. g. *vacui introductio*; repugnat enim inclinationi totius naturæ.

2. *Secundùm quid*, quod repugnat inclinationi minùs præcipuæ, v. g. *oppoſitio* brachij, ad defenſionem capitis.

Inclinatio	vniuerſalis totius	eſt potior *inclinatione*	*particulari.* *partis.*

Hinc *motus* aquæ ſursùm, ad vitandum vacuum eſt *naturalis* ſimpliciter, quia eſt ſecundùm inclinationem vniuerſalis naturæ, & violentus tantùm ſecundùm quid; quia eſt ſolùm contra inclinationem particularis entis, *putà* aquæ. Idem dicas de *euectione* vaporum ad pluuiæ productionem.

MOTVS item eſt, *vel*

1. TARDVS, qui multo tempore exiguè conficitur, v. g. *motus* indicis horologij.

2. VELOX, qui paruo tempore multùm conficitur, v. g. *motus* Solis.

Impulſio, eſt *motus* quo mouens aliud à ſe remouet.

Tractio eſt *motus*, quo mouens adducit ad ſe mobile, v. g. adductio rhedæ ab equo.

Vectio eſt *motus*, quo mouens ſecum defert mobile, v. g. deportatio ſarcinæ ab equo.

Præterea *motus* eſt, *vel*

1. *Productiuus*, quo producitur terminus, v. g. calefactio, quâ producitur calor.

2. *Adductiuus*, quo aliquid applicatur ad locum, v. g. deambulatio.

QVIES eſt, *vel*

1. PRIVATIVA, ſeu priuatio motùs, v. g. permanentia lapidis in manu. Item vita otioſa. Vnde illud, otium parit vitæ tædium, & importunum eſt negotium.

POSITIVA, eſt permanentia rei in ſtatu naturali, v. g. natatio piſcium, eſt enim actio ſecundùm naturam. Hâc ratione canit Poëta.

— *Deus nobis hæc otia fecit.*

DE TEMPORE.

VVLGO *cœlum*, aut *aër*, TEMPVS appellatur. Sic aër ſerenus, dicitur ſudum tempus.

TEMPVS propriè, eſt ſucceſſio motûs; ſic *duratio concionis*, dicitur *tempus* quo durauit concio.

Definitur à Philoſopho, numerus, & menſura motûs ſecundùm prius, & poſterius.

Hinc *tempus* differt ab æternitate.

Duratio angelorum, non eſt *tempus*, quippe cum in angelis non ſit motus Phyſicus.

Qui dormiebant ad ſepulchra Heroüm in *Sardiniâ*; quia adeò leni, ſuauique ſomni lenocinio capiebantur, vt partes temporis priores, & poſteriores non perciperent, & ideò conjungebant inſtans quo expergiſcebantur, cum momento quo fuerant ſomno ſepulti; idcircò non credebant ſe temporis duratione dormiuiſſe. Igitur ad tempus requiritur partium ſucceſſio.

AD tempus ſpectant

ÆVVM *hic*, eſt ſpatium mille annorum.

SÆCVLVM, eſt periodus centum annorum.

INDICTIO, eſt ſpatium quindecim annorum. Hoc erat inſtitutum à Romanis ad recipienda ab extraneis tributa.

Romani, prouinciis remotioribus propter nimiam locorum diſtantiam, & itinerum difficultatem, indixerant vt iis ſolueretur in fine

Primi		*Aurum*, ad dominationis majeſtatem.
Secundi	[quinquennii	*Argētū*, ad ſtipēdia militū.
Tertij		*Æs*, & ferrum, ad armorum reparationem.

LVSTRVM, eſt periodus quinque annorum.

ANNVS eſt periodus quâ ſol ab vno puncto Zodiaci ad eundum recurrit, câque fit circiter ſpatio 365.

MENSIS eſt, *vel*

a. *Solaris*, ſeu ſpatium temporis quod Sol inſumit in decurrendo Zodiaci ſigno. Sol enim vnum è duodecim ſignis integro menſe metitur.

b. *Lunaris*, eſt periodus quâ Luna reuertitur ad Solem à quo diſceſſerat. *Seu* ſpatium temporis quod Luna inſumit à ſuo diſceſſu à Sole, ad ejuſdem acceſſum.

c. *Vſualis*, eſt ſpatium dierum in Calendarijs noſtris deſcriptum, & ab antiquis receptum.

ROMVLVS decem menſes in anno conſtituerat, *quorum*.

PRIMVS, Martius, à Marte patre ſuo appellatur; tum quia Reges Romani tali menſe ad bellum procedebant.

SECVNDVS; Aprilis, ab ἄφρος, à ſpumâ maris de quâ *Venus* (quæ princeps erat generis Romani) genita eſſe dicitur; tum quia tunc terra ſuum videtur ſinum aperire, vt benigno ſucco alat, & foueat omnia plantarum genera.

TERTIVS, Maïus, à majoribus dictus.

QVARTVS, Iunius, à junioribus; cæteris juxta eorum numerum, nomen impoſuit putà Quintilem Sextilem, Septembrem, &c. poſtea Numa Pompilius, duos adjecit, nempe Ianüarium, & Febrüa-

Digitized by Google

rium. Quod lepidè his verſibus deſcribit Nazo.

Martis erat primus menſis, veneriſque ſecundus;
Hæc generis princeps, ipſius, ille pater.
Tertius, à ſenibus, juuenum de nomine quartus;
Quæ ſequitur numero, turba notata ſuo eſt:
At numa, nec Ianum, nec auitas præterit vmbras.
Menſibus antiquis præpoſuitque duos.

Ianuarius dicitur; quia eo veluti januâ, annus nobis aperitur. Vel à Iano mercatorum Deo, qui biceps fingitur, quia & præteritum annum, cujus eſt finis, & præſentem, cujus eſt initium reſpicit. Vnde eſt inquit, poëta,

Solus de ſuperis, qui ſua terga videt.

HEBDOMADA eſt ſeries ſeptem dierum naturalium, à die Dominicâ incipiens, & ſucceſſiuè fluens.

In *anno* ſunt 50. Hebdomadæ, & vnus dies, & propter hunc diem, ſi dies feſtus in hoc anno contigerit die ſabbati, proximo eueniet die dominicâ, & ita deinceps.

A quibuſdam dicitur *ſeptimana*, quaſi conſtet ſeptem manè.

Item *ſabbatum*, vnde illud ſcripturæ ſacræ, jejuno bis in ſabbato; id eſt in hebdomadâ.

DIES eſt, *vel*

a. *Naturalis*, ſeu raptus Solis ab oriente per occaſum ad vicinum punctum Zodiaci vnde diſceſſerat, 24. horarum ſpatio recurrens.

b. *Artificialis*, eſt ſpatium temporis, ab ortu Solis ad occaſum.

ROMANIS, *dies* à mediâ nocte incipit, ibique peractâ periodo 24. horarum deſinit; quia tunc Sol à puncto remotiſſimo, à nobis, incipit ad nos reuerti, & quia Sol juſtitiæ nobis tali temporis momento ortus eſt,

ARABIBVS, à meridie inchoatur.
IVDÆIS, à veſpertino tempore, juxta illud *Geneſeos*, factum eſt veſpere, & mane dies vnus.

PRIMVS dies hebdomadæ, à prophanis dies Solis appellabatur; ſecundus, lunæ, tertius, dies martis, mercurii, jouis, veneris, ſeptimus denique dies Saturni.

In Eccleſiâ Chriſtianâ, primus dicitur dies Dominica; quia tali die Sol juſtitiæ ortus eſt è ſepulchro, & clariùs, eos qui in vmbrâ mortis ſedebant, illuminauit. Dicitur quòque Feria prima; quia in eâ debemus ab omni manuali opere, & præſertim â peccatis feriari. Item Deo offerre victimas, *putà* cor, & ſenſus noſtros.

SECVNDVS, dicitur Feria ſecunda, & ſic deinceps; quia omnibus hebdomadæ diebus, debemus feriari, ſeu à peccatis vacare; item ferias agere, vacando ſcilicet contemplationi, virtutumque Euangelicarum exercitio.

Nomen diei ſabbati remanſit; quod illo videlicet die requieuerit Deus ab operibus ſuis, & cum ſit finis hebdomadæ, deſignat requiem, quæ electos Dei manet in fine dierum ſuarum hebdomadarum.

NOX, à *noxâ* dicitur, quòd ſcit tempus nocentibus idoneum; etenim qui malè agit, odit lucem.

Aſtronomis, eſt vmbra terræ in Solis oppoſitum diametraliter extenſa. Item eſt receſſus Solis ab orizonte.

HORA, eſt vigeſima quarta pars diei naturalis; *ſiue* eſt interuallum temporis, quo Sol decurrit medium Signi ſpatium.

TEMPVS eſt

a. *Internum*, ſeu ſucceſſio propria cujuſuis motûs, v. g. duratio concionis Petri.

b. *Externum*, eſt ſucceſſio propria alicui motui, quâ aliorum motuum ſucceſſio menſuratur, v. g. duratio conuerſionis annuæ, vel diurnæ Solis.

Tempvs iterum eſt, *vel*

Præteritum	[quod	Fluxit.
Præſens		Fluit.
Futurum		Fluet.

Σύμβουλος οὐδεὶς ἐστὶ βελτίων χρόνου.

Id eſt, nullus eſt conciliarius prudentior tempore.

Quoduis momentum temporis quamuis leue ſit, & labile, eſt grauis ponderis, & momenti; vnde ſicut opum liberalitas eſt laudanda, & ſcientiarum prodigalitas honeſta; ita auaritia temporis eſt gnauiter colenda.

DE ACTIONE NATVRALI.

ACTIO *naturalis*, eſt operatio ſecundùm naturalem cujuſlibet corporis inclinationem, v. g. *calefactio*, reſpectu ignis.

Actio *violenta*, eſt motus contra *naturam*, v. g. projectio lapidis ſurſum.

Reactio, eſt actio, quâ patiens viciſſim agit in id à quo patitur; ſeu actio agentis imbecillioris in potentius, v. g. *refrigeratio* ferri candendis, ab aquâ cui immergitur.

Repaſſio, eſt paſſio, quâ agens viciſſim patitur ab eo in quod agit. *Seu* receptio effectûs ab agente im-

Digitized by Google

becilliori, v. g. receptio frigoris in ferro candente, ab aquâ cui immergitur.

ACTIVITAS corporis, eſt virtus agendi propria corpori naturali, v. g facultas illuminandi, reſpectu Solis.

SPHÆRA *actiuitatis*, eſt ſpatium *intra* quod corpus agere poteſt, & *vltra* quod nihil efficere poteſt, v. g. *ſpatium*, intra quod fax accenſa poteſt illuſtrare, & vltra quod nihil luminis diffundere poteſt.

Dicitur *Sphara*, non circulus; quia corpora phyſica agunt in omnem loci differentiam. Sic ignis calefacit; etenim cum non ſit potior ratio cur in vnam partem agat, quàm in aliam. Hinc vndequàque calefacit.

SPHÆRA, eſt ſolidum vnâ ſuperficie contentum, è cujus medio ad circunferentiam omnes lineæ ſunt æquales.

IN *Spharâ actiuitatis*, conſideranda ſunt præſertim

1. CENTRVM, hocque generatim eſt, vel

a. *Magnitudinis*, ſeu *punctum* à quo ductæ lineæ ad circunferentiam omnes ſunt æquales, vt *vmbilicus* in corpore humano; *meditullium* in circulo.

b. *Grauitatis*, eſt ea pars corporis ex quâ, vtraque illius pars eſt æqualiter grauis, v. g. pars vectis ſuſpenſi vnde æqualiter libratur.

c. *Corporis naturalis*, ſeu ea mundi pars in quâ reperit qualitates naturæ ſuæ conſentaneas, v. g. medium Mundi *reſpectu* lapidis.

d. *Sphara actiuitatis*, ſeu principium vnde operatio corporis procedit, v. g. fax accenſa à quâ illuminatio diffunditur.

2. Gradvs, hic eſt portio perfectionis termini producti, à quâ habet vt *intendi*, vel *remitti* dicatur.

Gradus ejuſmodi Phyſicis (vt potè qui vim naturæ ſpectent) ſunt octo. Medicis (quia attendunt vim corporum, vt *eſt* ſanitati proficua, vel nocius) ſunt ſolùm qvatvor.

3. Linea naturalis, eſt propagatio virtutis naturalis ſecundùm longitudinem phyſicè ſpectatam.

4. Radivs, eſt linea vt à centro tendit ad circunferentiam, v. g. *Lumen* vt à Sole tendit in aërem.

5. Processvs, eſt emiſſio virtutis productæ ab agente, v. g. *propagatio* caloris ab igne.

6. Degeneratio, eſt debilitas virtutis naturalis ita, vt aliquatenus vlteriùs poſſit prorogari, v. g. dum incipit languidè *lumen* produci.

7. Fœcvnditas, eſt virtus propagatrix termini ad vlteriorem diſtantiam.

8. Sterilitas, eſt tanta agendi imbecillitas, vt agens naturale vlteriùs operari non poſſit.

Intra *ſphæram*, eſt *fœcunditas*; extra verò eſt *ſterilitas*.

9. Obex, eſt id quod vlteriorem virtutis procurſum impedit, v. g. paries prohibens luminis diffuſionem.

Obex, omninò impedit procurſum virtutis diffuſæ, v. g. culcitra, projectionem pilæ; *vel* omninò non impedit; tuncque fit *reflexio*, *fractio*, vel *refractio*

Cum virtus agentis actione tranſeunte nequeat agere versús centrum (ſic ignis vt calefacit nequit agere in ſeipſum) & natura ſit entis amans, & ſuæ

diffuſionis, fit vt *radius* naturalis, ſi *obicem* ſubire non poſſit, verſùs centrum actiuitatis reflectatur; ſecús verò frangitur, vel refrangitur.

Reflexio, eſt *repercuſſio* radij naturalis versús centrum actiuitatis obice, vlteriorem illius proceſſum impediente, v. g. reuerberatio luminis à ſpeculo ſtanno obducto, versús ſolem, qui eſt ejuſmodi luminis centrum.

Fractio, eſt *receſſus* à perpendiculari radij naturalis obliquè in obicem incidentis, ipſumque peruadentis. Vnde radius dicitur fractus.

Refractio, eſt acceſſus radij naturalis ad perpendicularem obliquè incidentis, & obicem peruadentis. Hinc radius dicitur refractus.

A raro ad denſum fit refractio, aut fractio; vnde baculus alterâ ſui parte immerſus aquis, nobis apparet fractus.

Si radius naturalis perpendiculariter incidat, obicemque permeet craſſior fit, & intenſior, nec tunc propriè frangitur.

TRACT.

TRACTATVS QVARTVS.

DE CORPORE NATVRALI.

IPSIVSQVE SPECIEBVS.

CVM *mundus* omnia complectatur corpora naturalia, ideo de hoc priùs agemus, quàm de corpore,corporumque ſpeciebus.

A Græcis, *κόσμος*, ornatus appellatur, & à latinis *mundus* ob ipſius pulchritudinem nuncupatur. Eſtque, *vel*

1. Idealis, ſeu *Archetypus*, ſeu Idea mundi in mente diuinâ. De quâ Boëtius ſic habet

— Pulchrum, pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique ab origine format.

2. Vniversalis, qui coaleſcit ex *intelligibili*, & *ſenſibili*, eſtque creaturarum omnium mirabilis inter ſe coordinatio. Hæc dicitur *Vniuerſum*, ſeu rerum *vniuerſitas*; quia in ſe continet omnia entium genera.

a. Mvndvs intelligibilis, ſeu *Spiritalis*, eſt ſocietas omnium creatorum ſpirituum, in varias *Hierarchias* diſtributa, & varios *Ordines* mirificè ſubdiuiſa.

b. Sensibilis, eſt conſpicua omnium corporum fabrica diuino ordine compacta. *De quâ ſolùm hic agitur.*

DEFINITVR *compages è cœlo, terrâ, & iis conſtans, quæ inter ea continentur.*

MVNDI *finis*, Dei gloria.

OPIFEX, Deus, *verbo*, non *manibus.*

CAVSA *exemplaris*, mundus Idealis.

Materialis, Cœlum, Terra, & cætera corpora ijs interjecta.

Formalis, eſt diſpoſitio terræ, cœlorum, & eorum quæ terram inter & cœlos continentur, apta ad diuinæ gloriæ manifeſtationem.

CORPVS ſumitur *vel*

1. MATHEMATICÈ, vt eſt trina dimenſio.

2. PHYSICÈ, tuncque eſt *vel*

a. PARS *materialis*; quâ ratione homo dicitur conſtare è *corpore*, & *anima rationali.*

b. COMPOSITVM *naturale*, ſeu conſtans è materiâ, & formâ ſubſtantialiter vnitis. *Quo ſenſu* homo dicitur corpus, ſicque in lineâ rectâ categoriæ, ſubſtantiæ immediatè ſubjicitur. Eſtque *Simplex*, vel *mixtum.*

SIMPLEX, eſt corpus quod non conſtat è corporibus diſſentaneæ naturæ, eſtque *vel*

1. CORRVPTIBILE, v. g. elementum.

2. INCORRVPTIBILE, v. g. corpus cœleſte.

DE CORPORE COELESTI.

CORPVS *cœleſte*, eſt COELVM, vel ASTRVM, ſeu *ſydus.*

COELVM eſt, *vel*

Digitized by Google

1. Empyrevm, ἄπο τῦ πύρος, dictum, quaſi ignitum, quòd Beati in eo flagrent inconſummabili charitatis ardore. eſt ciuitas beatorum in quadro poſita, *de quâ Theologi.*

2. Firmamentvm, eſt ſtellarum locus.

3. Planeticvm, eſt planetarum regio.

Vtrumque ſimul *deſcribi* poteſt, corpus ſimplex incorruptibile circulariter mobile ſydera continens.

Astrvm, eſt corpus cœleſte lucidum circulariter mobile; certiſque influxibus ſublunaria ciens, hocque eſt Planeta, vel stella.

DE PLANETA.

PLANETA, eſt Aſtrum ſubinde mutans diſtantiam ad alia ſydera, v. g. Sol qui modò Lunæ, cæteriſque aſtris vicinior; modò à lunâ, cæteriſque aſtris eſt remotior.

PLANETÆ vulgò ſeptem numerantur nempe.

☽ ☿ ♀ ☉ ♂ ♃
Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter,
♄
Saturnus.

Planetarvm diſpoſitionem, in cœlo inuenies incipiendo à die lunæ qui deſignat lunam, quæ eſt omnium planetarum loco infima; tum intercipiendo diem Martis, occurret dies Mercurij, & inuenies Mercurium eſſe immediatè ſupra lunam, tum prætergredere diem iouis, ſuccedet tibi dies veneris, & ſic agnoſces, *Venerem* in cœlo conſtitui proximè ſupra *Mercurium*, & ſic deinceps progrediendo occurret dies dominica, ſeu dies ſolis, vt potè

qui ſit aſtrorum Rex,& Dominus; deinde dies martis, poſtea dies jouis; tum denique dies ſabbati, ſeu Saturni, & ſic reperies *Saturnum* inter planetas ſupremum occupare locum. Nam ſicut duodecim *ſigna* præponuntur duodecim anni menſibus, ſimiliter ſeptem *planeta* præficiuntur ſeptem hebdomadæ diebus.

1. *S O L*, eſt cor *mundi*, in mediâ cœli regione conſtitutus; vt ipſe vndequàque ſuos beneficè radios diſtribuens omnibus proſit. Omnia ſublunaria generat; & jugi influxu conſeruat, cujus acceſſu omnia *renaſci*, *creſcere*, & *exhilari* videntur, & ejus receſſu, *triſtari*, *languere*, & *emori*; ipſe licet ſingulis horis tranuolet circiter 207000 milliaria; tamen eſt indefeſſus agendo, mirâbili, & conſtantiſſimâ lege, tempeſtatum vices, temporum, dierumque viciſſitudines temperat, & moderatur. Vt princeps medius eſt inter planetas, Mars, Iupiter, Saturnus, ſunt ipſo ſuperiores loco, reliqui ſunt ipſo inferiores.

SOL eſt *ſolium*, & *ſymbolum* diuinitatis, quippe qui viciſſitudinis neſcius, & lucis plenitudinem continens, ſplendorem omnibus conciliet, & ardorem, nullámque ſuarum diuitiarum jacturam patiens, omnibus theſauros diſtribuat, atque diffundat. Hinc fortaſſe à pàganis IVPITER, dictus eſt DIESPITER, ſeu *diei pater*, & DIESPITER dictus eſt IVPITER, ſeu *juuans pater*. Vnde à *Scithis* olim tanquam Deus colebatur; juxta illud Senecæ

Et qui renatum pronus excipiens diem.

SOL *deſcribi poteſt* primum lucidum, diei, productionumque omnium ſublunarium parens, qui motu primi mobilis circumagitur 24. horis (ex quibus coaleſcit dies) motu autem proprio 365. circiter, dierum ſpatio annum abſoluit.

LVNA nocti præeſt, ſuâ luce Solis vices gerit, hyemali præſertim tempore, propter longiorem hujus à nobis diſtantiam. Vnde illud Gen. 1. *fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praeeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, &c. & diuiderent lucem, ac tenebras.*

VT SOL calidis præeſt, & ſiccis; ſic LVNA humidis frigidis præſidet. Vnde ſub lineâ æquinoctiali, frigidæ admodùm ſunt noctes, quòd hìc ſemper ſint æquales diebus. Hinc & in pleniluniis abundantior eſt in oſſibus animalium medulla. Vnde ad lunæ motum concurrente intelligentiâ æſtus maris procuratur.

LVNA vnius menſis ſpatio curſu vniformiter difformi, nè frequentiores contingant eclipſes, extra eclipticam digrediens, ſuam abſoluit periodum.

ECLIPSIS *Lunæ*, eſt defectus lucis in lunâ.

Hæc verò contingit circa plenilunium dum Luna occurrit in *capite*, vel *caudâ* Draconis ſub *Nadir* Solis; tunc enim terra Solem inter, & ipſam intercipitur, & Conus vmbræ terræ *lunam* tegit, vnde lumen à Sole mutuari nequit, & cum propriâ luce careat, omni lumine deſtituitur, & ſic ipſa eclipſim patitur. Hæc eſt, *vel*

GENERALIS dum Luna eſt directè in capite, vel *caudâ Draconis*; quia tunc Luna patitur totalem lucis defectum.

PARTICVLARIS, ſi fuerit prope *caput*, vel *caudam Draconis*, & intra metas eclipſi deſtinatas.

ECLIPSIS Solis (vt vulgò dicitur) eſt poſitio Lunæ Solem inter & noſtrum aſpectum. Seu conjunctio *Lunæ* cum *Sole* intra metas *eclipſi* præſcriptas.

Digitized by Google

Eclipſis Lunæ contingit dum Luna è diametro Soli opponitur. *Eclipſis* verò Solis, cum illa perpendiculariter huic ſubiicitur. Hinc quia in tali occaſione ſaltem alteruter planeta benignos influxus ad nos non diſtribuit, Luna ſui curſûs obliquitate quantùm poteſt, talem vitat occurſum.

LVNA eſt *vel*
- Intermenſtrua, σύνοδος.
- Corniculata, μηνοειδής.
- Dimidiata, διχότομος.
- Gibboſa, ἀμφίκυρτος.
- Plena, πανσέληνος.

Cum Sol propior eſt nobis, minùs nos illuſtrat & fouet, & quò Luna à Sole eſt remotior, magis ab ipſo illuminatur. Eſt veluti ſpeculum Soli oppoſitum, quo hujus lumen ad nos repercutitur.

Dum Sol magis à nobis diſtat, *nempe* æſtiuo tempore, cum tunc ſit in *Apogeo*; ſui luminis ſplendorem, & caloris ardorem magis ad nos deriuat. Et quò ipſi vicinior eſt Luna, eò minores vires ab eo participat.

PRIMVM *mobile*, circumagitur ſuper mundi polis ab *oriente* per *accidentem*, ita, vt ſpatio 24. horarum ad eundem punctum recurrat, rapitque ſecum ſubiecta ſydera; ea verò habent motum illi oppoſitum. *Nempe* ab *occidente* ad *orientem* (ſibi proprium) Hinc habent peculiarem periodum.

SATVRNVS ſuam conficit periodum 30. annorum ſpatio. IVPITER, ſuam abſoluit 12. annis. Mars duobus. Sol 365. Diebus, & ſex circiter horis; etiam & Mercurius pari ferè ſpatio, quàm Sol; Luna autem 27. diebus, & octo horis.

VENVS, à limpido ipſius *venuſtatis* candore, nomen habet; eſt diei, noctiſque prænuntia. Ante-

lucano tempore *Lucifer*, ſerotinis verò horis, *Veſper* appellatur.

Planetæ benigni ſunt *Iupiter*, & *Venus*; maligni, *Saturnus*, & *Mars*; indifferentes *Sol, Luna*, *Mercurius*. Iuxta illud.

Iupiter, atque Venus, bene ſunt, Sat. Marſque, maligni
Sol, & Mercurius, cum Lunâ, ſunt mediocres.

DE STELLA.

STELLA, eſt aſtrum Firmamento affixum, eandem ad alia ſydera diſtantiam ſeruans. Cogitatur adhærens cœlo, vt lampas, lacunari.

STELLA ſcintillat, non item, planeta.

Scintillatio, eſt *criſpatio*, & *libratio*, *quâ lumen tremulum apparet.* Hæc contingit è nimiâ ſtellarum à nobis diſtantiâ; illa eſt in noſtris oculis, non verò in aſtris; quemadmodum in candelâ eminùs visâ, quædam luminis apparent ſpicula, quæ à nobis cominùs non deprehenduntur.

E plurium ſtellarum vicinitate fit *Conſtellatio*, ſeu *Aſteriſmus*, hic in Zodiaco vocatur ſignum.

SIGNVM *cœleſte*, eſt conſtellatio, *ſeu* portio Zodiaci, quæ vnius menſis ſpatio, ſcilicet incipiendo ab Æquinoctio Veris; putà 21. die Martij, à Sole decurritur.

In menſe ſunt { Calendæ. Nonæ. Idus.

Quodlibet *Signum* diuiditur in 30. gradus.

GRADVS, hìc eſt trigeſima Signi portio, quæ à Sole, ſingulis diebus percurritur.

Quilibet *Gradus* diuiditur ab Aſtronomis in 60. Minuta; quodlibet autem Minutum, in 60. Secunda; quodlibet Secundum in 60. Tertia, & ſic deinceps, vſque ad decem.

SVNT duodecim Zodiaci Signa totidem nominibus hoc *Diſtico* comprehenſa.

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
♎ . ♏ ♐ ♑ ♒ ♓
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces,

Horum ſeries ordinatè his verſibus deſcribitur.

Aurato princeps ARIES *in vellere fulgens*
reſpicit admirans aduersùm ſurgere TAVRVM,
ſubmiſſo vultu GEMINOS, *& fronte vocantem:*
quos ſequitur CANCER, *Cancrum, Leo;* VIRGO, *Leonem.*
Æquato tum LIBRA *die cum tempore noctis,*
attrahit ardenti fulgentem SCORPION *Aſtro,*
in cujus caudam contentum dirigit arcum
MIXTVS EQVO, *volucrem miſſurus deinde ſagittam.*
Poſt venit anguſto CAPRICORNVS *ſydere flexus;*
poſt hunc inflexam diffundit AQVARIVS *vrnam*
PISCIBVS, *aſſuetas auidè ſubeuntibus vndas,*
Quos Aries tangit, claudentibus vltima Signa.

ZODIACVS, eſt circulus latitudine duodecim graduum, lineam æquinoctialem interſecans, & ab eâ interſecatus in duas partes æquales, cujus altera medietas declinat versùs Septentrionem; altera versùs Auſtrum continens 360. gradus.

Sic dicitur, *ἀπὸ τῆς ζωῆς, à vitâ*, quòd ſecundùm acceſſum, aut receſſum Solis à nobis in Zodiaco, fiant generationes, aut corruptiones in ſublunaribus. *Vel ἀπὸ τοῦ ζώου, ab animali*; quia diuiditur in

Digitized by Google

duodecim partes æquales; *ſeu* Signa, quorum quodlibet (propter peculiarem vim quam habet, virtuti cujuſdam animalis correſpondentem, hujus nomine appellatur. Vel propter diſpoſitionem ſtellarum fixarum, hujuſmodi animalium effigiem referentium, quibus correſpondent.

ZODIACVS obliquo ſuo ſitu præſtat, vt Sol ipſum decurrens, varias anni vices, atque tempeſtates procuret. Niſi enim Sol *ſpirali curſu* per eum moueretur, diuerſæ anni tempeſtates, tempeſtatumque viciſſitudines non orirentur. Hinc *fit*

a. ÆQVINOCTIVM SOLIS quod eſt cum vbique terrarum, noctes ſunt æquales diebus; idque contingit dum Sol eſt in circulo *æquinoctiali*.

ÆQVINOCTIVM SOLIS eſt, *aut*

1. VERNVM, *nempe* eum Sol eſt princip o *Arietis*.
2. AVTVMNALE, putà cum Sol eſt in principio *Libræ*.

b. SOLSTITIVM item eſt

ÆSTIVVM, quod fit dum Sol eſt in tropico cancri.

HYEMALE, dum eſt in tropico capricorni

c. SOLIS ortus, vt occaſus *triplex*, *videlicet*.

Æſtiuus	*Tropico cancri.*
Æquinoctialis [qui eſt dũ Sol eſt in	Lineâ *æquinoctiali.*
Hybernus	*Tropico capricorni.*

CVILIBET anni tempeſtati præpoſitum eſt *triplex* Signum, *nempe*

Vernæ, Aries, Taurus, Gemini.

Æſtiuæ, Cancer, Leo, Virgo.

Autumnali, Libra, Scorpius, Arcitenens.

Hyemali, Caper, Amphora, Piſces.

Verna tempeſtas, menſe Martio; *Æſtiua*, Iunio; *Autumnalis*, Septembre; *Hyemalis* verò menſe Decembri incipit. *Hinc illud*

Martius à medio, Ver *ducit*; *Iunius*, Æſtum;
Autumnum, *September habet*; Brumamque *December*.

EA Signa *vocantur*, Δωδεκατημόρια, ab animalibus; eaque diuidunt Zodiacum in duodecim partes æquales. Signorum, ſex priora, ſunt *Septentrionalia*; ſex verò poſteriora, ſunt *Auſtralia*.

CONSTELLATIONES, Stellæ, & Planetæ nomen habent, *vel à*

Figurâ, v. g. Corona, Plauſtrum.

Qualitatibus, putà Leo, Taurus, &c.

Fabulis, nempe Mars, Iupiter, Saturnus.

Hiſtoriys, videlicet Orion, propter ejus in rebus Aſtronomicis Peritiam.

Ab hominum impoſitione, nimirùm Luna.

Ab indicatione, v. g. Pleïades, quæ ſuo ortu indicant, fauſtam ſuſcipi poſſe nauigationem.

ARÏES, hìc eſt primum Zodiaci Signum; quia mundus creditur à Deo conditus vernali tempeſtate, quæ eſt omnium, totius anni amœniſſima, Hæcque tempeſtas ARIETE deſignatur; quia poſteriore parte debilis eſt, & anteriori viget. Sic Sol in poſteriori parte hujus Signi, quâ *ſcilicet* vergit ad *Hyemem*, debilioris eſt virtutis; potentioris autem in parte anteriori, quâ *nimirùm* reſpicit *Æſtatem*.

SECVNDÙM Signum dicitur TAVRVS; quia tunc apparet fortitudo, ſeu labores boüim. Tum quòd ſicut TAVRVS, eſt *Ariete* robuſtior; ſic Sol, in eo Signo exiſtens viribus iis præpollet, quibus vigebat, dum ipſe *Arietis* ſignum decurreret.

TERTIVM, *vocatur*, GEMINI; quòd tunc duplicetur *calor*, & Solis *ſiccitas*, & terræ vis in plantis promouendis geminetur.

QVARTVM, CANCER; quia Sol *more* Cancri, à nobis retrocedit. Vnde eiuſmodi Signum

TROPICVM appellatur; in hoc ſit Solſtitium Æſtiuum.

QVINTVM, LEO; *quia* ſicut hic eſt *fera* ardentiſſimæ naturæ, & implacabilis iræ; ita Sol, eſt ardentiſſimus, & ſicciſſimus. Hinc Hippocrati, ſub *Cane*, & ante *Canem*, purgationes ſunt moleſtæ. Hic incipit nonis Iulii. Vnde hoc diſticum.

Iulius à Nonis inducit Caniculares.
Septembris gaudet deca-ſexto fine Calendas.

SEXTVM, VIRGO; *quia* Sol tunc nihil parit, ſed parta fouet, & maturat.

SEPTIMVM, LIBRA; *quia* cum tunc ſit Æquinoctium Autumnale dies, & nox ſunt in æquilibrio.

OCTAVVM, SCORPIVS, qui ſicut cauda pungit, *ſic*

Matutina parùm cautos, tunc frigora lædunt.

NONVM, SAGITTARIVS; tunc enim vibrantur ad nos *imbres*, *niues*, *grandines*, &c.

DECIMVM, CAPRICORNVS; vt caper dumeta paſcendo, ſe erigit; ſic Sol ab inferiori Hemiſphærio emergit, & ad nos aſcendit; vnde hoc Signum dicitur Tropicum, in quo ſit Solſtitium hyemale.

VNDECIMVM, AQVARIVS; quia cœlum tunc pluuiis ſtillat.

DVODECIMVM, PISCES; quia madet cœlum imbribus, ita vt piſces credantur propter pluuiarum abundantiam, in terrâ poſſe natare.

LIBRA, præparat terram nouæ ſementi, vt ſemen foueat; cum enim Sol tunc ſic in æquilibrio conſtitutus, moderatam procurat aëris temperiem; hæc verò ſeminis fermentationem.

SCORPIVS humectat *Sata*, vt ipſis calore, &

humiditate corruptis, illorum virtutis prolificæ facultas excitetur, & nouum germen oriatur; *fructus* quippe præteritus, eſt *ſemen* meſſis futuræ. De quo illud circunfertur, vbi PVTRVI, ibi FLORVI.

CAPRICORNVS *terram* conſtringit; vt fœtus terrâ concluſi, altiùs mittant radices, cum vegetiores virtute collectâ, excreſcant.

AQVARIVS, *terram* pluuiis irrigat, flatibus verrit, & purgat.

PISCES, *aquatilia* fœcundant, tumque oua pariunt. Hæc conſtellatio *humiditatem*, & *frigus* qualitates piſcibus conſentaneas continet: at non admodùm efficaciter.

ARIES, *terram* exſiccans, & veluti cornibus fugans frigus, eam præparat agrorum culturæ, paſtinationi, occationi, &c.

TAVRVS, ipſam præparat ſationi, calorque intendìtur; in hoc ſunt *Hyades*, & *Pleïades* quo tempore tuta ſuſcipitur nauigatio.

GEMINI, *Segetes* fouent, calor, dierumque longitudo ſub iis ferè geminatur.

CANCER, *terram* humectat, vt fruges humiditate nutriantur, atque turgeant.

LEO vrens, *coctionem* fructuum, & maturationem perficit.

VIRGO humida, & benigna *æſtum* temperat, blandèque mitigat.

DE ELEMENTIS.

ELEMENTVM, *latè* eſt principium. Hinc Euclidi principia Matheſeos, dicuntur *Elementa*;

& Grammaticis, literæ appellantur *Elementa prima.*

Propriè, eſt id ex quo primùm inſito, & in aliam ſpeciem indiuiſibili, aliquid componitur. *Seu* id in quod cætera corpora diuiduntur, quibus ineſt *potentiâ*, aut *actu*; ipſum autem eſt indiuiſibile in alia corpora ſecundùm ſpeciem diuerſa.

DEFINIRI *poteſt*, corpus ſimplex corruptibile, indiuiſibile in aliam ſpeciem, ex quo mixta componuntur, & in quod reſoluuntur.

Eſt quadruplex, putà *Ignis*, *Aër*, *Aqua*, *Terra*; ſicut eſt quadruplex prima qualitas, putà *calor*, *frigus*. *humiditas*, *ſiccitas*.

IGNIS, *eſt* elementum ſummè calidum, & valdè ſiccum, & inter cætera elementa maximè actiuum.

AËR, *eſt* elementum ſummè humidum, mediocriter calidum.

Inſeruit humanæ inſpirationi, & reſpirationi, vocique efformandæ, & per aduentitium frigus fuligines verrens, calorem cordis temperat, ſuâque ſubtilitate ad ſpiritus elaborandos illi inſeruit, necnon cuiuis animali progreſſiuo, & volatili ad motum; quia facilè cedit corpori ipſum mouenti. Vnde eſt volatilium regio.

AQVA, eſt elementum ſummè frigidum, valdè humidum.

TERRA, eſt elementum ſummè ſiccum, & mediocriter frigidum.

Quædam medicamenta habent proportionem cum elementis; nam *præſtant*

Aloë, Piper, &c. *calore.*

Oleum, *humiditate.*

Papauer, Mandragora, & ſimilia Narcotica, *frigore.*

Bolus Armena, *ſiccitate.*

Digitized by Google

ELEMENTA habent proportionem cum mundi regionibus, ventis Cardinalibus, anni tempeſtatibus, tum & cum hominis ætatibus;

Vt videre eſt è ſubiecta tabula.

	Calid. Sicc.	Calid.humid.	Frigid.humid.	Frigid. ſicc.
Elementum,	ignis.	aër.	aqua.	terra.
Mundi regio,	*oriens.*	*meridies.*	*occidens.*	*Septentrio.*
Ventus cardinalis,	Eurus.	Auſter.	Zephirus	Boreas.
Anni tempeſtas,	*æſtas.*	*ver.*	*hyems.*	*Autumnus.*
Corporis humor,	bilis.	ſanguis.	pituita.	melancholia.
Hominis ætas,	*Iuuentus.*	*adoleſcentia.*	*ſenectus.*	*ætas decrepita.*

Graphicè ordinatam elementorum diſpoſitionem deſcripſit Nazo his verſibus.

IGNEA *connexi* VIS, *& ſine pondere cœli*
Emicuit, ſummâque locum ſibi legit in arce;
Proximus eſt AËR *illi leuitate, locoque.*
Denſior his TELLVS, *elementaque grandia traxit,*
Et preſſa eſt grauitate ſui circumfluus HVMOR
Vltima poſſedit, ſolidumque coërcuit orbem.

ITEM Manlius *l. pri. Aſtron.*

IGNIS, *in æthereas volucer ſe ſuſtulit auras,*
Summaque complexus ſtellantis culmina cœli,
Flammarum vallo Naturæ mœnia fecit.
Proximus in tenues deſcendit SPIRITVS *auras,*
AËRAQVE *extendit medium per inania mundi;*
IGNEM, FLATVS *alit vicinis ſubditus aſtris.*
Tertia ſors VNDA *ſtrauit, fluctuſque natantes*
Æquore ſuffudit, toto naſcentia Ponto;
Vt LIQVOR *exhalet tenues, vtque euomat* AVRAS,
AËRAQVE *ex ipſo ducentem ſemina paſcat.*
Vltima ſubſedit glomerato pondere TELLVS.

DE
TERRAQVEO GLOBO.

TERRAQVEVS *globus*, eſt ſolidum rotundum, ex aquâ, & terrâ conflatum, cuius circunferentia eſt circiter 5400. milliaribus Germanicis. Diameter verò 1718. Mundi ſenſibilis immobile centrum.

Ideoque illius reſpectu eſt punctum. *Quid igitur prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animę vero ſuæ detrimentum patiatur.*

GLOBI terraquei partes ſunt AQVA, & TERRA, quas hìc ruditer attingimus.

AQVA, eſt *omnium natatilium* natale domicilium. Ratione ſui receptaculi eſt, *vel*

1. MARE (quod à ſcripturâ nuncupatur *congregationes aquarum*) ſeu *Oceanus*. Hic, cum ſuis appendicibus, ampliorem terraquei globi replet ſuperficiem; variiſque in locis ingentes terræ ſubit lacunas; *putà* per Fretum Gaditanum tranſiens ampliciſſimum lacum efficit; qui MARE MEDITERRANEVM nominatur; eò quòd ab antiquis (quibus America non ſatìs probè erat agnita) creditum ſit in *medio terræ* eſſe conſtitutum; Europæ quippe, Aſiæ, & Africæ eſt contiguum.

Oceanus, ex Mediterraneo Mari, per fretum Boſphori tranſiens, alium ingentem lacum conficit, qui Pontus Euxinus appellatur. Item Fretum Danicum ſubiens, Mare Balticum producit. Hæc, & ſimilia præſtat nauigationis gratiâ. Hinc colligere licet totum ORBEM, quaſi vnicam eſſe VRBEM.

2. LACVS propriè, eſt ingens ſcrobs amplo fluminum aquis repleta, quæ ad ſiccitatem nequit reduci, v, g. lacus Galileæ. Frequentiſſimi ſunt in Heluetiâ, locisque ei adjacentibus: at omnium totius orbis præſtantiſſimus, eſt is, qui *Mare Caſpium* nuncupatur; quod credibile eſt ingentes quas ex ampliſſimis fluminibus aquas concipit, ſubterraneis canalibus in Pontum Euxinum exonèrare.

3. STAGNVM, eſt lacuna aquis fontium, aut riuulorum repleta, piſcibus nutriendis dicata, quæ vt plurimùm aquis euacuari, & ad ſiccitatem poteſt reduci.

4. PALVS, eſt aquarum marinarum, aut pluuialium collectio, in *fungoſi ſoli* ſuperficie reſtagnans,

Digitized by Google

gnans; quæ vt plurimùm æſtatis ardore exſiccatur.

5. Fons, eſt exitus aquæ è terrâ ſcaturientis, ortæ vt plurimùm ex imbribus, aut niuibus, quæ Solis ardore ſenſim liquantur, & in montibus imbibuntur, in quibus, velut in ſpongiâ conſeruantur, & ſubinde per rimas ſtillant, quæ Æſtatis feruore imminuuntur, & etiam interdùm exſiccantur.

Aquæ fontium *ſaxis*, vel ferri *mineris* excolatæ; quæ ſcorias deponentes, expurgantur, & vim medicinalem ſuſcipiunt, ſunt ſalubres.

6. Flumen, eſt fluxus aquarum longo interuallo, è fontibus ortus; niuium liquatione, vel pluuiarum copiâ quandòque turgens, & tandem ſeſe in Mare exonerans, v. g. *Indus*, *Euphrates*, *Nilus*, *Ebrus*, *Sequana*, *Rhenus*, *Danubius*, *Volga*.

Fluvius, eſt aquarum fluxus qui poſt longum tractum flumen ſubit; aut breui decurſu ingreditur Mare.

7. Torrens, eſt vndarum affluxus è montibus tumultuariâ pluuiarum, aut niuium liquatarum copiâ, præcipiti impetu obuia quæque ſecum deuoluens, ſubitòque decreſcens, maiorique anni parte aquarum inopiâ, plerùmque exareſcens.

Varus, & *Ligeris* indolem *fluminis*, & torrentis participant. *Druentia* verò, & *Iſara* rationem fluuii, & torrentis videntur habere.

8. Pvtevs, eſt profunda *ſcrobs*, fluuii communicatione, aut fontis ſcaturigine aquas concipiens.

9. Sisterna, eſt locus ſubterraneus à naturâ, aut arte factus, arenâ ſtratus, ad quem aquæ pluuiales ſtillicidiis, aliiſue canalibus confluunt; *vel* aliunde aſportantur, ibique expurgantur: vt Venetiis, vbi ciues mediis in vndis, aquis indigent.

P

Huiuſce cauſa, eſt *Intelligentia*, quæ præeſt Lunæ motui, cuius ope mirabiles concitat maris elationes, tum ad Dei maieſtatem declarandam; tum ad maris purgationem procurandam.

Eſt quidam obſcurus aquarum *Oceani* fluxus à Septentrione ad meridiem; eò quòd nobis ſit polus elatus, hicque motus ſolà nauigatione deprehenditur; hæc quippe eſt facilior à Septentrione ad Meridiem, quàm à Meridie, ad Septentrionem.

Hinc quidam recentior, qui omnia temerè perturbatèque audiebat, imaginatus eſt æſtum maris fieri à Septentrione ad meridiem, & viciſſim, quòd eſt, & contra experientiam, & rationem; ſic enim tam facilis eſſet nauigatio à Meridie, ad Septentrionem; quàm vice verſâ.

FRETVM, eſt maris tranſitus duarum inter terrarum anguſtias, v. g. Fretum Herculeum, ſeu Gaditanum. *Item* Fretum Siculum. *In* hoc quædam eſt leuis vndarum reciprocatio ab oriente ad occidentem, quæ ab incolis Calabriæ vernaculè appellatur *la Rema*.

Hinc fortaſſe prædictus recentior finxit juxta Venetias, æſtum maris concitari; etſi prædictâ reciprocatione nullatenus mare turgeat, diſtetque ad minimum 250. leucis ab vrbe Venetianâ.

In, vltimo hoc freto, eſt

Charibdis, ſeu quidam vortex nautis, præſertim inexpertis, mari agitato periculoſus; qui naues ſuâ vertigine quandoque abſorbet.

Sylla, eſt rupes in continenti Calabriæ ad Fretum Siculum ſita, in cuius apice conſtituta eſt arx munitiſſima.

Sinvs, eſt maris *effluuium*, longum terræ tractum ſubiens, à quo continetur, v. g. Sinus Adriaticus, Eritreus, &c.

Isthmvs, eſt *ſtrictum* terræ *ſpatium*, mare à mari diuidens, v. g. ſpatium terræ ſeparans mare Eritreum à Mediterraneo, item iſthmus Peloponeſi in quo conſtructa eſt Corinthus. Vnde à Poëtà, *bimaris* appellatur.

Ostivm hic, eſt ingreſſus fluminis in mare; vt ſeptem diuitis oſtia Nili.

AQVA prodeſt præſertim hominis *conſeruationi*, *nauigationi*, *generationi piſcium*, necnon terræ *fœcunditati*.

DE TERRA.

TERRA, eſt locus peregrinationis hominis in quo Deus Optimus Maximus quicquid ad illius vitæ neceſſitatem, vtilitatem, & delicias conferret, liberali profuſione condidit. Non tamen in quolibet loco; nec enim omnis fert omnia tellus. Id gratè *ſic* exponit Poëta.

Fert Indus Ebur, Chaldæus, Amomum;
Aſſyrius, Gemmas; *Ser*, vellera; thura *Sabæus*;
Athis, mel; *Phœnix*, Palmas; *Lacedemon*, oliuam;
Argos, equos; *Epirus*, equas; pecuaria *Gallus*;
arma, *chalibs*; frumenta, *Libis*; *Campanus* iaccum;
aurum, *Lidus*; *Arabs*, guttam; *Panchaïa*, myrrham;
Pontus, caſtorea; blatam, *Tyrus*; æra, *Chorinthus*;
Sardinia, argentum; naues *Hiſpania defert*.

TERRA *per reſpectum* ad Mare, eſt vel

1. Insvla, ſeu aliqua terræ portio vndique mari circundata, v. g. Sicilia, Anglia, &c.

Peninsvla, eſt portio terræ penè mari circundata, & ſecundùm anguſtiorem ſui partem ad-

Digitized by Google

hærens continenti, v. g. *Peloponeſus*,

PROMONTORIVM, eſt portio continentis in mare ſecundùm anguſtiorem ſui partem longè procurrens, v. g. in Africâ *Caput bonæ Spei.*

CONTINENS, eſt pars terræ plurimas longè, latèque diffuſas continens Plagas; *putà* noſtrum CONTINENS, cui junctæ ſunt *Europa*, *Aſia*, *Africa*; vel CONTINENS Antipodum, *putà* America.

Mons / Rupes [eſt { *moles lapidoſa in proceram* / *aſſurgens altitudinem* humo { *ſuperinduta.* / *deſtituta.*

Scopulus, eſt moles lapidoſa mari eminens.

MONTES maximè conſpicui, ſunt Caucaſus, Olimpus, Sinaï, *Montes Lunæ* (è quibus *Nilus* ſuam trahit originem) *Athlas*, *Pirenei*, *Alpes*, *Veſuuius*, juxta Neapolim, *Ætkna* in *Sicilia*: hi ambo Vltimi perpetuò (ſaltem *Veſuuius* fumos eructat) quandoque etiam flammarum effluuium emittunt vicinas plagas combuſtione deuaſtans. Item *Hecla* in *Iſlandiâ*, nonnunquam flammas euomit.

DE
ELEMENTORVM QVALITATIBVS.

ELEMENTA ſpectantur, *vel* vt partes

1. VNIVERSI, horumque proprietates ſunt leuitas, & grauitas.

2. MIXTI, horumque qualitates ſunt *vel*

a. *Primariæ* quæ neque ex ſeſe inuicem, nec ex aliis ſed ex iis omnes ſublunares qualitates deriuantur; *putà* calor, frigus, ſiccitas humiditas; harum duæ priores ſunt *actiuæ*; Poſteriores verò ſunt *paſſiuæ*.

b. *Secundariæ*, ſunt quæ à primis deriuantur pu-

ta *durities*, &c.

Levitas, eſt qualitas motiua ſurſùm, ſeu verſùs concauum Lunæ.

Gravitas, eſt qualitas motiua deorſùm; ſeu verſùs terræ centrum.

Hæ elementa ad centrum impellunt, ſi fortè ab eo dimoueantur, vt ſcilicet in eo faciliùs conſeruentur.

IN *quolibet* Elemento, vt eſt pars mixti, eſt ſolùm vna primaria qualitas prædominans, v. g. in igne, *calor*; in aquâ, *frigus*; in aëre, *humiditas*; in terrâ, *ſiccitas*.

Calor, eſt tactilis qualitas, homogenea congregans, & hetherogenea ſeparans. Sic igne expurgatur aurum, purumque à fæcibus, necnon ab aliis metallis efficitur. Pariter vi caloris in viuentium nutritione partes inutiles, à proficuis. Item Sanguis à Pituitâ, Melancholiâ, & Bile ſecernitur.

Est *etiam*

a. *Maximè actiuus.* Vnde eſt potiſſimum inſtrumentum omnium generationum, & operationum *Naturæ*.

b. *Corruptiuus*, & combuſtiuus; corruptionis enim principium, eſt humiditas cum calore extraneo.

c. *Dilatatiuus*; etenim valdè rarefacit. Vt patet in lactis ebullitione. Sic æſtiuo tempore rareſcunt, & dilatantur, quæ hyemali tempore condenſantur, & conſtringuntur. Hinc è ſpiraculis locorum ſubterraneorum, hyemali tempeſtate craſſiores videntur vapores exire, qui Æſtate, præ eorum raritate, & ſubtilitate, non deprehenduntur.

Frigus, eſt qualitas tactilis homogenea promiſcuè, & etherogenea congregans. Sic vndarum congelatione, in glacie congregantur *ligna*, *lapides*, *paleæ*, & obuia quæque.

Contrariorum contrarii ſunt effectus. Vnde cum *calor* dilatet, ſic *frigus* conſtringit, vt patet in *lactis refrigeratione*

HVMIDITAS, eſt qualitas, quâ res proprio termino facilè; difficulter autem alieno termino continetur. Sic *aqua*, facilè vaſis ambitu continetur, eoque rupto facilè diffunditur.

SICCITAS, ea eſt per quam res facilè proprio; difficulter autem alieno termino-continetur; vt in ſtatuâ marmoreâ, quæ facilè propriâ figurâ, difficulter autem alieno termino continetur.

Humiditas facilè ſeſe inſinuando, eſt vinculum, quo elementa in mixtis commiſcentur, & inter ſe ſe vniuntur. Siccitas verò inſeruit ad terminanda ſolida corpora, eaque fulcienda, vt patet ex oſſibus humani corporis, quibus & ſuſtinetur, & certâ figurâ circunſcribitur.

Quapropter cum ignis Pyramidali figurâ de ſe ſit terminatus, & alieno termino difficulter contineatur, vt patet ex furnis,& cuniculis in quibus accenditur; jure merito à philoſophis, ſiccus eſſe dicitur.

IN igne, & aëre eſt *calor*; in aquâ, & terrâ, *frigus*; in terrâ, & igne, eſt *ſiccitas*; in aquâ, & aëre, eſt *humiditas*

E primariis, ſecundariæ qualitates oriuntur putà

1. RARITAS, *ſeu* qualitas ſecundaria orta à calore, quâ corpora ſub paruâ materiâ magnâm habent quantitatem, v. g. *Ignis* excitatus è puluere pyrio.

2. DENSITAS, *ſeu* qualitas ſecundaria à frigore præſertim ortâ, quâ corpus habet multùm materiæ, ſub paruâ quantitate, v. g. *plumbum*.

Denſum, eſt *vel* molle, in quo humiditas dominatur, v. g. butirum; aut *durum*; hocque eſt liqua-

bile, in quo eſt *humiditas*; vel non liquabile, in quo viget *ſiccitas*.

Mollities, eſt qualitas ab *humiditate* orta, quâ res tactui facilè cedit, difficulter reſiſtit.

Aqua, eſt liquida, ſeu fluida, non mollis.

Durities, eſt qualitas ſecundaria à ſiccitate, & frigore orta, quâ res tangenti difficulter cedit, & facilè reſiſtit.

Tenuitas, ſeu *Subtilitas*, eſt qualitas ſecundaria per quam corpus *durum*, vel *molle*, facilè diuiditur.

Crassities; eſt qualitas ſecundaria, à frigore, & denſitate orta, quâ corpus eſt compactius, & diuiſu difficilius.

Crassities, fit additione, v. g. craſſities, quâ puluere fiunt lutum, aquæ affuſione; vel alteratione; ſic *lateres* incraſſantur humiditatis detractione. *Aqua* in glaciem concreſcit, ſiccitate adueniente.

Friabilitas, eſt qualitas ſecundaria, à ſiccitate orta, per quam partes corporis parùm ſibi cohærentes, ſunt attritu faciles, v. g. *Saccarum*, *Sal*.

Lubricitas, eſt qualitas ſecundaria ab humiditate orta, quâ corpus facilè elabitur, & tactum fugit, v. g. *Hydrargyrum*.

Lentor, eſt qualitas ſecundaria, ab humiditate orta, quâ res fiunt tenaces, & viſcoſæ, v. g. *Pix*, *Gluten*, *Bitumen*.

Asperitas, eſt qualitas ſecundaria, à ſiccitate orta, per quam res fiunt in ſuperficie inæqualiter eminentes, & tactum offendentes, v. g. extremitas linguæ *vaccæ*, *felis*, item *pellis canis marini*, &c.

Lævitas, eſt qualitas ſecundaria ab humiditate

orta, per quam res ſunt in ſuperficie æquales, & tactum oblectantes, v. g. *marmor politum.*

DE MIXTO.

MIXTVM, eſt *perfectum*, vel *imperfectum*. Imperfectum, quod dicitur

1. Μετιώρον, quaſi ſurſum *elatum*, aut *viſum*, ἀπὸ τοῦ μέτα *ſurſum*, καὶ ἄιρω, *tollo*, vel ὁράω, *video*; quòd plerùmque & fiat, & ſurſum appareat.

2. IMPRESSIO, quòd vt plurimùm videatur *impreſſionum*, ſeu *imaginum* inſtar. *Vt uidere eſt* in Parelijs, & Paraſelenis.

MIXTVM imperfectum definitur, corpus habens formam, ab elementorum formâ, ſolùm qualitatibus extraneis diuerſam, v. g. gelu, pluuia, fulmen, cometa.

METEORA ſunt, *vel*

ignita, — Fulmina, cometa.
illuſtrata, [v. g. — Iris.
humida, — Imber, ros, pruina.
ſicca-terreſtria, — Venti.

ITEM meteora fiunt, *vel* in

Regione aeris { ſupremâ, [v. g. { *cometa.*
mediâ, — *fulmen.*
infimâ, *vel in* { aquà [*putà* { *gelu.*
terrâ — *ros.*

Id autem contingit, quòd è terrâ excitetur *halitus humidus*, qui dicitur VAPOR; alter *calidus ſiccus*, qui ſimpliciter EXHALATIO nuncupatur.

VAPOR, ſuâ tenuitate, in mediam aëris regionem, virtute ſyderum euectus, ibique ſyderum conſtrictione condenſatus; in nebulas, nubes, pluuias, grandines, vel niues, conuertitur. Si verò craſſior, & ſyderum vis ſit debilior, in infimâ aëris regione VAPOR remanet, ex quo producuntur pruinæ, gelu, glacies, &c.

EXHALATIO, *vel*

1. *Subtiliſſimâ* ſuæ tenuitatis leuitate ipſam mediam aeris permeans regionem ſupremam ſubit, vbi concitatione motûs, aeris agitatione, ignis elementaris vicinitate, & ſyderum calore accenſa, pro variâ materiæ, temporis, locique diſpoſitione, in diuerſas ignitarum impreſſionum ſpecies conuertitur.

2. *Suâ craſſitie* nequit mediam aeris regionem ſuperare. Sed illius frigore deorſum detruſa, & terræ frigiditate repercuſſa, inter utrumque corpus frigidum, ſicut nucleus inter digitos, comprimitur, ſicque lateraliter cieri cogitur. Hæcque tunc *Ventus*, appellatur.

INCIPIMVS à *Meteoris* ſupremæ regionis, deſcendendo ad *Meteora* infimæ regionis.

STIPVLA *ardens*, eſt exhalatio in longum extenſa, & æquabili flammæ continuitate tota ſimul accenſa.

CAPRÆ *ſaltantes*, eſt exhalatio diſcreta inflammata ſaltatim, & ad longius ſpatium protenſa.

LANCEA, ſeu *Iaculum*, eſt exhalatio exigua, accenſa, & æquabili craſſitie in latum expanſa. Hæc pro variâ, quam refert, figurâ, Cilindrus, Trabs, &c. appellatur.

STELLA eſt, *vel*

1. *Volans*, ſeu *exhalatio ſcintillans*, *ſtella ſpeciem*

præſeferens, propriâ ſiccitate, concitatoque motu inflammata, tum corporis inferioris reſiſtenti compactione ſurſum *eiaculata*.

2. *Currens*, eſt ſimilis exhalatio, à corporibus æqualiter compactis compreſſa, & tranſuerſim emiſſa.

3. *Cadens*, eſt ſimilis exhalatio, à corporis ſuperiùs exiſtentis reſiſtenti compactione deorsùm vibrata.

COMETA, propriè eſt exhalatio. è copioſo, & contumaci halitu viſcoſo, motu rapidiſſimo, Soliſque radiorum reflexione; vel igne elementari inflammata, aut ſaltem illuſtrata.

DRACO volans, eſt exhalatio mediæ regionis aereæ frigore, per antiperiſtaſim accenſa, & iterato ignitæ materiæ conatu ſurſum vergentis, inæqualiter intorta.

FVLGVR, & *Coruſcatio* ſæpe confunduntur attamen

FVLGVR, eſt emicans fulgor exhalationis illuſtratæ, cum tonitru.

Coruſcatio, eſt emicantis exhalationis vibratio ſine tonitru.

TONITRV, *eſt* fragor horrendè reboans nubis diſruptæ, dilatatione exhalationis accenſæ, & ex ejus viſceribus præcipiti impetu erumpentis. Id poteſt intelligi è ſtrepitu caſtaneæ, vi caloris corticem ipſius diſrumpente. *Item* è fragore auri fulminantis, necnon exploſarum bombardarum.

PRÆSTER, *quibuſdam*, eſt exhalatio concitata ardens, & vrens, longè, latèque graſſans, nubibus incluſa edens tonitrua, & fulgura.

ALIIS *dicitur*, turbo accenſus erumpens è nubibus, longè, latèque cum vertigine diuagans; differt à fulmine, vt flamma ab igne.

Fvlmen, *eſt* exhalatio accenſa, cum impetu, & fragore è nubis viſceribus, quâ parte debilior eſt, erumpens.

Hæc, *vel* fit ex *halitu*

1. *Tenuiori* magis penetrante: at minùs adurente, & vocatur Arges.

2. *Craſſiori* minùs penetrante, ſed magis adurente, & nominatur psoloën. Non *tangit*, quos Deus *tegit*.

Ignis *Fatuus*, eſt exhalatio ex halitu craſſiori, & pinguiori ſubaccenſa. *Multa de hâc, & de ſupradictis* fabulantur. Multi decipiuntur ignem *Fatuum* exiſtimantes *ignem verum*, quo noctu piſces, aut aliæ beſtiæ capiuntur.

Ignis *Lambens*, eſt exhalatio tenuior non altè euecta, inſtar ſpiritûs vini accenſa, innoxiè tangens corpora. *Hinc* Poëtarum principi.

Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iüli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Castor, & pollvx, *ſunt* duplex exhalatio tenuiter accenſa è viſcoſo ſpiritu, ſupra mare apparens. Eſt nautis prænuntia ſerenitatis.

Helena, eſt vna ejuſmodi exhalationum; nautis, vt creditur, eſt infauſtæ nauigationis omen.

Avroræ purpureus, croceüſque color ad Solis ortum elucet; vt ad occaſum quandoque effulget nubis extremitas Topaſij, carbunculi, & ſmaragdi nitoris inſtar.

Halo, *eſt* circulus luminis in nube æquabiliter denſatâ circa Lunam, aliudue aſtrum, lucis reflexione apparens.

Iris, *eſt* arcus verſicolor, apparens ex oppoſiti Solis radiorum repercuſſione.

Digitized by Google

PARELIVS, quaſi παρὰ τὸν ἥλιον, *Sol adulterinus*, eſt ſimilitudo Solis in nube pellucidâ, & ei adjacente repræſentati.

PARASELENE, ἀπὸ παρὰ, καὶ σελήνη, *adulterina Luna. Eſt* apparentia Lunæ in pellucidâ, & huic adjacente nube, depictæ.

VIA LACTEA, *eſt* ſuddubius candor, nobis apparens ex minorum, & vix nobis conſpicuarum ſtellarum ſerie.

NVBES (à *nubendo*, ſeu *velando* dicta, quòd nobis ſolem abſcondat) *eſt* vapor in mediam aëris regionem euectus, qui pro variâ loci, temporiſque ratione, ventorum, aſtrorumque influxu, in niuem, grandinem, & vt plurimùm, in pluuiam reſolui poteſt.

PLVVIA, *eſt* vapor nubis in aquæ guttas concretus, & ſtillatim decidens.

NIX, *eſt* vapor nubis ſpirituoſæ congelatus antequam in guttas ſit concretus.

GRANDO, *eſt* pluuia decidens in mediâ aëris regione, frigore concreta. Ab agro Carnotenſi, ad Burgundiam, adeò ponderoſa, circiter menſe Iulio huiſce anni cecidit; vt domos tectis nudauerit, arboreſque ramis ſpoliauerit, & ſimilia damna in 150. pagis perpetrauerit.

NEBVLA, *ſeu* CALIGO, *eſt* vapor præ Solis imbecillitate in infimâ aëris regione nos tenebris offundens.

Differt à *nube*, loco ſolùm, & quandòque etiam craſſitie.

PRVINA, *eſt* vapor tenuior, in infimâ aëris regione reſidens.

ROS, *eſt* vapor in guttas, ſuper plantarum foliis

temperato aeris calore concretus, quo ab ardore Solis muniuntur. *Ros*, pluuiæ; *Pruina*, niui reſpondet.

Ros qui menſe maïo concreſcit, ſalubritatis à Medicis perlaudatur.

GELV, *eſt* ros vehementi frigore concretus.

GLACIES, eſt aqua concreta, & frigore indurata.

DE VENTIS.

DEVS, VENTOS de theſauris ſuis, *ſeu* de cauſis occultis producit. Vnde non minùs ignota eſt *venti* natura, quàm nobis cognita ſit illius exiſtentia. Quòd *ſit* NOTVS, Nautis, & Vulgo *notum* eſt; Quid verò *ſit*, ipſis etiam Philoſophis eſt *ignotum*. Quamobrem de *ventis* accuratè diſſerere, vt Medicinæ, Agriculturæ, Architecturæ, Nauticæ, alijſque variis artibus eſt vtiliſſimum, ſic eſt, & difficillimum.

VENTVS, à quibuſdam dicitur aer agitatus, qui prout, *eſt*

Suauis, *Aura*,
Concitatus, *flatus*, [vocatur
Subtilis, & quiduis permeans, *Spiritus*,

ITEM, à quibuſdam prout eſt in

Terris, *Aura*
Mari, *Altanus* [nuncupatur.

DESCRIBITVR, exhalatio craſſiuſcula lateraliter commota.

Exhalatio; *quia* eſt halitus calidus ſiccus.

Craſſiuſcula, non *ſubtiliſſima*; quia non ſubit ſupremam aeris regionem.

Lateraliter commota; quia frigore mediæ regionis aereæ deorſum detruſa, & terræ repercuſſa frigore, inter vtrumque comprimitur, & lateraliter excutitur.

DE

VENTORVM CAVSIS.

CAVSA FINALIS *ventorum*, eſt aeris, aquarumque temperiei, & puritatis conſeruatio; nubium, nauiumque vectio; etenim *Ventus* aërem, & aquas verrens, à putrefactione prohibet; nimbos, & imbres deferens, ſata, à nimiâ ſiccitate vindicat, & nauium opę, per varias regiones deuehens hominem ab *egeſtate*, & *ignorantiâ* liberat.

CAVSA EFFICIENS

1. PRINCEPS, *Intelligentia* quæ ventis præeſt.

2. INSTRVMENTARIA

a. *Proxima*, mediæ regionis aeris frigiditas; nam quemadmodum *hæc* condenſat *vaporem*, in Pluuias; ſic *exhalationem* cogit in Ventum.

b. *Remota*, ſunt aſtra calida, præſertim Sol, qui temperato calore *exhalationem* è ſubterraneis, ad mediam aeris regionem euectam, in *Ventum* conuertit.

HINC in infimâ aeris regione, *Ventus* primò flare incipit, aeris commoti, atque impulſi agitatione

corroboratur, & tandem aut diſſipatione defatiſcit, atque deficit; aut imbrium frigidâ humiditate compeſcitur; aut denique nimio Solis ardore abſumitur. Vnde æſtate (præſertim diu, ſub Zonâ torridâ *rariores*) alibi autem, præcipuè Verno, vel Autumnali tempore *frequentiores* ſuboriuntur.

CVM ventus ſecum aduehat aerem. Hinc dum flat à *Septentrione*, v. g. *Boreas*, frigefacit, præſertim hyeme, frigidiſque adjutus ſyderum quorundam influxibus, omnia *gelu* conſtringit; licet de ſe ſit calidus; ſicut aër, licet naturâ ſuâ calidus extraneo tamen frigore admixtus, ardorem cordis refrigerat.

QVAMOBREM *Raptus* primi Mobilis ab oriente, ad occaſum, & contrarius ei Planetarum niſus ab occidente in ortum, non eſt cauſa effectrix Ventorum; foret enim continuus *venti* flatus: vel hic foret ſemper ab oriente, aut occidente, nulluſque eſſet Ventus, niſi *Solanus*, vel *fauonius*; quòd experientiæ repugnat; cum multò frequentiores *Venti* prodeant ab Auſtro, & Aquilone, quàm ab Ortu, vel Occaſu.

CALOR ſubterraneus, ſiue ab authore naturæ, ſiue per *Antiperiſtaſim* in viſceribus terræ incluſus multùm confert ad venti generationem, maximè ſi ad id conferat etiam Soli diſpoſitio. Hinc brumali tempeſtate crebri, & contumaces in Borealibus partibus *Venti* generantur.

CAVSA MATERIALIS, eſt exhalatio craſſiuſcula, præſertim è ſubterraneis orta. Hinc Æolus à Poëtis fingitur ventos incluſos cohibere, & eos ad libitum laxare.

FORMALIS, eſt aptitudo ipſius venti vt lateraliter

liter moueatur. Hæcque non eſt ab elementorum formâ diuerſa; ſed qualitatum admixtione alterata.

DE
VENTORVM DIVISIONE.

VENTVS eſt, *vel*

1. COMMVNIS, qui videlicet è determinatâ mundi plagâ, vel certâ anni tempeſtate ſpirat.

2. REPENTINVS, qui nimirùm, tumultuario, & repentino excitatur impetu; Eſtque præſertim.

a. *PROCELLA*, Gallicè *tempeſte, tourmente*, θύελλα, eſt ventus vehemens longè, latèque ſæuiendo præcipiti pondere decidens.

b. VORTEX, *Tourbilion de vent*, τυφων, eſt ventus vehemens impetu circulari contortus ex arctiori ſpatio, cum ſtridore furens.

c. *TVRBO*, *bourasque de vents*, à *turbando* dictus, στρόβιλος; eſt ventus vehemens latè ſatìs, & altè cum fragore debaccans, & ,vt plurimùm, vi contationis, extracta corpora longè protrudens.

Cum nullum violentum ſit durabile, quò vehementior eſt ſpiritus procellarum, eò minùs perſeuerat. Hic in mari naues aſportat, disjicit, diſrumpit, ſubmergit. In terrâ domos, & turres euertit, arbores eradicat, exeſa montium cacumina deorsùm præcipitat, obuia quæque diſpellit, diſturbat, confringit. Excitatur ſæpiſſimè è ventorum inter ſe colluctantium conflictu. Vnde Naſoni.

Nam modò purpureo vires capit EVRVS *ab* Ortu:
Nunc ZEPHYRVS, *ſero veſpere miſſus adeſt*:
Nunc gelidus ſiccâ BOREAS *baccatur ab* Arcto,
Nunc NOTVS *aduersâ, prælia fronte gerit.*

d. LELAPS, eſt ventus vehemens è loco depreſſo ſursùm reuolutus.

e. *CATHEGIS*, eſt ventus vehemens ſursùm, cum fragore pulſans.

f. *PHIELLA*, eſt ventus vehementi tumultu perflans, atque ſubſultans.

VENTVS *Communis*, eſt princeps, *vel* collateralis. De *huius* numero, non omnes conſentiunt; *ille* omnium ferè calculo juxta *Cardinalia* mundi *puncta*, eſt *Quatruplex*, nempe BOREAS, à *Septentrione*; EVRVS, ab *Aurorâ*; AVSTER, à *Meridie*; ZEPHYRVS autem flans ab *Occidente*. Hinc Poëtæ.

A ſummo BOREAS; NOTVS imo *ſpirat Olympo*;
Occaſum *intendit* ZEPHYRVS; *venit* EVRVS *ab* Ortu.

Nobis quibus *Sphæra* eſt obliqua, *Olympus* hîc, ſeu *Polus* (*Arcticus*) eſt ſummus, ſiue elatus; *Antarcticus* verò imus, ſeu depreſſus.

HIS, & *quatuor* collaterales additi fuere. Hinc *octo* numerantur, ſubiectis hiſce ſignis, & literis in *Pixide Nauticâ* deſignatis, *putà*

 G. 

SEPTENTRIO. *AQVILO.* EVRVS.


S. O. A.

EVRONOTVS. NOTVS. *APHRICVS.*

P. M.

FAVONIVS. *CORVS.*

Digitized by Google



Digitized by Google

HIS, & *quatuor* rurſùs adiuncti fuêre. Quapropter *duodecim* fuerunt enumerati, quos quidam æqualiter inter ſe diſtare conſtituunt. Hos etiam, & nonnulli juxta duodecim *Zodiaci Signa* ordinant. Vnde Poëtæ.


Aſper ab Axe *furit* BOREAS, *ruit* EVRVS *ab* Ortu;
AVSTER *amat*, mediū Solem, ZEPHYRVSQVE Cadentē.
Hos inter, binæ *mediis è partibus* auræ
Expirant, ſimiles *mutato nomine* Flatus.

ALIIS tres ſeptentrionales, nempe CIRCIVS, SEPTENTRIO, AQVILO æqualiter ab inuicem diſtant; hos verò inter, & Orientales, *putà* CÆCIAM, qui ab *Æſtiuo*; SVBSOLANVM, qui ab *Æquinoctiali*, & VVLTVRNVM, qui ab *Hyemali* Solis ortu ſpirat, longa eſt cœli plaga, è quâ nullus flat *ventus*, & ſic deinceps. *Hinc* Poëtæ.


Sunt SVBSOLANVS, VVLTVRNVS, *&* EVRVS Eoi.
Occidui ZEPHYRVS, LIBS, *&* *violentus* IAPIX.
Auſtrini, NOTVS, EVRONOTVS, Auſtroaphricus *atque*,
Arctoi, SEPTENTRIO, CIRCIVS, *&* BOREAS *ſunt*.

Ventorum prædictorum ordo patet è ſubſequenti tabellâ.

2kk



Digitized by Google



Septentrio
Boreas
Cœcias
Subsolanus
Eurus
Euronotus
Notus
Libonotus
Aphricus
Fauonius
Argestes
Trascias
Tramontana
Septentrio
Aquilo
Grecus
Vulturnus
Subsolan.
Eurus
Zephyrus
Iapix
Nort
Nortest
Est
Sudest
Sud
Sudwest
West
Nortwest

Quibuſdam ſunt 24. venti, *putà* SEPTENTRIO, *Gallicus*, *Supernas*, *Aquilo*, *Boreas*, *Garbas*, SUBSOLANUS, *Ornithia*, *Cacias*, *Eurus*, *Vulturnus*; *Euronotus*, AUSTER, *Altanus*, *Libonotus*, *Aphricus*, *Subueſperus*, *Argeſtes*, FAVONIUS, *Etheſia*, *Circius*, *Caurus*, *Corus*, *Traſcias*.

ALII *demum* neceſſitate compulſi, ne ſcilicet in Syrtes, & ſcopulos præſertim in mari Septentrionali identidem inciderent 32. duos admiſêre. Quorum *hæc* ſunt nomina.

Septentrio, Vraquilo, Meſaquilo, Aquilo, Borapeliotes, Vpocæcias, Cæcias, Meſocæcias, Subſolanus, Vpeurus, Eurus, Meſeurus, Notapeliotes, Vpophœnix, Phœnix, Meſophœnix, Notus, Meſolibonotus, Libonotus, Vpolibonotus, Notolibicus, Meſaphricus, Aphricus, Vpaphricus, Zephyrus, Meſocorus, Corus, Vpocorus, Borolibicus, Vpocircius, Circius, Meſocircius.

Id patet è ſubſequenti tabellâ.



Digitized by Google

Itali ſic eos vocant, 1. *Leuante* ; 2. *quarta leuante Verſo leuante* , 3. *Greco-leuante* ; 4. *quarta greco verſo leuante*, &c.

Omnes ferè de loco vnde venti oriantur; non item de eorum nominibus, inter ſe conſentiunt, *vt ex dictis liquet*. Majoris euidentiæ causâ ad duodecim claſſes eos reuocaui, in quibus varia ejuſdem venti nomina, vel ij qui haberent vim aliquatenùs parem reponuntur.

1. Septentrio, ſeptentrionarius, qui, & dicitur ſcopiarium, quòd ſit veluti viarum ſcopæ. Item vocatur, ἀπάρξιας.

2. Gallicus, meſſe, Græcus, ſtrimonides, ſupernas, pares, vtcumque habent vires, item & aquilo; ſic dictus ab aquilæ volatu; aquas ſtringit, & nubes diſſipat, ſubtilis eſt, ſerenus, & clarus. Hinc Virgil.

— *Claro, ſyluas cernis Aquilone moueri.*

3. Boreas, à boatu, & à montibus Iperboreis, item eſt Palimboreas, ſeu boreas boreæ contrarius, cum ſcilicet è montium altitudine tanquam obice ad ſe repercutitur. Item Græcus, helleſpontus, cæcias, garbas, inter ſe aliquatenus conueniunt.

DE BOREA, *Nazo* ſic habet.

Apta mihi vis eſt quâ triſtia nubila pello,
Et freta concutio, nodoſaque robora verto,
Induro nubes, & terras grandine pulſo;
Ideo ego, cum fratres cœlo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor:
Vt medius noſtris concuſſibus intonet æther,
Exiliantque cauis eleſi nubibus ignes.
Idem ego cum ſubii conuexa foramina terræ,
Suppoſuique ferox, imis mea terga cauernis,
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem
Concutio.

4. Apeliotes, Berecinthias (Eurus, Poëtis) qui Subſolanus dicitur, quòd naſcatur è partibus Solis ortui ſubiacentibus. Non multùm virtute à ſe inuicem diſcrepant.

5. Eurus, ab Eoo dictus, item Vulturnus, à vulturis volatu, quòd altè reſonet. Garbas, & Siculus æquali fermè poteſtate pollent.

6. Euro-auſter, ſeu Euronotus, quòd ſcilicet medius ſit Eurum inter, & auſtrum. Sirocus, Leuconotus, & Phœnicias, à Phœniciâ dictus, non omnimodâ facultate inter ſe diſcrepant.

7. Cencrona, notus, Auſter dictus, ab hauriendis nimirùm, & augendis aquis, eſt enim velut aquarum pincerna; vt ab alto flat mari, Altanus appellatur.

8. Libonotus, Garbinus, Auſteraphricus, à quibuſdam Libechius; Item Libecias, non vis omninò imparis ſunt participes.

9. Libs, item Lips, Aphricus, Subueſperus; primus à Libiâ, alter ab Africâ denominatur. Circa Solſtitium Autumnale viget; tonitrua, fulgura, excitat, & pluuias.

10. Zephyrus *ζέφυρος*. dicitur quaſi *ζωὴν φέρων*, vitam ferens. Vnde fauonius appellatur, quod conceptioni foueat, floreſque viuificet, atque foueat; Quemadmodum enim hi Auſtro ſoluuntur, ſic naſcuntur Zephyro. Vnde illud.

Aura parit flores tepidi fœcunda fauonij

Suaui auræ afflatu ſuæ mentem, & animum ſerenat, annumque gratè aperit. Hinc maroni.

Vere *nouo, gelidus canis cum montibus humor*
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit.

11. Corus, Caurus, Iapix, Scyona, Argeſtes, Stirene, Olympias; quibus addi poteſt Attabulus è

montibus Apulliæ ortus, non longè diſcrepantis ſunt roboris.

12. Traſcias, magiſtralis, ſeu circius, eſt Soli, ſali, cœlique conturbator, præcipuè versùs Septentrionales plagas. Vnde per excellentiam dicitur

— *Solus ſua littora turbat.*

Circius.

Etheſiæ, quibuſdam ſunt venti moleſti præfocantes, è deſertis, calidiſque locis ſpirantes. Propriè verò ſunt venti, 40. diebus flantes ab aquilone circa caniculæ ortum. Apud Græcos, nubes non ferunt; non item apud Indos, aut Æthiopas.

VENTORVM AFFECTIONES.

VENTI proficui ſunt, vel nociui hominum ſanitati. Hinc

Quatuor è vento veniunt in ventre retento,
Spaſmos, hydrops, colica, vertigo

AVSTER pluuioſus eſt; AQVILO, ſiccus; EVRVS Saluberrimus, FAVONIVS, non nociuus.

VENTVS SEPTENTRIONALIS, frigidus eſt, & ſiccus; corpora corroborat, ſpiritus, & humores noxios purgat, & prohibet nè diſcurrant, Hippocrati, refrigerat, & humectat. Quandoque tuſſes excitat, & pectoris dolores, & inſtrumentorum reſpirationis exſiccationem procurat; Hinc phthiſicis nocet. Item procelloſus eſt, grandinis, niuis, glacieique parens.

ORIENTALIS, eſt temperatus, *Occidentali* longè ſalubrior eſt, atque benignior. Vnde prudens eſt conſilij procurare vt feneſtræ domorum versus orientem conſtruantur.

Avstralis, calidus eſt humidus, *Hyemali tempeſtate*, à Septentrionalibus plagis, præ frigoris aſperitate arcetur; Sole verò ad has plagas reuertente, glacies Æſtate liquat. Notus, è tranſitu maris vapores ſecum deuehendo, pluuias generat potiſſimùm hyeme. Hinc Poëtæ

— nigerrimus Auſter
Naſcitur, & pluuio contriſtat frigore cœlum.

Auſter neruos emollit, podagram commouet, humores, ſpiritus, & ſenſus turbat. Hinc pigritia, & inſcitia; quia eſt humidus, & calidus, manè eſt craſſior, veſpere verò (Solis *ſcilicet* virtute) ſiccior eſt, & ſubtilior.

Occidentalis eſt temperatus; *eſt* enim frigidus humidus; Hinc non eſt inſalubris.

Vehementiores ab aquilone, quàm ab *Auſtro* venti excitantur; quia ſeptentrionalis plaga, nobis eſt altior, auſtralis verò demiſſior.

Auſter eſt acrior noctu, *Aquilo* verò diu; Orientales, Occidentalibus ſunt diuturniores.

Sol æſtiuus oriens, vt & occidens, flatus excitat, quos meridianis horis comprimit; nam nimio æſtu, vt & nimio frigore, tum imbribus ventus compeſcitur. Eſt enim halitus calidus ſiccus.

Ventorum notitia, in mari ſalus, eorum ignorantia mors; in terris, & ad ſanitatem prodeſt.

Venti in mari quandoque ob aquarum agitationem; in terrâ verò eò quòd é ſubterraneis ſcrobibus, charoniis, & ſpiraculis flet, peſtiferum halitum efflat.

Ventorum vim in mari graphicè *his verſibus* deſcripſit tragædorum princeps, in *Agam.*

— Vndique incumbunt ſimul,
Rapiuntque pelagus infimo euerſum Solo,

Auerſus EVRO, ZEPHYRVS, *&* BOREÆ, NOTVS:
ſua quiſque mittunt tela, & infeſti fretum
emoliuntur. TVRBO *conuoluit mare*:
Strimonius *altas* AQVILO *contorquet niues*,
Libiuſque *arenas* AVSTER, *ac ſyrtes agit*;
nec manet in AVSTRO, *fit grauis nimbis* NOTVS,
imber auget vndas; EVRVS *Orientem mouet*,
Nabathaaque quatiens regna, *&* *Eoos ſinus.*
quid rapidus ora CORVS *Oceano exerens?*
mundum reuelli ſedibus totum ſuis,
ipſoſque rupto crederes cœlo Deos
decidere, *&* *atrum rebus induci chaos.*
Vento reſiſtit Æſtus, *&* *Ventus retrò*
Æſtum reuoluit, *non capit ſeſe* Mare,
vndaſque miſcent imber, *&* fluctus *ſuas.*

DE
MOTV TERRÆ.

MOTVS Terra, eſt exhalatio quæ in viſceribus terræ genita contendens ſurſum erumpere, intercluſoque exitu ob nimiam Terræ compactionem, illam violento impetu acriter concutit.

TERRÆ *Motus* eſt, *vel*

agitatio.	perforatio.	repulſio.	
ſubuerſio.	titubatio.	euectio.	vectio.
diuiſio.	ruina.	depreſſio.	

AGITATIO hìc *Tremor*, *Pulſatio*, ſeu *Arietatio*, eſt ſubuiolenta viſcerum terræ repercuſſio modò de latere in latus, quâ veluti terra ſecum vadit.

Svbversio, *eſt* viſcerum terræ concuſſio, quâ hujus pars ſuperior deorsùm decidit, pars verò inferior ſursùm emergit.

Divisio, *eſt* exhalatio agitata viam ſibi terræ ſciſſurâ aperiens. Ad Caietam videtur mons ſciſſus, cujus ſciſſio (vt hujuſce incolæ ferunt) contigit motu terræ qui excitatus fuit in morte Chriſti Saluatoris.

Perforatio, *eſt* hiatus, vel hiatuum excauatio in Solo inæqualiter compacto, vi exhalationis diſcretæ.

Titvbatio, *eſt* exitus terræ è ſuo naturali ſitu, vrgente exhalatione, & ſubitus ad eundem reditus.

Rvina, *eſt* terræ caſus in profundum, vi exhalationis, aquâ etiam vel igne terræ viſcera erodente, ex quo ignis vomitus; vel aquæ affluxus contingit; vt olim euênit in agro Lucenſi in Italiâ (ſi quibuſdam fides ſit adhibenda)

Repvlsio, *eſt* diſtractio terræ è ſuo loco naturali vehementiſſimo impetu validiſſimæ exhalationis. Vt quidam narrant de *Siciliâ*, quam ferunt Calabriæ olim fuiſſe continuam.

Evectio, & Depressio, *eſt* motus quo terra identidem attollitur, & demittitur. Hinc quandòque collis de nouo aſſurgit.

Vectio, *eſt* deportatio corporis eminentis, impetu exhalationis, in locum à ſuo diſſitum; v. g. tranſportatio ciuitatis in locum diuerſum, ab eo quem priûs occupabat.

Noſtris temporibus *Raguſa* magnum, motu terræ perpeſſa eſt detrimentum.

Digitized by Google

DE
MIXTO PERFECTO.

MIXTVM *perfectum*, eſt corpus quod habet formam ſubſtantialem ab elementorum formâ diuerſam

MIXTIO, *eſt* miſcibilium alteratorum vnio.

DEFINITVR, conjunctio multorum corporum, mutuâ actione alteratorum, in vnum per ſe, ab iis diſtinctum.

MISCIBILIA, ſunt ea quæ *mixtione*, in vnam ſubſtantiam coaleſcere poſſunt.

MIXTVM Perfectum eſt, *vel*

1. ANIMATVM, *ſeu* quod animam habet. *De quo infra.*

2. INANIMATVM, quod animâ caret. Hocque *vel*

a. *Oritur* à viuentibus, v. g. lac, oleum, cannabis.

b. Non oritur à viuentibus; *eſtque* præſertim

FOSSILE, hocque eſt terra, ſuccus, lapis, metallum.

DE
TERRA FOSSILI.

TERRA FOSSILIS, *eſt* mixtum perfectum molle, aut facilè friabile, in terræ viſceribus naſcens. *Multiplex* eſt, at *præſertim*

MARGA,

Marga, *eſt* terra foſſilis facilè friabilis, agris fœcundandis Ideonea; eius virtus 16. circiter annis in agris conſeruatur.

Terra *figulorum*, ſeu argilla, eſt terra foſſilis viſcoſa, configurabilis, & coctilis. Ex hâc fiunt fictilia vaſa, flammis reſiſtentia. Idem dicas de terris Coâ, & Samiâ.

Terra Lemnia, ſeu *Sigillata*, eſt terra quæ è fodinâ ſuauiter olente extrahitur, & per annum recondita, tum elota, & in globulos glomerata, imperatoris ſigillo obſignatur. Aduerſus venena prodeſſe dicitur.

Bolvs Armena, *eſt* terra foſſilis ex Armeniæ regione confini Cappadociæ. Diſpnœam ſubleuat, ſanguinis fluxum ſiſtit

Ocra, *eſt* terra foſſilis, friabilis, flaua, vel rubra, vi adſtrictiuâ pollens. Idem dicas de *vi* ſupradictorum.

Terra Foſſilis, eſt *vel*
Glutinoſa, v. g. argilla.
Pinguis, & *calida*, v. g. marga.
Acris, } [& deterſiua, v. g. { terra fullonum.
Sicca } { creta.

DE SVCCIS.

Svccvs *hic*, eſt humor incraſſatus, & obdureſcens, aquis liquabile.

Svccvs, *eſt* multiplex, v. g.

· Sal, *eſt* ſuccus cibis condiendis, & à corruptione præſeruandis idoneus. Fit *vel*

R

Naturâ, aut in montibus è quibus exſcinditur, vt in Calabriâ iuxta Coſentiam. In viſceribus terræ, vt in Poloniâ. In fluminibus apud caſpias portas; è lacubus, v. g. in Bactris, item in deſertis Podoliæ; è mari, v. g. apud Rupellam; vbi optimum concreſcit, & in varios cumulos coaceruatur.

Arte, qui ex aquis fontium excoquitur, *putà* apud Salinas in comitatu Burgundiæ. Vel aquis tranſcolatis per arenam maris; vt in neuſtriâ, iuxta caſtellum S. Michaëlis; hic duarum horarum ſpatio in alueolis plumbeis igne ſuperpoſitis coctione perficitur; apud Salinas autem viginti quatuor horis in ingentibus lebetibus excoquitur, & perficitur.

ALVMEN, eſt ſuccus adſtringens, & deterſiuus, ſapore amarus. Siccum è Rupibus eruïtur; videtur inſtar *Salis*, vltimâ coctione nondum elaborati. *Idem dicas* de NITRO.

Aqua Nili, ſi in conualle remanſerit, in ſalſuginoſam, nitroſamque ſubſtantiam conuertitur.

HALINITRVM, *eſt* ſuccus medius Salem inter, & Nitrum è vetuſtis cementis eductum; inſeruit pulueri pyrio conficiendo.

CALCHANTVM, ſeu *Vitriolum*, eſt ſuccus cauſticus, ſanguinis fluxum ſiſtens. Romanum eſt Optimum, & Vngaricum. Quod probatur cultri affrixione, ſi nimirùm culter affrictus cupri colorem referat, Romanum, aut Vngaricum eſſe indicat.

BITVMEN, eſt ſuccus flammæ, etiam mediis in aquis ſuſceptiuus. Copioſus eſt in lacu Aſphaltite

NAPHTHA, eſt bituminis ſubtiliſſimi ſpecies flammam, etiam eminùs concipiens. Copioſa eſt circã Babylonem.

PISSASPHALTVM, eſt bitumen cum pice coctum.

Ægypti; cadauera, extractis viſceribus, vino Phœniceo lauta, & ſale condita, odoribus è cedro, myrrhâ, aloë, aliiſque pretioſis aromatibus vngebant, *Piſſaſphalto* liniebant, faſciiſque mirâ induſtriâ ea ſtringebant: Tum additis varijs inſcriptionibus, ipſa in ſepulchro ligneo, ſtatuam ligneam ruditer referente, condebant. Carne, & Piſſaſphalto in vnam ſubſtantiam coaleſcente, à corruptione ſua cadauera præſeruabant.

SVCCINVM, ſeu *electrum*, eſt ſuccus obduratus citrini coloris in mari genitus, acri, & glutinoſo ſpiritu paleas attrahens.

AMBARVM, ſeu ambra, eſt ſuccus ſpongioſus marinus gratiſſimo odore, & amicus cerebro.

SVLPHVR, eſt ſuccus ſubtilis, ſiccus, & pinguis flammam facilè concipiens. Quandiu foſſile, eſt in montibus, flammam (vt ferunt) non concipit. Alterum è rimis eraditur.

CARBO *Foſſilis* eſt ſuccus *terreſtris* bituminoſus, & ſulphureus, aduſtus, tetrique odoris dum crematur. In agro Leodienſi eſt maxima huius copia. Hoc regionis incolæ uice ligni utuntur, quemadmodum Belgæ ceſpitibus bituminoſis exſiccatis.

DE LAPIDIBVS.

LAPIS eſt, *vel*

1. *COMMVNIS*, *putà* Saxum, Tophus, Gypſum, Silex, cos.

2. *MINVS* COMMVNIS, Marmor, Iaſpis, Porphyrius, Alabaſtrites, &c.

IASPIS, eſt rubeus, & ſanguineis aſperſus gut-

tis. *Alius*, non item; læuigatus nitet.

PORPHYRIVS, eſt ſplendidè viridis. Inſigniter ſanguinem ſiſtit,

ALABASTRITES, eſt lapis elegans niueo colore.

3. *RARVS*, ſeu *Pretioſus*, hicque eſt *vel*

a. *Non tranſparens*; hocque *vel* in conchis naſcitur, eſtque MARGARITA. Aut in ijs non naſcitur, eſtque LAPILLVS.

b. *Tranſparens* (ſi tamen ſit inſigni colore nitens) eſtque GEMMA. *De quibus hic agimus ſigillatim.*

CORALLVS, eſt lapillus in varios ramulos diuaricatus miniato colore inſignis. Eſt & alter albus. Vterque in mari è ſaxis creſcit.

MAGNES, eſt lapis ferruginei coloris, magnetis alterius, ferrique attractiuus, huiuſque ad Polum conuerſiuus.

GAGATES, eſt lapillus dilucidè niger, qui attritus trahit paleas. Quibuſdam eſt ſuccus, lapidis duritiem referens è mari proueniens.

ÆMATHITES, eſt lapillus ferruginei coloris, venis ſanguineis aſperſus.

ÆTHITES, eſt lapillus punicei coloris, ſuâ cauitate alium continens ſonum edentem.

ACHATES (ab *Achate* fluuio ſic dictus) eſt lapillus phœniceo, vt plurimùm, colore. Quoſdam reperire eſt, qui varias rerum ſpecies exprimunt. Sandionyſiaci eſt vnus qui mediam corporis humani refert effigiem, carnem candido, veſtes verò ipſius, alio colore repreſentando. Item eſt quidam inſignis in Fano ſancti Nicolai, duabus leucis diſtante ab vrbe *Nanceio*. In *Achate* Pyrrhi regis, depictus erat à naturâ *Apollo*, cum nouem *Muſis*.

CHRYSTALLVS, eſt lapis diaphanus colore dilucidè vitreo præſtans.

Iuxta *Venetias*, præſtantiſſima *Chryſtalli* ſpecies arte elaboratur. *Chryſtallus naturalis*, non eſt aqua gelu concreta; nam illa igni impoſita, non reſoluitur in aquam: at quæuis aqua, aut nix etiam à tempore diluuii congelata (qualem fortè in Alpibus reperire licet) in aquam conuerteretur.

ELYDROS, vel *Enydros*, eſt lapillus *Chryſtallo* ſimilis, venis conſperſus ſanguineis.

GALACTITES, eſt lapillus cinereo colore, qui cum vino dulci, aut aquâ potus, confert ad lactis vbertatem.

SELENITES, eſt lapillus colore gratè rubeo-albicante præditus, noctu, ſibi oppoſitæ lunæ, imaginem concipiens.

LAPILLVS *Stellaris*, varias in ſe ſtellarum figuras refert, acetoque impoſitus, veluti incedere videtur.

LAPILLVS *Cruciatus*, eſt is qui, quâcunque ratione ſecetur, crucis ſimilitudinem exhibet. Inſeruit ad fluxum ſanguinis cohibendum.

CRAPVNDIA, eſt lapillus Bufonius dictus, quòd in capite Bufonis naſcatur; à quibuſdam *Borax* appellatur.

ALECTORIA, eſt lapillus naſcens in galli caſtrati ventriculo.

CORNEOLVS, eſt lapillus elegans obſcurioris coloris, ſanguinem ſiſtens.

GEMMA, inſigni colorum varietate, vt & MARGARITA ſplendenti ſuo candore, viſui gratè allubeſcit, videntemque detinet, & mirum in modum oblectat.

MARGARITA Indica, argenteâ claritate, leuiterque ſubrubrouiride ſplendore micat, dilutoque venuſtatis nitore candet.

Adamas, eſt gemma perlucidâ, & rutulanti criſpatione candens, & viuidâ coruſcatione verſicolores radios eiaculans. Mittitur ex *Indiâ*, & *Perſide*, in quarum rupibus gignitur.

Carbunculus, ſeu *Pyropus*, eſt gemma igniti ruboris, fulgore noctu magìs, quàm diu rutilans.

Lingurius, eſt gemma carbunculi inſtar igneo emicans colore.

Topasius, eſt gemma, auri ſplendorem, & colorem inſigniter exuperans.

Smaragdus, eſt gemma colore viuido referens virens mare.

Chrysolitus, eſt gemma Æthiopica, ſtellata, virore maris, aurique ſplendore micans.

Saphyrus, eſt gemma, cyaneï nitoris venuſtate, cœli ſereni limpiditatem exuperans. Illius ſerenitas ſudo cœlo magìs, quàm nubilo, elucet.

Opalus, eſt gemma nitentem colorum varietatem gratè in ſe continens.

Panthera, eſt gemma omnium ferè colorum varietate lucens.

Amethistus, eſt gemma violaceæ purpuræ inſigni nitore conſpicua.

Beryllus, eſt gemma Indica pallente viriditate nitens, quæ ad Solis radios, Iridis colores æmulatur.

Dyadocos, eſt gemma *Beryllo* ſimilis.

Hyacinthus, eſt gemma ſtibaceo colore inſignis; in obſcuro nubiloſa, in ſereno autem aëre clara.

Calcedonius, eſt gemma colore pallida, media Beryllum inter, & hyacinthum.

Onix, eſt gemma albicante partim, & nigricante colore præſtans. Sic dictus quod vnguis humani

ſpeciem referat. Non ſemel vidi annulum, cuius palæ *Onix* inditus erat (in medio ſcyphi aliquid aquæ continentis) à manu, crine ſuſpenſum, ſeſe mouere, & horam ſonando indicare, deinde ſeſe ad quietem recipere.

Onix Indicus, igniculos habet, Zonis albis cingentibus. *Arabicus*, eſt niger cum candidis Zonis.

SARDIVS, eſt gemma colore atro-rubeſcente micans.

SARDONIX, eſt gemma *Sardij*, & *Onicis*, colorem mentiens.

DIONYSIA, eſt gemma Orientalis, fuſci coloris, niueis guttis diſtincta.

DE METALLIS.

METALLVM dicitur ἀπὸ τοῦ μεταλλᾶν, id eſt ſcrutari. Quòd è terræ viſceribus effodiatur.

METALLVM, eſt mixtum foſſile, malleo ductile, igne liquabile, fuſile.

Eſtque *aurum*, *argentum*, *æs*, *ferrum*, *ſtannum*, *plumbum*.

AVRVM, eſt Rex metallorum grauitate præ cæteris excellens, puritate præſtans, compactione robuſtum, ſplendore fulgidum, aduerſis clarius emicans, de ſe *omnibus* beneficum.

Igne probatur, defæcatur, expurgatur, fitque obrizum in capedunculâ, *ſeu* oſſario catino, beneficio plumbi, cuius ope aurum facilè liquatur, ſine quo vix liqueſit.

2. *Par l'Inquart*, ſeu aquâ forti. 3. *Stibio*, iſte-

que modus omnium eſt ſecuriſſimus.

Aurum, dicitur Sol terræ; vt Sol, aurum cœli, quòd ſit ferè incorruptibile, fulgidum, proficuum, & quòd egeat ſpecialibus Solis influentiis vt elaboretur; eſt etiam ſalubre ſi benè præparetur.

Argentum dicitur *Luna* terræ, vt *Luna*, argentum cœli, propter ſimilem nitorem. Tum, quia videtur frigidius, & humidius auro, vt ferè Luna, Sole.

Dignitate immediatè ſequitur aurum propter eius puritatem, grauitatem, pretium, pondus, ſplendorem, ductilitatem in laminas, bracteas; & fila.

Argenti ſuperficies, aquæ, & ſalis communis, necnon trygini ebullitione expurgatur.

Argentum impurum, aliiſque metallis immixtum capedunculâ, ſicut aurum expurgatur; hæc quippe nulli metallorum, exceptis auro, & argento, parcit. Quodlibet aliud deuorat, & abſumit.

Ex argento ſit lapis cauſticus, *ſeu* infernalis; vt vocant, vlceribus detergendis idoneus.

In auro ſal, ſulphur, & Mercurius mirabili temperie attemperantur; vt volunt Chymici, non item in aliis; hinc metallorum facilè eſt primum.

Æs, dicitur *Venus* metallorum, quòd facilè poſſit cum auro, & argento permiſceri, eorumque ductilitatem non impediat, vt alia metallorum genera. *Cuprum* ferè ſolo colore ab ære videtur diſcrepare.

FERRVM, à ferendo, *vel* à feriendo dictum eſt, vnde vocatur *Mars*, tum propter affinitatem quam habet cum Marte Planetâ.

Eſt metallum imperfectum, Quod ſicut Æs æru-

rigini, ita ferrugini, propter partes eius terreſtres, eſt obnoxium; vnde faciliùs in terram, quàm alia metalla conuertitur.

Plvmbvm, quod & *Saturnus* appellatur, eſt metallum imperfectum igne facilè liquabile, è ſulphure terreſtri, & non laudabili Mercurio coaleſcens, &c.

1. Stannvm, ſeu *Iupiter*, eſt metallum ex aliquo puriori mercurio, & pauco ſale, ſed è ſulphure, & terrâ magis conſtans.

IN *Metallis*, eſt

puritas metalli.		veluti enatat	
ſcoria,	[ſeu *excrementũ* quod		[*dum liquãtur*
fax,		ſubſidit	

In ijs etiam ſecundùm ſe, eſt quoddam velut excrementum; *putà* in Ferro, *Ferrugo*; in Ære, *Ærugo*; in Argento, quædam *Rubigo*; Aurum nihil ferè eiuſmodi ſui corruptiuum patitur; cum ſit ſubſtantiæ puriſſimæ, & maximè compactæ; ita vt cum cætera *Hydrargyro* ſupernatent; aurum ei immergitur.

Ad metalli naturam accedere videntur

1. Stibium, quod eſt velut terra metallica, vomitûs maximè concitatiua,

2. Hydrargyrum, quod eſt velut aqua metallica, aëreos ſpiritus in ſe concludens.

Digitized by Google

DE VIVENTE.

VIVENS *hìc*, eſt corpus animatum. *Item* mixtum perfectum animatum. *Siuè* compoſitum è corpore, & animâ. *Vid.* pag. 149. Eſtque *Vegetatiuum*, putà PLANTA, vel *Senſitiuum*, nempe, ANIMAL.

DE PLANTA.

PLANTA, *eſt* viuens vegetatiuum. *Seu* compoſitum è corpore, & animâ vegetatiuâ. Huius præſertim quatuor ſunt ſpecies *putà*

1. Δένδρον, ARBOR, *ſeu* planta lignoſo caudice aſſurgente, varios hinc inde ramos diducens, v. g. Cedrus, Palma, Laurus.

2. Θαμνὸς, FRVTEX, *ſeu* planta multiplici, aut ſimplici lignoſo, & gracili emergens caudice, in ramos diuiſa; v. g. Corylus, Oxyacantha, Agnuscaſtus.

Φρύγανον, SVFFRVTEX, eſt planta multis, vt plurimùm lignoſis, humilibuſque cauliculis erecta, *vel* repens, v. g. Stœchas citrina, Roſmarinus, Lauandula, Hædera, Rubus.

πόα, HERBA, eſt planta molli culmo pediculos promens, quibus flores, & ſemen geſtat. Qualia ſunt Olera, Frumenta, Legumina.

IN Sicilia *Ricinus* fit alta *frutex*; hìc ſolùm euadit *herba*: Chamærrhiphes, autem in Siciliâ: quòd

ſponte in agris naſcatur, eſt *pumila frutex*: Pariſijs verò, propter eius culturam, creſcit in arborem.

Arborum quædam perpetuò virent, & frondent, v. g. omnes *Coniferæ* (exceptâ *Larice.*) Item omnia Myrtorum genera; *Taxus*, &c. Quædam folijs ſpoliantur, v. g. Platanus, Acer, Morus, &c.

Stolones, ſunt fruticationes, à radicibus luxuriantes, ſteriles niſi tranſplantentur.

PARTES INTEGRANTES *Stirpium*, ſunt

1. Ῥίζα, RADIX, *ſeu* pars plantæ, terræ condita, quâ ipſi adhæret, & alimentum trahit.

Quædam *plantæ* viuunt ſine radice, ſaltem apparenti, *putà* Caſſytha, Cuſcuta, *ſeu* Epithymum. Item Fungus, Viſcus (hic videtur appendix arboris) item Muſcus.

2. CAVDEX, eſt pars plantæ aſſurgens,per quam alimentum ſurſum ad verticem arboris attrahitur.

3. TRVNCVS, eſt pars arboris, à radicibus ad ramos vſque.

4. RAMI, ſunt partes arboris, à trunco pullulantes, & ſparſim extenſæ, *de quibus ſic Poëta*

— tum fortes ramos, & brachia tendens.

AD *quatuor* prædicta, ſpectant

CORTEX, *ſeu* Extima ſuperficies ſeparabilis à plantâ, quâ, nè eius ſuccus alimentitius diffluat, continetur, quâque aduersùs externas temporis injurias tegitur, & fouetur. Dempto Subere, à quo ademptus cortex repullulat.

Cortex, eſt craſſus, aſper, & rimoſus; vel læuis, & politus, qui *Tunica*, à *tuendo* appellatur. Hoc duplici cortice Sambucus veſtitur.

Arboris cortex è parte, quà vergit ad aquilorem, durior eſt, quàm è parte, quâ reſpicit auſtrum. Propter frigus ipſam arctiùs conſtringens.

LIGNVM, eſt pars dura arboris cortice circunueſtita, fiſſilis, & combuſtibilis.

ALBVRNVM, à nonnullis, dicitur pars arboris minùs dura, cortici vicina, crebròque putredini obnoxia.

PECTINES Κτηδόνες, *ſunt* veluti Lineæ, ſeu Fibræ, per arborem extenſæ, ſecundùm quas, hæc facilè findi poteſt.

MEDVLLA, *Cor*, ſeu *Matrix* (vt quibuſdam placet,) eſt ſubſtantia in meditullio conſtituta, in quâ præſertim viget vita (exceptâ *Salice*; nam intùs exeſa, adhuc germinat.)

CVLMVS, *ſeu* Scapus, eſt pars, quæ herbam fulcit; vnde dicitur fabarum ſcapus; culmus arundinis; qui ſi exiguus ſit, v. g. in *herbis*, dicitur Cauliculus.

FOLIVM, eſt appendix arboris, eiuſque ornamentum. Vnde à Poëtis folia appellantur, arborum *coma*.

In *herbis*, Folium eſt quid plerùmque ad earum ſubſtantiam pertinens, præſertim in *Monophyllo*.

ἄνθος, *Seu* flos, eſt ſpes futuri fructûs, & conſeruationis ſpeciei.

IVLVS, eſt quid flori analogum, figurâ conicâ, v. g. in *Moro*, aut *Nuce inglande*.

AD Florem, ſpectant

1. *Calix*, ſeu id quo primùm flos continetur.

2. *Stamina*, ſeu Filamenta ab imâ, & intimâ floris parte per idipſum diſtributa.

3. *Apices*, ſunt quædam craſſiuſcula, in ſummitate ſtaminum, pendentia.

4. *Vngues*, (v. g. in roſis,) ſunt partes foliorum, quibus hæ calici adhærent.

Καρπὸς, FRVCTVS, *vel* eſt ipſum ſemen, v. g.

piſum; *vel* ſemen cum pericarpio, v. g. Pomum.

Κεφαλὴ, *eſt* globus extuberans, v. g. in *Carduo Sphæro-cephalo.*

Κεφάλιον, *eſt* globus minor, Κώδια, in Papauere appellatur.

Κεράτιον, *Siliqua*, eſt tegumentum oblongum, quo præſertim leguminum grana inuoluuntur.

Quædam arbores *Siliquas* ferunt, putà Siliqua Edulis; Caſia, fiſtulâ ſuum condit ſemen.

Σκιάδιον, VMBELLA, *eſt* pars Cauliculi faſtigio ſuccreſcens, in varios *Pediculos* diuiſa, flores, & ſemina ferens.

FOLLICVLVS, *eſt* theca, quæ ſi ſpinarum aculeis ſit aſpera, Echini marini ſpeciem referens, dicitur echinata, v. g. in caſtaneis.

PAPPVS, *eſt* villus, herbis deflorefcentibus remanens, ſub quo conditum ſemen latet, v. g. in carduis.

DE ANIMALI.

ANIMAL, eſt viuens ſenſitiuum, ſeu corpus animatum.

ESTQVE *Volatile*, putà Aquila; *Progreſſiuum*, v. g. Homo; *Natatile* ſcilicet Cete; *Reptile*, nempe Vermis; *Serptile*, nimirùm, Coluber.

RVRSVS eſt { aëreum. { aquatile.
terrenũ. { amphibium, v. g. Lutra, Fiber.

PRÆTEREA, eſt rationale, v. g. homo, *vel* irrationale, *putà* bellua. Hæc eſt prono corpore, ille erectò. Id egregiè expreſſit poëta.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram:
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
juſſit.

HOMO, eſt ſummum Dei optimi maximi opificium, huiuſque viſibilis imago. Etſi præſertim reſpectu ſuæ animæ ſit MIRABILIS, totius *Vniuerſi* SVMMA; nihilominùs diuina eſt ipſius corporis compages, & ſtructura, in quâ ſapientia Dei viſibiliter elucet, bonitas diffunditur, & ipſius potentia excellit. In hominis HEPATE *ſpiritus naturalis* elaboratur, & ſanguis per venas diſtribuitur; in CORDE *ſpiritus vitalis* præparatur, & ſanguis arterioſus per arterias laxatur; demùm in CEREBRO *ſpiritus animales* efformantur, & per neruos in vniuerſum corpus diffluunt, & ad totius hominis affectus, & regimen diſpenſatur. Vnde illud

Splen ridet, cerebrumque ſapit, fel concitat iras,
Cor amat, pulmo fatur, alitque jecur.

PRIMÆVA hominis labes grauiter ipſius naturæ nobilitatem labefactauit, ipſique grauiſſimam inflixit maculam. Quamobrem homo *flendo* naſcitur; *natus*; patitur, *paſſus*, moritur. *Hinc* illud

Vnde ſuperbis homo, cuius conceptio culpa;
Naſci, pœna; labor, vita; neceſſe mori

HANC tamen, quam originalis macula perniciem humano generi inflixerat; VERBVM-CARO, ineffabili ſuá miſericordiâ, ſuique diuini ſanguinis effuſione abundantiſſimè reparauit, in iis qui hauriunt aquas è fontibus ſaluatoris. O fœlix culpa, quæ talem meruiſti habere redemptorem! Etenim vbi abundauit *delictum*, ibi & ſuperabundauit *gratia*. Vnde illud

Qu di an tris mul pa

os rus guis ti cedine uit

H mi ſan Chriſ dul · la

Qvamvis ſit Physici, præſertim corporis humani partes exponere, necnon ordinis, earumque muneris rationem afferre; nihilominùs cum id luculenter *Anatomia* exponat, & explicet; nec mihi ocium, inſtitutique mei ratio, id concedat. Quapropter ad ipſius formæ accuratam contemplationem me confero. Igitur hìc agitur.

DE ANIMA.

HÆC *de* animâ diſputatio, tum Dialecticæ, tum Morali Philoſophiæ, quippe quæ illius operationes dirigant, eſt perutilliſſima: necnon *Phyſicæ*, vt potè quæ, ipſius contemplationibus, corodinem imponat: tum etiam quam-plurimùm ad Metaphyſicæ dignitatem ipſa conducit; quia videlicet, è cognitione excellentiæ hominis, ad illius Prototypi (qui eſt illius potiſſimum obiectum) agnitionem facilè aſſurgimus. Cæteris etiam ſcientijs capeſcendis mirum in modum prodeſt; denique ipſi homini, in quocunque degat vitæ ſtatu, iuuat quàm maximè. Iuxta illud γνῶθι σεαυτόν. Quamobrem digniſſima eſt quæ diligentiſſimo ſtudio ediſcatur.

Anima dicitur quaſi ἄνεμος, *Ventus*; quòd videlicet à nobis, quaſi tenuis, ſubtiliſque halitus apprehendatur. Hinc dicitur *ſpiraculum vitæ*.

Diſtinguitur ab *Animo*, nam hic *vel* dicitur

1. *Quædam* appetitûs iraſcentis nobilitas. Vnde vir fortis dicitur *Animo* præſtans.

2. *Conſilium*; hinc quibuſdam dicitur ineſſe prauus animus; id eſt prauum voluntatis conſilium.

Metaphoricè, eſt forma aſſiſtens, ſic Deus dicitur *Anima* Mundi.

Propriè, & vt hîc à nobis ſpectatur, eſt forma conſtitutiua viuentis vt viuens eſt.

DEMOCRITO, *Anima* eſt ignis, & calor: ignis autem ſunt atomi rotundæ; quales deprehenduntur in radijs per aërem volitantes. Vt conſtat è 1. de ani. cap. 2. his verbis. Δημόκριτος μὲν πῦρ τι, καὶ θερμόν φησι (ψυχὴν) αὐτὴν εἶναι, hîc obiter agnoſcant qui hoc delirium, velut nouum Philoſophiæ dogma reperiſſe ſibi fingunt, ſe, Atheorum principis vetuſſimum ſequi figmentum.

PERIPATETICIS, ANIMA, eſt *actus primus corporis organici.*

Dicitur *actus*; quia eſt corporis perfectio, v. g. anima leonis, reſpectu leonini corporis.

Actus primus (ſimpliciter) quia eſt principium omnium operationum corporis organici, *putà* nutritionis, ſenſationis, motûs localis, &c.

Corpus organicum, eſt corpus inſtructum multiplici organorum ſupellectili, *putà* filamentis, radice, fibris; vel cerebro, corde, hepate, &c. quatenùs videlicet habent poteſtate proximâ vitam, ſeu operationes vitales, quibus eliciendis vtitur, ſicut ars fabrilis vtitur, malleo, dolabrâ, runcinâ, terebro, in ſuis operibus producendis.

VITA eſt, *vel* in ACTV

1. PRIMO, *ſeu* principium operationum vitalium, *putà* anima ipſa.

2. SECVNDO,

2. Secundo, *ſeu* eſſentialiter pendens à principio animæ coniunctò, v. g. viſio, à viſu animâ concurrente; fit enim ab animâ mediante facultate vitali actiuè concurrente. *Vid.* pag. 28.

Hinc *actio vitalis* diſtinguitur à *motu* grauium, & leuium versùs centrum; à ſpontaneâ aquæ refrigeratione, tum à facultatum emanatione ab animâ.

Mors, eſt priuatio vitæ; *ſeu* ſeparatio animæ à corpore.

Vita *dicitur* quòque, permanentia animæ in humido primigenio, & calido radicali.

CALIDUM innatum, & *humidum inſitum*, ſunt ipſa corporis ſubſtantia, calore temperato, & humido oleaginoſo affecta.

Vtrumque etiam vocatur, *calor radicalis*, & *humor primigenius*.

Calor eſt, *vel*

Extraneus, *ſeu* eſt calor viuentibus aduenïens à corporibus extra poſitis, *v.* g. *æſtus febrilis*. Vnde illud, vbi caloris extranei eſt multùm; natiui, eſt parùm.

2. Naturalis, eſt *vel*

a. Fixus, ſeu calor inſitus cuilibet parti viuentis, ita vt ipſum non deſerat quin vitam cum morte commutet.

b. Influens, qui in animalibus perfectis, à corde ſpirituum vehiculo procedit; vel in inſectis à parte cordi analogâ, in omnes viuentis partes diffluit.

Vehiculum natiui caloris, eſt *ſpiritus* ſeu aërea, ſubtiliſſimaque ſubſtantia toti corpori *inſita*; vel *fluens*, & humido primigenio *inſidens*, cuius præcipuus focus, eſt *Cor*.

HVMIDVM eſt, *vel*

1. AQVEVM, commune omnibus mixtis, eorum terrenas partes glutinis inſtar vnientis, quo abſumpto mixtum in cineres diſſoluitur.

2. PRIMIGENIVM, quod in primâ partium conformatione, à naturâ viuenti inſeritur.

3. ALIMENTITIVM, quod ex alimento ſuffectum humido congenito adnaſcitur.

VIVERE latè, *eſt* habere vim ſeſe mouendi. Hinc dum animal caret *omni motu*, dicitur *mortuum*. Hinc quia *Hydrargyrum* facilè eſt in motu, dicitur *argentum viuum*. Similiter aqua fluens dicitur *viua*; reſtagnans, verò vocatur *mortua*.

VIVERE hìc propriè eſt, vegetare, ſentire, vel intelligere dependenter à phantaſmatis. Vnde rursùs, anima definitur primum principium quo viuimus(ſeu vegetamus) ſentimus, locomouemur, & intelligimus. *Hinc* Anima eſt triplex, *nempe*, VEGETANS, SENTIENS, *vel* RATIONALIS.

DE
ANIMA VEGETATIVA.

ANIMA *vegetans*, eſt radicale principium nutriendi, creſcendi, & generandi, v. g. anima *quercûs* eſt radicale principium quo *hac* nutritur, augetur, & poteſt producere ſibi ſimile.

Quapropter triplex eſt huius facultas, *putà* NVTRITIVA ad indiuidui conſeruationem, AVGMENTATIVA, ád illius perfectionem; tum de-

mùm GENERATIVA, ad propriæ ſpeciei conſeruationem.

Nutritio, præcedit *accretionem*; ſiquidem hæc fit per intuſſuſceptionem; *accretio* autem, antecedit *generationem*; priùs enim nutritur quercus, quàm adoleſcat, & adoleſcit, quàm glandes generet; ſimilemque ſibi quercum producat; priùs enim eſt habere perfectionem in ſe quàm eam alteri communicare: at producere ſibi ſimile eſt dare alteri perfectionem,

FACVLTAS *nutritiua*, eſt vis conuertendi alimenti id propriam aliti ſubſtantiam.

NVTRITIO, eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam viuentis per intus-ſuſceptionem, ſeruatâ proportione, per omnes ipſius partes, ad indiuidui conſeruationem.

In animalis ventriculo eſt chilificatio, ſeu chili elaboratio.

In hepate, eſt ſanguificatio, ſeu chili in ſanguinem conuerſio.

In cæteris animalis partibus eſt aſſimilatio, ſeu conuerſio ſanguinis in rorem, gluten cambionem, & carnem.

ALIMENTVM, eſt mixtum poteſtate viuens, partim ſimile, partim diſſimile, eſtque

1. REMOTVM, *ſeu* indigeſtum, quod nondum coctione vitali, eſt elaboratum, aptum tamen elaborari; v. g. dapes menſis impoſitæ.

2. PROXIMVM, eſt quod iam aliquâ coctione vitali eſt ſubactum, v. g. chilus, ſanguis, ros, cambion.

Item alimentum eſt

1. Ἔυχυμον, laudabile, & proficuum, quod ſcilicet dulce eſt ſapore, gratum ori, odore non injucundum.

2. Κακόχυμον, nociuum, corruptum, aut mali ſucci; tuncque eſt amarum, acre, ſalſum, nimis acerbum, aut fœtido odore, ingratoque ſapore.

FACVLTATI Nutritiuæ famulantur

1. CONCOCTRIX, quæ eſt vis præparatrix alimenti, & potûs, vt conuertatur in propriam aliti ſubſtantiam.

2. ATTRACTRIX, eſt virtus attrahendi quod in alimento laudabile eſt, & proficuum.

Vis attractrix alimenti nondum cocti, præcedit concoctricem, qualis eſt in fibris radicum plantarum: *vis* autem *attrahendi* alimenti jam elaborati, hanc ſequitur.

3. RETENTRIX, eſt vis retinendi quod in alimento eſt defæcatum, vt in propriam aliti ſubſtantiam tranſmutetur.

4. ASSIMILATRIX, eſt virtus conuerſiua *alimenti* in ſubſtantiam *Aliti*; v. g. virtus traſmutatrix, *chili*, in ſanguinem; *ſanguinis*, in rorem; *roris*, in cambionem; *cambionis*, in carnem, quæ eſt ſubſtantia *aliti*.

5. EXPVLTRIX, eſt potentia expellendi excrementa reſidua ex alimenti elaboratione.

DVO ſunt *Stimuli* potentiæ nutritiuæ, hique in ſolis animalibus, nempe

1. FAMES, quæ eſt deſiderium *Alimenti*. Seu appetentia calidi ſicci non injucundè ſapidi, orta è perceptione doloris in ore ventriculi, ob ſiccitatem à calore natiuo excitatam.

Cibus hìc, eſt ſubſtantia calida ſicca, apta ad chili elaborationem.

2. SITIS, eſt appetitio potûs, ſeu humidi frigidi, orta è perceptione doloris, præſertim in orificio ventriculi.

Potus, eſt ſubſtantia humida frigida, apta ad ciborum elixationem.

Vinum moderatè ſumptum, eſt potus, alimentum, & medicamentum

POTENTIA *augmentatiua vitalis*, eſt facultas animæ vegetatiuæ quâ viuens ſuſcepto intùs alimento, & in ſuam ſubſtantiam conuerſo, ſeruatâ debitâ proportione per omnes partes ad ſuæ naturæ legitimam magnitudinem ſeſe promouet.

AVGMENTATIO *vitalis*, eſt actio animæ vegetatiuæ, quâ viuens ſuſcepto intùs alimento, & in ſuam ſubſtantiam conuerſo, ſeruatâ debitâ proportione per omnes partes, ad legitimam naturæ ſuæ magnitudinem tendit.

Accretio per juxta-poſitionem, eſt eâ quâ corpus creſcit additione nouæ ſubſtantiæ ad partes exteriores inæquali diſpoſitione; v. g. auctio globi ſuper niue voluti.

Quodlibet viuens, ſuos habet paruitatis, & magnitudinis terminos præſcriptos à naturâ; habet enim ab huius ſapientiâ ſtructuram affabrè ordinatam.

POTENTIA *generatiua*, eſt facultas animæ vegetantis, quâ mediante ſemine producit ſibi ſimile, ad ſuæ ſpeciei conſeruationem.

SEMEN, ſeu *genitura*, eſt excrementum alimenti perfecti viuentis naturale, & vtile, à vi generatiuâ, ope natiui caloris elaboratum, & inſtructum vi formatrice alterius viuentis.

Semen eſt excrementum; quia eſt velut extra incrementum, v. g. glans reſpectu quercùs à quâ eſt deciſa.

DE
ANIMA SENSITIVA.

ANIMA ſenſitiua, quæ eſt belluis propria, eſt actus primus corporis poteſtate proximâ vitam ſentientem habentis.

DEFINITVR radicale principium *ſentiendi*, & *appetendi*, item & ſeſe *loco-mouendi*.

Anima maximè vim habet mouendi. Hinc animatum, ab inanimato, motu ab intrinſeco, & ſenſu differt.

ANIMA ſenſitiua, eſt *vel*

1. Loco-*immobilis*, eaque eſt ſolùm radicale principium ſentiendi, & appetendi, v. g. in Zoophytis; *putà* Oſtreis.

2. Loco-*motiua*, *ſeu* radicale principium ſentiendi, appetendi, & ſeſe loco-mouendi, qualis eſt in belluis locum adæquatè mutantibus.

TRIPLEX eſt potentia *animæ ſentientis*. Nempè SENSVS, APPETITVS, *vis* MOTRIX. Etenim ad eius perfectionem ſufficiunt, facultates dirigens, appetens, exequens.

DE SENSV.

SENSVS, eſt facultas cognoſcitiua materialis, v. g. odoratus canis venatici, cuius ope venato-

ribus indicat viam quâ poſſint aſſequi leporem.

SENSATIO, eſt cognitio materialis. Seu vitalis expreſſio ſpeciei obiecti materialis, v. g. *viſio.*

Senſatio, in organo interno perficitur.

Cognitio creata, eſt expreſſio ſpeciei intentionalis. *Vid.* pag. *155.*

Ad rectam ſenſationem requiruntur.

Debita obiecti diſtantia.

Legitima medij diſpoſitio.

Laudabilis affectio organi ſenſûs.

Item deſiderantur { organum. ſenſibile. ſpecies intentionalis.

ORGANVM, ſeu *inſtrumentum ſenſûs* eſt vel

1. ACTIVVM, ſeu ſpiritus animalis, efficienter cum ſenſu ad ſenſationem concurrens.

2. PASSIVVM, ſeu *Senſorium*, eſt pars animalis in quâ fit *ſenſatio*. Illudque eſt vel

a. *Internum*, quod exteriùs non apparet; v. g. pars cerebri in quâ fit imaginatio.

b. *Externum*, quod exteriùs apparet, v. g. oculus; hic enim *definitur* organum viſûs.

Organum { viſûs, eſt aqueum { olfactûs, igneum
auditûs, eſt aëreum { tactûs, & guſtûs, terrenum.

SENSIBILE, eſt obiectum ſenſûs; ſeu quod ſenſu percipi poteſt. Hoc autem, eſt quid ſingulare, corporeum, extenſum, motiuum ſenſûs, v. g. hoc album lumine illuſtratum.

Senſus eſt *ſingularium*, ſicut intellectus eſt vniuerſalium; viſus vniuerſim per ſe non videt, ſed

per hunc viſum cernit hoc album.

Singulare corporeum. Hinc cum S. Gabriel non ſit corporeus, non eſt ſenſibilis

Atomi, quia inextenſæ, non ſunt ſenſibiles. Sic & ramenta pulueriſculi per aërem volitantis, vix ſenſu poſſunt deprehendi. Quemadmodum enim maximum ſenſibile lædit ſenſum, & mediocre ſenſibile ipſum delectat: ſic & minimum ſenſibile, ſenſum non mouet. Corpora quippe tenuiſſimæ entitatis, ſunt minimæ actiuitatis.

Paries latens in tenebris, non eſt actu viſibilis, ſcilicet defectu luminis, quod eſt proximum motiuum viſûs.

SENSIBILE eſt vel

1. PER *accidens*, quod mouet ſenſum, per alienam ſpeciem; v. g. anima rationalis per ſpeciem vocis.

2. PER *ſe*, quod mouet ſenſum per propriam ſpeciem, v. g. *albedo*, viſum. Hocque *ſenſibile* eſt vel

a. *Proprium*, quod vnico ſenſu externo poteſt percipi, v. g. lumen, & color, *ſolo viſu*; ſonus, *auditu*; odor, *olfactu*; ſapor, *guſtu*; calor, frigus, humiditas, & ſiccitas, *tactu*.

b. *Commune*, quod pluribus ſenſibus externis percipi poteſt, *putà* Magnitudo, Figura, Numerus, Motus, Quies. Hæc enim, v. g. viſu deprehendi poteſt, tactu, & auditu; cæcus enim dignoſcere poteſt currum quieſcere.

SPECIES *intentionalis*, eſt imago finitè repræſentatiua obiecti. Seu eſt ſimilitudo virtualis repræſentatiua obiecti.

Hæc *ſimilitudo*, dicitur *ſpecies*, à verbo inuſitato

ſpicio; quia inſeruit ad *aſpiciendum*, ſeu cognoſcendum.

Dicitur *ſpecies intentionalis*; quia eius beneficio potentia cognoſcitiua tendit in obiectum.

Similitudo vultûs, eius qui obuerſatur ſpeculo, ab hoc exprimitur: at eiuſmodi SIMILITVDO eſt, vel à *ſolo ſpeculo*, vel à *ſolo vultu*, vel à *ſpecie* è vultu *deriuatâ*: at talis ſimilitudo

Non eſt à ſolo *ſpeculo*; cum hoc ſit de ſe indifferens ad hunc, vel illum repræſentandum.

Nec eſt à ſolo vultu; ageret enim in diſtans non agendo per medium.

Igitur eiuſmodi *ſimilitudo*, eſt à ſpecie è vultu deriuatâ, & à ſpeculo expreſsâ.

Id etiam patet in oculis, in quibus obiectorum ſpecies exhibentur. Vnde *cognitio* fit ſpecierum *receptione*, non radiorum *emiſſione*.

SPECIES eſt vel

1. IMPRESSA, quæ eſt imago deriuata ab objecto ad huius cognitionem concurrens cum potentiâ cognoſcente, v. g. ſpecies emiſſa à pariete albo in oculum. Hæc poteſt à Deo infundi, vt patet in Angelis.

2. EXPRESSA, eſt ſimilitudo obiecti à cognitione efformata; eſt enim terminus cognitionis, v. g. dum quis domum ſuam cognoſcit; illius imaginem in mente cudit.

Species impreſſa, eſt vicaria obiecti, quia obiectum exhibet, & vnit facultati cognoſcenti, hancque ad talem cognitionem determinat; eſt enim veluti obiecti character. Vnde è cognoſcente, & cognito fit cognitio.

SENSATIO ſpectari poteſt, vel

Digitized by Google

1. Formaliter, vt eſt *expreſſio* ſpeciei obiecti ſenſibilis. Sicque eſt *ſenſatio ſimpliciter*, v. g. expreſſio ſpeciei luminis à viſu.

2. Terminativè, prout eſt terminus per ſenſationem productus; ſicque eſt ſpecies expreſſa rei ſenſibilis. *Putà* ſpecies expreſſa luminis.

3. Obiectivè, *ſeu* quatenus eſt obiectum cognitum. Sic viſio obiectiuè eſt lumen, & color.

Species expreſſa à		
mente		verbum.
phantaſiâ	[dicitur ſimpliciter	phantaſma.
ſenſu externo		ſpecies expreſſa.

Species intentionalis, cuius obiectum eſt materialius quàm facultas, eſt obiecto ipſo immaterialior, v. g. imago nigredinis, eandem qualitatum temperiem non requirit in viſu, quam exigit in pariete, & ſicut figura ſigilli ceræ imprimitur ſine materiâ ſigilli, ſic ſpecies albedinis imprimitur viſui à pariete, ſine materiâ parietis.

Si verò obiectum ſit ſpiritalius facultate cognoſcente, ſpecies eſt minùs ſpiritalis, quàm eiuſmodi obiectum; quicquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur, v. g. ſpecies repreſentatiua Dei in mente angeli.

Si verò obiectum ſit æquè ſpiritale ac facultas cognoſcitiua; tum ſpecies eſt æquè ſpiritalis ac obiectum, & potentia cognoſcitiua; v. g. ſpecies repræſentatiua angeli, in mente alterius angeli.

Impedimenta ſenſûs, & ſenſationis ſunt
Diminutio, *ſeu* hebetudo, ſtupor.
Deprauatio, *ſeu* peruerſa ſenſibilis perceptio.
Totalis abolitio, *ſeu* ſenſûs priuatio.

SENSUS, eſt INTERNUS, *vel* EXTERNUS.

DE SENSU EXTERNO.

SENSUS *Externus* eſt is, cujus organum exteriùs apparet. Eſtque quintuplex; nempe *Viſus*, *Auditus*, *Guſtus*, *Tactus*, *& Odoratus*. Hi ſufficiunt ad omnium ſenſibilium apparentias dignoſcendas.

DE VISU.

VISUS, eſt ſenſus externus luminis & coloris perceptivus.

Viſio, eſt coloris, & luminis perceptio. *Intellectio*, quia eſt accurata objecti repræſentatio, appellatur conceptio. Hæc & quævis cognitio fit per ſpecies; vt paret in pavimento; cùm virtute radiorum Solis tingitur vitri colore. Deinde *phantaſia* dicitur *imaginatio*, quia cudit rerum *imagines*, ſeu *ſpecies*, nec enim percipit objecta per ſe, & immediatè, nec per radios à ſe emiſſos. Item, *recordatio*, non fit in nobis, per inſitas, ſed per retentas objectorum ſpecies.

LUX, *Lumen*, *Radius*, *Splendor*, ſunt vna qualitas ejuſdem ſpeciei, quæ vt inhæret corpori lucido, *putà* Soli, *vel* igni, *dicitur* LUX; prout autem corpori tranſparenti, *vocatur* LUMEN; prout à corpore lucido intenſiùs vibratur, RADIUS; & vt verſùs corpus lucidum reflectitur, SPLENDOR *nominatur*.

LUMEN eſt actus diaphani, vt diaphanum eſt, ſeu eſt perfectio corporis, vt eſt tranſparens: illa enim eſt, vt trans ipſum appareant objecta: at id fit beneficio luminis.

Diaphanum, *ſeu* tranſparens, eſt corpus trans quod aliud apparere poteſt, *ſeu* quod eſt intimè luminis ſuſceptivum, & viſu penetrabile: ſine lumine eſt ſolùm tranſparens potentiâ; per lumen verò eſt dia-

phanum in actu. Unde eſt indifferens ad intimè ſuſcipiendum lumen, vel tenebras.

O P A C U M, ſeu *denſum*, eſt corpus quod ſolùm ſecundùm extimam ſuperficiem admittit lumen: ideoque huic eſt impervium, & viſu impenetrabile.

Lumen, eſt perfectio diaphani, v. g. aëris, non vt eſt aër, ſed vt diaphanus eſt; ſeu quatenus trans ipſum apparent corpora; præſtat enim vt objectum illuſtretur, & à viſu deprehendatur.

Lumen eſt per ſe viſibile. Hinc non eſt, qualitas *intentionalis*; hæ enim ignota, ducit nos in alterius notitiam: at lumen per ſe videtur; in noctilucis enim, non color, ſed merum earum lumen emicat. Item non datur ſpecies impreſſa ſpeciei intentionalis: at datur ſpecies impreſſa luminis. Noctu lumen ignis ſtellatum & facum in turribus marinis accenſarum, non color apparet. Ideoque lumen eſt qualitas realis inhærens ſubjecto ad modum habitûs; non autem intentionalis inſenſibiliter ab objecto ad potentiam pertingens. Etenim eſt qualitas per ſe à Deo producta.

C O R P U S vel habet lucem *principiativè* inſitam, v. g. Sol; vel *participativè* ab alio, *vt* Luna à Sole.

U M B R A, eſt privatio radii.

Tenebræ, ſunt privatio luminis.

COLOR eſt participatio luminis in corpore opaco; non enim videtur, niſi per lumen; viſus quippe non movetur à colore, niſi per medium actu illuminatum. Hinc color definitur *qualitas ſecundariò motiva viſus trans perſpicuum in actu*: ſeu quatenùs proximè aptum eſt, vt per ipſum colorum imagines tranſmittantur; nec enim ſenſus in objectum agit vibratione radiorum: ſed illud movet ſenſum emiſſione ſpecierum. Hinc Philoſopho, *ſentire* eſt quoddam pati.

C O L O R

Color eſt, *vel*

1. Extremvs, *ſeu* ſine vllius coloris mixtione, v. g. *Candor*, & *Atror*. Hic eſt color congregatiuus viſûs. Ille eſt color diſgregatiuus viſûs.

2. Medivs, eſt qui participat vtrumque extremum, v. g. *Rubor*.

ITERVM eſt, *vel*

1, Vervs, qui permanenter inhæret eidem corpori, diuerſo etiam lucis aſpectu, v. g. *candor niuis*.

2. Apparens, qui pro vario ſitu corporis viſibilis, & videntis variatur, v. g. colores Iridis, colli columbarum, &c.

Item color à vino in mantile tranſmiſſus; *vel* in pauimentum à vitro colore infecto.

ORGANVM *Viſûs*, eſt *oculus*, diuinâ induſtriâ tunicis, humoribus, & muſculis, inſtructus.

Ocvlvs dicitur *Feneſtra* animæ, quippe trans ipſum, & aſpicit, & aſpicitur; in irâ ardent oculi, in hilaritate arrident; in amore conniuent: hinc in eis eſt muſculus amatorius; in pudicitiâ, & humilitate demittuntur, in ſuperbiâ attolluntur. Hinc in eis eſt muſculus humilis, & ſuperbus. Vt etiam *Anatomici* loquuntur.

Huius humores ſunt aqueus, vitreus, & chryſtallinus; trans ipſos quidam diuinæ ſapientiæ radius emicat.

DE AVDITV.

AVDITVS, eſt ſenſus externus ſoni perceptiuus.

Sonvs eſt, patibilis qualitas excitata colliſione durorum corporum, & reſiſtentiâ medii, v. g. tinnitus. Vnde philoſopho, Sonus eſt actus alicujus, ad aliquid, in aliquo.

Item ſonus eſt percuſſio vehemens, & celeris corporum læuium, & ſolidorum è reſiſtentiâ medij.

Sonorvm, eſt corpus ſolidum, & læue; putà aurum, argentum, &c.

Sonorvm eſt *actu*, quod de facto ſonum edit: vel *poteſtate*, quod poteſt ſonum edere, v. g. æs.

SONVS eſt, *vel*

1. Acvtvs, qui pauco tempore multùm auditum percellit.

2. Gravis, qui multo tempore parùm pellit auditum.

3. Temperatvs, qui ex acuto, & graui conſtat.

ITEM eſt, *vel*

1. Directvs, qui *directè* à corpore ſonoro exiens ferit auditum, v. g. tubæ clangor, vox, &c.

2. Reflexvs, qui è corpore ſolido, & cauo ad auditum repercutitur; & dicitur echo, græce ἠχὼ, ab ἠχέω, reſono. Quaſi rursùs ſono. Poëtis eſt percuſſæ vocis imago. Vnde illud

Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.

Dicitvr repercuſſio ſoni motu aëris ad corpus cauum delati. *Echo* nec prior loqui poteſt, nec loquentem celare. Hinc illud

— nec reticere loquentem;
nec prior ipſa loqui didicit reſonabilis Echo.

VOX, eſt percuſſio aëris reſpirati ab animâ per inſtrumenta vocalia, cum imaginatione aliquid ſignificandi.

Siue, eſt ſonus ab animalis ore prolatus, cum intentione aliquid ſignificandi.

Vox eſt vel

1. Inarticvlata, quæ ſcribi nequit, v. g. boatus vitulorum.

2. Articvlata, quæ ſcribi poteſt. Hæcque *vel* conceptus

a. Non declarat, v. g. vox Picæ

b. *Declarat*, v. g. vox hominis; eſt enim ſignum exterius interioris cogitationis.

Vox eſt, *vel*

Suauis, quæ eſt clara, alta, tenuis, ſubacuta, v. g. vox Luſciniæ.

Ingrata, quæ eſt obſcura, demiſſa, ſpiſſa, rauca, v. g. vox Gracculi.

DE ODORATV.

Odoratvs, ſeu *olfactus*, eſt ſenſus externus odoris perceptiuus,

Odor, eſt qualitas ſenſibilis orta è primarum permixtione, in quâ ſiccum vincit humidum; odor enim eſt ſicci, vt ſapor eſt humidi. Vnde cum cerebrum canis ſit valdè ſiccum (vt conſtat eò quòd facilè rabie corripiatur, & efferueat) eſt ſagaciſſimi odoratûs. Hinc odore, velut alterâ imaginatione regitur. Vnde illud poëtæ

— odora canum vis.

Eſt, & in *Vulture* egregius olfactus; allectus enim odore, è diſſiciſſimo ſpatio, ad cibum aduolat. Hinc illud

Nos, Aper, auditu; Linx, viſu; Simia, guſtu; Vultur, odoratu; præcellit Aranea, tactu.

Odoris *vehiculum*, eſt aërea, fumidaque ſubſtantia. Vis odoris, calore intenditur, & frigore remittitur. Hinc thus accenſum gratiùs olet, & ſuauiùs æſtiuâ, quàm hybernâ tempeſtate.

Animalia *pulmone* prædita, odores *reſpiratione* percipiunt; non item *exanguia*; defectu ſcilicet vegeti caloris; putà *piſces*. Hi aqueo medio olfaciunt; quamobrem in ijs *olfactus* eſt hebetior, quàm in alijs animalibus; vt & viſus imbecillior; quia duros habent oculos.

ODOR eſt, *vel*

1. SVAVIS, qui gratè cerebrum recreat, v. g. *odor* aromatum.

2. INSVAVIS, qui moleſtè cerebrum afficit, ipſique officit, v. g. odor Cicutæ.

DE GVSTV.

GVSTVS, eſt ſenſus externus ſaporis perceptiuus.

SAPOR eſt *condimentum* cibi, & potûs; *dicitur* qualitas ſenſibilis orta è permixtione primarum qualitatum, in quâ humidum vincit ſiccum.

Seu, qualitas ſenſibilis humida aquea, vi caloris excitata, humidum cum ſicco miſcentis, & coquentis.

Item, eſt qualitas ſenſibilis in humido aqueo à ſicco terreſtri, & calore decoquente, guſtum è potentiâ ad actum reducente.

Guſtus exquiſitus videtur eſſe homini proprius; etenim

nim eſt quidam ſpecialis tactus: at tactus exquiſitus videtur homini proprius; quia carnem habet ſubtilem, & delicatam. Hinc ſapientia dicitur à ſapore; qui enim hoc ſenſu excellunt, & pollent ingenij ſagacitate, vigent & prudentiâ. In ijs qui carnem habent duram eſt hebetior & ſenſus, & intellectus.

SAPOR eſt, *vel*

1. DVLCIS, qui gratè, & iucundè allicit, & afficit palatum; v. g. ſapor mellis, & ſaccari.

2. AMARVS, πικρὸς, qui ingratè; & moleſtè palatum irritat. Seu ſapor calidus, inſuauis, triſtis, & guſtum diuellens, v. g. ſapor Aloës.

3. MEDIVS, qui fit ex vtriuſque, *vel*

a. NEGATIONE, v. g. inſipidus, ἄποιος; qualis eſt in cucurbitis.

b. MIXTIONE, eſtque *vel*

PINGVIS, *ſeu vnctuoſus*, λιπαρὸς, ſeu ſapor linguam, oriſque partes obliniens, euidentis caloris expers, obſcuræ dulcedinis ſubinde, particeps, v. g. ſapor pinguedinis.

ACERBVS, στρυφνὸς, eſt ſapor linguam valdè contrahens, & inæqualiter exſiccando exaſperans, terrenus omninò, & frigidus, v. g. ſapor vuæ acerbæ.

AVSTERVS, *græcè* αὐστηρὸς, eſt ſapor acerbo finitimus: at mitior, minùſque frigidus, ſed magís ſiccus, v. g. *ſapor* gallæ.

Auſterus ſiccus linguam non exaſperat; acerbus ſiccior humidas linguæ partes valdè exaſperat.

ACIDVS, ὀξὺς, eſt ſapor tenuitate pollens, guſtumque feriens, ac penetrans, & citra caloris perceptionem mordicans, & rodens, v. g. *ſapor* aceti.

ACRIS, δριμὺς, eſt ſapor acutè linguam, & os mordicans, eaque calore inſigniter pungens, fauceſque feriens, & veluti vrens, v. g. *ſapor Allij*, Piperis, &c.

Salsvs, ἁλμυρὸς, eſt ſapor, calore, & ſiccitate linguam ſatis intenſè afficiens, ſiccandoque abſtergens, & valdè expurgans.

DE TACTV,

TACTVS eſt ſenſus externus qualitatum tactilium perceptiuus.

Qualitas tactilis, eſt quæ paſſionem tactui inferre poteſt. Eſtque *vel*

1 Primaria, *putà* calor, frigus, &c. *de quibus*, pag. 230. 231.

Nimio calore *coctio* interrumpitur, *ſomnus* auffertur, *corpus* reſoluitur, *cerebrum* interturbatur, ac *mens* jacet. Sicut & nimio frigore *ſenſus* hebetatur, & propè naturæ fomento deſtituitur, languentque *vires*, & *ingenium* ſtupet.

2. Secvndaria, quæ à *primariâ* deriuatur, eſt *vel*

a. Dvrities, *ſeu* qualitas ſecundaria tactilis facilè reſiſtens tangenti, eique difficulter cedens, v. g. marmoris durities.

b. Mollities, eſt qualitas tactilis quà corpus facilè tangenti cedit, & difficulter reſiſtit, v. g. mollities lanæ.

a. Asperitas, eſt qualitas ſecundaria tactilis à calore, & ſiccitate orta, quà res fiunt in ſuperficie proëminentes, & tactum offendentes; v. g. ſuperficies Cardui.

b. Lævitas, eſt qualitas ſecundaria tactilis ab humiditate orta, quâ res fiunt in ſuperficie æquales, & tactum oblectantes. Vt enim *aſperitas*, eſt inæqualis externarum partium ſitus; ſic & *læuitas* eſt earundem æqualis diſpoſitio.

ORDINE *neceſſitatis*, TACTVS eſt omnium ſenſuum *primus*; inſeruit enim tum ad indiuidui, tum & ad ſpeciei conſeruationem.

GVSTVS eſt *ſecundus*; inſeruit enim ad indiuidui conſeruationem. Vnde vterque conuenit omni animali; etenim ſine tactu animal torperet, ſicut inſenſitiua; nec moueretur ad paſtum quærendum ad ſui conſeruationem; guſtus enim non eſt ſine quodam tactu. Hinc ſine vtroque ſenſu, animal nec *voluptate*, nec *dolore* afficeretur.

TERTIVS, eſt AVDITVS; nam ſine viſu, auditûs ope adhuc animal nociua fugeret: at non ita commodè.

QVARTVS eſt, VISVS. *Vltimus* eſt OLFACTVS; ſine hoc enim animal poteſt viuere: at non tantâ cum voluptate.

ORDINE Dignitatis

1. VISVS, eſt ſenſuum omnium præſtantiſſimus. Vnde mirabilis eſt illius organi fabrica; illiuſque *obiectum*, eſt omnium materialium qualitatum nobiliſſima, putà *Lumen*. Tum citiſſimè, & accuratè res diſſitiſſimas, dignoſcit.

2. AVDITVS, *quia* eſt ſubtiliſſimus ad obiecta percipienda: at non ita ſubtilis eſt quàm *viſus*; nam hic in inſtanti ſuum obiectum percipit: *auditus* verò, ſucceſſiuè. Vnde eius vice fungitur ad fugienda nociua. Vtriuſque pretium noſcit, qui fit cæcus, & ſurdus. Etenim tum ineptus eſt, ad ſocietatem ciuilem.

3. OLFACTVS, *quòd* ſit ſubtilior; odores enim diſſitos percipit.

4. GVSTVS, apprehendit enim qualitates cognitu difficiliores ijs, quas tactus cognoſcit.

5. TACTVS, *quia* eſt ſenſus maximè terreſtris, qui ſuum obiectum, non niſi cominùs detegit.

DE SENSV INTERNO.

SENSVS interior, eſt is cuius organum eſt in ſolo cerebro.

QVATRVPLEX eſt, putà

SENSVS *communis*, ſeu *internus*, quo animal diſcernit obiectum cuiuſlibet ſensûs externi dum actu ſentitur; nempè colorem, à calore, odorem à ſapore.

Eſt is quo animal aduertit ſe ſentire; *putà* videre, audire; eſt velut arbiter, & iudex ſenſuum externorum. Imperfectè ſolùm, & obſcurè; non autem diſtinctè, & clarè, vt ipſe intellectus.

AD *hunc* pertinet

SOMNVS, ſeu ligatio primi ſenſorij è feriâ, & quiete ſenſuum externorum ſalutis animalis gratiâ.

Vigilia, eſt expedita functio ſensûs communis, & facultatis motricis, è ſolutione ſenſuum externorum.

Expergefactio, eſt reditus caloris à corde, ad quod ab humore ſoporifero compulſus fuerat, ad ſenſum externum.

PHANTASIA, eſt ſenſus interior quo ſenſibilia præſentia, vel abſentia percipiuntur; Conſeruat enim ſenſibilium imagines, & è multiplici compoſitione ſpecierum, innumeras effingit imagines, & phantaſmata. Hinc imaginatio, & phantaſia nuncupatur.

AD hanc ſpectat

Somnium, quod eſt apparitio exhibita inter dormiendum.

Differt à febricitantium, & ſenum delirijs, amentiumque ſtultitiâ, quæ videtur *Somnium* vigilantis inhærens, vixque propulſabile.

3. Æstimativa eſt ſenſus interior quo animal, res ſenſibus externis vix perceptas, æſtimat proficuas, vel nociuas; vt vis quâ ouis apprehendit ſibi amicum canem, lupum infenſum.

AD *hanc* reuocatur

Inſtinctus, qui eſt æſtimatiuæ excellentia, ſeu vis inſtigans ad indiuidui conſeruationem, apprehendendo ea quibuſcum naturalem habet antipatiam, *vel* ſympatiam; v. g. facultas quæ mouet Suës, vt Suï vlulanti opem ferat; ſicut enim omnes canes, canem inſecutum allatrant, & perſequuntur; ſic omnes Suës, ad Suïs vlulantis auxilium accurrunt.

4. Memoria ſenſitiua, eſt ſenſus interior quo animal noſcit ſenſibilia priùs cognita cum tempus interceſſerit; vt patet in cane, dum caudâ herum, quem à longo tempore non viderat, abblanditur.

Huius perfectio, eſt *Tenacitas*, *Fidelitas*, *Promptitudo*; qui enim res, quas promptè didicit, tenaciter retinet, & fideliter, is præſtantiſſimâ pollet memoriâ.

DE APPETITV SENSITIVO.

APPETITVS ſenſitiuus eſt potentia inclinans in bonum, & refugiens malum ſenſibile; v. g. vis quâ Equus eſuriens appetit cibum, & reformidat calcar.

Duplex eſt

Concvpiscens, qui proſequitur bonum, & auerſatur malum ſenſibile ſecundùm ſe nullâ habitâ ratione ardui; v. g. appetitus frigidæ in ſitiente.

Irascens, qui verſatur circa bonum, & malum arduum, & difficile, v. g. appetitus quo Leo pugnans aduersùs Taurum deſiderat victoriam.

Arduum, dicitur id in quo eſt locus pugnæ; vn-

de præſentiſſima mors à causâ internâ, licet triſtiſſima, ardua non appellatur.

APPETITVS iterùm eſt *vel*

Innatvs, qui eſt pondus à naturâ inditum, *ſeu* inclinatio ad bonum proprium, Eſtque facultas orta ab eſſentiâ, quâ res ferri poteſt in id quod ſibi conueniens eſt, & illud quod diſconueniens eſt, auerſari.

Elicitvs, eſt actualis *inclinatio* in bonum, vel *auerſio* à malo.

DE FACVLTATE MOTRICE.

VIS motrix, eſt facultas, quâ viuentia ſecundùm ſe tota; vel ſecundùm aliquam ſui partem localiter mouentur.

HINC duplex, eſt nempè *vel*

Natvralis, quâ viuens non deſerit priorem locum; qualis eſt in corde, pulmone, & Zoophytis quibuſdam, *puta* oſtreis; quæ affiguntur ſuo loco naturali.

Alia, eſt quâ animal locum priorem mutat. Eſtque. *Progreſſiua, Volatiua, Natatiua, Serptiua in ſerpentibus, Reptiua in lumbricis, qui per annulos mouentur.*

DE ANIMA RATIONALI.

ANIMA rationalis, eſt imago, & ſimilitudo hominis cum Deo. Ipſius quippe entitas diuinam ſuâ ſpiritalitate refert naturam; virtus motiua Patrem diuinum, facultas intelligendi Verbum æternum; voluntas verò, Spiritûs Sancti perſonam nobis repræſentat.

Platoni, in homine, anima eſt triplex,

nempe	*rationalis*	in	cerebro.
	concupiſcibilis		hepate.
	iraſcibilis		corde.

AVERROI, eſt duplex, *agens* vna, communiſque omnibus hominibus, & *immortalis*: *altera* verò cuilibet homini propria, & mortalis.

MANICHÆIS, *vna* eſt *bona*, ſeu lex mentis à Bono Deo condita: *altera* autem *mala*, ſeu lex membrorum, à Malo Deo producta.

IACOBO *Hæreſiarcha*, vna eſt *materialis*, mixta ſanguini, quâ corpus animatur; altera verò, *Spiritalis*, quâ ratio regitur.

OCHAMO, triplex eſt, putà *Vegetans*, *Sentiens*, *Rationalis*.

VNICA eſt in homine, quæ prout vegetat *dicitur* Vegetatiua; vt ſenſationem elicit, Senſitiua; vt autem diſcurrit, Rationalis *appellatur*.

Item vt veritatem contemplatur, & ſapit *Spiritus* nominatur, denique dum ardua ſuſpicit, & ſuſcipit, *Animus* nuncupatur.

DEFINITVR, actus primus corporis poteſtate proximâ vitam rationalem habentis.

Seu, primum principium quo viuimus, ſentimus, loco-mouemur, & ratiocinamur. Etenim quæ ſunt diſperſa in inferioribus ſunt vnita in ſuperioribus. Vnde cum homo ſit cuiuſlibet viuentis naturalis viuens præſtantiſſimum; hinc in eo ſunt omnes illius perfectiones.

EST IMMORTALIS, ſic enim ſapientes, & probi ſentiunt; quia eſt *ſpiritalis*; delectatur enim Harmoniæ concentu: at is ordine continetur: ordo autem nullo ſenſu eſt perceptibilis; nec enim eo Sus, aut Canis mouebitur: ſed Canis ollæ, Sus autem, alueoli ſono, è cujus imaginatione, offæ, & paſtûs recordatione, voluptate rapiuntur, & ad cibum accurrunt.

DEINDE, viri probi aduerſis vexantur, improbi

proſperis fruuntur. Vnde illud poëtæ

Aſpicimus lætoſque diu, florere nocentes
Vexarique pios.

QVAPROPTER *Virtus* in hâc vitâ non remuneratur, nec *Vitium* punitur: at non eſt reſpectu huius Vniuerſi minùs conſtans regula iuſtitiæ in moribus adminiſtrandis, quàm ordo naturæ in cauſis continendis; vt enim hic mundus eſt naturalis fabrica, ſic eſt & ſapiens monarchia: at mundus nullam ſui naturalis concentûs patitur inordinationem. Quamobrem nullum defectum admittit in morali ſuâ adminiſtratione: at ordo iuſtitiæ exigit vt nec *Crimen* punitione, nec *Virtus* remuneratione careat; cum autem id in præſenti ſæculo non contingat; neceſſe eſt id in altero euenire. Nec mirum quemadmodum enim grauius eſt *Crimen*, vt temporali ſuplicio expietur, ſic & præſtantior eſt *Virtus* quàm vt bono temporali remuneretur; nihil enim eſt in hoc mundo quod viri probi meritis, aut amore dignum ſit. Vnde ſapienter cecinit poëta

— *Nihil vitâ eſt quod amemus in iſtâ;*
Nec tamen incaſſum fas eſt nos credere natos.
Auctorem vitæ ſi iuſtum credimus eſſe,
Vita alia eſt nobis, illi viuendo paranda,
Cum quo poſt iſtam, poſſimus viuere vitam.

PRÆTEREA, quod diuinæ veritatis *ſplendore* illuſtratur, & bonitatis *ardore* accenditur eſt ſpiritale: at anima rationalis his ita accenditur, vt quandòque in exſtaſim rapiatur; quemadmodum euenit ijs qui orationis, & attentione, & intenſione, Deo vnicè adhærent. Hinc ijs, anima in ſomnis (vt potè tunc à ſenſibus magis ſoluta, plerùmque (prout ſcilicet Deus vult) eâ voluptate abſorbetur, quæ in cor hominis non aſcendit.

ITEM forma abſtracta à materiâ eſt ſpiritalis : anima rationalis eſt abſtracta à materiâ ; cognoſcit enim formas vt à materiâ ſeparatas ; v. g. albedinem, ſine ſubiecto ; humanitatem, ſine indiuiduis, angelum, ipſum denique Deum : at *operari* ſequitur *eſſe*. Igitur anima rationalis eſt abſtracta à materiâ, ſeu immaterialis.

DEMVM, *quia* forma cuius facultates ſunt ſpiritales, eſt immaterialis : at facultates animæ rationalis ſunt ſpiritales. Nempe *intellectus*, & *voluntas* ; ſunt enim nobis communes cum Deo, & Angelis.

Tum, quia facultas vniuerſalis eſt ſpiritalis : at intellectus, & voluntas ſunt facultates vniuerſalés ; intellectus enim noſter eſt actu cognoſcitiuus veri vniuerſim, vt & noſtra voluntas eſt actu appetitiua omnis boni ; quicquid enim Deo minùs eſt, eam non implebit.

DICES, ſenſus eſt vniuerſalium : ſenſus non eſt ſpiritalis.

NEGO *maj.* Facultas enim dicitur vniuerſalium quę actu, per ſe poteſt percipere vniuerſalia in abſtracto: at ſolus intellectus id præſtare poteſt, non ſenſus ; viſus enim vniuerſim non cognoſcit actu niſi per viſum huius animalis : at viſus huius animalis nequit cognoſcere niſi hunc colorem, qui ipſum de potentiâ reducit ad actum.

DICES 2. quod pendet à ſenſibus vt operetur eſt materiale ; v. g. appetitus ſenſitiuus : at intellectus pendet in ſuis operationibus à ſenſibus ; oportet enim intelligentem ſpeculari phantaſmata.

DISTINGO *maj.* Quod pendet eſſentialiter à ſenſibus vt operetur eſt materiale, C. accidentariò, N.

Quod pendet eſſentialiter à ſenſibus vt operetur, v. g. appetitus ſenſitiuus ; non item quod ab ijs acciden-

tariò tantùm dependet eſt facultas materialis : at intellectus dependet tantùm accidentariò à ſenſibus vt operentur ; poteſt enim ſine ijs operari ; dum videlicet cognoſcit per ſpecies à Deo infuſas.

Deinde cum intellectus viâ naturali cognoſcit, vtitur ſolùm ſenſibus tanquam inſtrumentis, non vt principijs elicitiuis ſuarum operationum; alioqui intellectus à ſenſu non differret, quod eſt abſurdum ; homo enim ſolùm diſtingueretur à belluis ſecundùm magis, & minùs.

Tum quia intellectus hebeſceret deficientibus ſenſibus; ſicut viſio ſenis imbecillior eſt viſione iuuenis ; quòd in hoc viſus ſit vegetior ; in illo autem ſit debilior : at intellectus non hebeſcit, marceſcentibus ſenſibus ; nam ſenectus eſt conſilij vt ſapientiæ, & prudentiæ ſedes. Hinc iudicum cœtus, ſenatus appellatur. Hinc quò magis corpus marceſſit ; anima magis effloreſcit.

HINC triplex fuit de *animæ rationalis* immortalitate, ſententia, *nempe*.

Pithagoræ, *μετεμψύχωσις*. Platonis, *παλιγγένεσις*. Reliqvorvm, *ἀνάστασις*.

Μετεμψύχωσις, eſt traductio animæ de corpore in corpus; *putà* de humano, in *Leoninum*; de Leonino, in *Ceruinum*, &c. Hinc illud

Parcite vaticinor cognatas, cæde nefandâ
Exturbare animas, nè ſanguine, ſanguis alatur.

Παλιγγένεσις, eſt iterata generatio hominis eiuſdem numero, putà Petri, quæ ad mentem *Platonis* poſt magnum annum debebat contingere ; ſeu vt quibuſdam placet poſt 25000. annos; aliis verò poſt 36000. &c.

Ἀνάστασις, eſt reſurrectio, ſeu iterata corporis informatio ab eâdem animâ quá ante mortem priùs in-

ſtructum fuerat; hæc facilè creditur à fidelibus, & clarè ab eo percipitur qui ſui corporis immutationem in exſtaſi ſenſit; vt expertus eſt Apoſtolus.

TRIPLEX, eſt facultas animæ rationalis; putà INTELLECTVS, VOLVNTAS, VIS MOTRIX.

DE
INTELLECTV HVMANO.

INTELLECTVS HVMANVS (quandiù anima rationalis corporis vinculo conſtringitur) eſt facultas diſſerendi è phantaſmatis à ſenſibus deriuatis.

Vocatur	mens judicium ratio	[quatenus	apprehendit. affirmat, aut negat. diſcurrit.

INTELLECTVS, *definitur* facultas ſpiritalis cognoſcitiua omnis veri ad præſentiam phantaſmatum.

Siue facultas cognoſcitiua vniuerſalis per ſpecies intelligibiles ad præſentiam phantaſmatum, cuſas.

INTELLECTVS eſt, *vel*

1. SPECVLATIVVS, qui conquieſcit in obiecti ſui contemplatione.

2. PRACTICVS, qui cognoſcit, vt operetur.

Finis ſpeculatiui, VNICVS eſt, putà veritatis contemplatio. Finis autem practici, PROXIMVS eſt operis cognitio; REMOTVS eſt huius productio; Architectus enim vt architectus, ædificium cognoſcit, tum id ipſum conſtruit.

INTELLECTIO, hìc eſt cognitio ſpiritalis è conuerſione ad phantaſmata, à ſenſibus externis deriuata.

Intellectio differt à *ſenſatione*, quòd hæc ſit ſolùm actu cognoſcitiua ſingularium materialium, commu-

niſque homini cum belluis: *intellectio* autem ſit materialium, & ſpiritalium ſingularium, & vniuerſalium, hominique communis cum Deo, & Angelis.

COGNITIO *generatim*, eſt vitalis aſſimilatio potentiæ cognoſcitiuæ cum obiecto cognito. Cognitio perficit amorem, amor, cognitionem.

Cognitionis excellentia, deſumitur è *nobilitate*

1. *Facultatis cognoſcentis*; hinc imaginatio, nobilior eſt viſione; intellectio, imaginatione.

2. *Modi tendendi in obiectum*; ſic ſpeculatio, nobilior eſt praxi; quia illa obiectum ſuum propter ſe contemplatur; praxis uerò alterius, putà operis gratiâ.

3. *Motiui*, ſeu *medii*; ſic ſcientia præſtat opinione; quòd hæc per medium contingens; illa verò per neceſſarium cognoſcat.

4. *Obiecti*; ſic cognitio Angeli nobilior eſt cognitione cœli; quòd angelus ſit obiectum præſtantius cœlo.

Ad intellectionem humanam, intellectus, phantaſia, ſenſus externus, huius organum, ſpecies intentionalis; tum conditiones ad laudabilem ſenſationem requiſitæ. Hâcque ratione fit

OBIECTVM ſenſibile ſui ſimilitudinem per medium diffundit, eamque ſenſui externo imprimit; ſenſus verò externus, illâ imagine, veluti ſemine fœcundata aliam exprimit, fitque externa ſenſatio; tum ſimilis imago intentionalis ſubit phantaſiam, cuius virtute imaginatio inſtructa, cudit *phantaſma*; quod, ab INTELLECTV AGENTE, velut *lumine* irradiatum detegitur, & ſimilis *ſpecies* ab ipſo effingitur, eâ in *Intellectu Patiente* receptâ, hic cum *Intellectu Actiuo*, VERBVM *mentis* concipit; huiuſque *Verbi* conceptio, eſt *Intellectio*.

Unde qui intelligit, *concipit*, nam ſimilitudinem rei cognitæ, ſubſtantialem producit, (v. g. Pater Divinus generando Verbum) *vel* accidentariam efformat, v. g. dum quis Solem cognoſcit: at ſimile efformare eſt concipere. Unde dum terra fœcundata glande, germen excitat; & fermentat, quercum concipit.

INTELLECTIO eſt, *vel*

Conceptio, *vid.* pag. 84. tom. 1.

Cogitatio, ſeu intellectio rei obiter ſpectatæ: vel inquiſitio veritatis. Unde dicitur volubilis.

Studium, eſt vehemens, & aſſidua ad rem aliquam magnâ cum voluntate applicata occupatio. *Vid.* pag. 5 tom. 1.

Meditatio, eſt attenta rei cognitæ obſervatio.

Contemplatio, *vid.* ſpeculatio pag. 16. to. 1.

Praxis, eſt cognitio, & operis productio, *vid. ibi*

Scoto, eſt actus alterius potentiæ ab intellectu, poſterior intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi, ut ſit actus bonus.

Potentia *cognoſcens*; & cognitio, ſunt efficienter rei cognitæ ſimilitudo.

Species expreſſa. facit rem eſſe actu intellectam; *impreſſa* verò ſolùm eſſe intelligibilem: hæc enim eſt virtualis; illa verò formalis ſimilitudo rei: utraque autem eſt medium non cognitum.

Species objectiva eſt medium cognitum. Hinc priùs cognoſcitur quàm objectum quod repræſentat, v. g. ſtatua Henrici Magni, quàm Henricus Magnus: ſpecies verò intentionalis poſteriùs cognoſcitur, quàm ejus objectum. *vid.* pag. 49. tom. 1.

MEDIUM cognitionis iterum eſt, *vel*

ſub quo	v. g.	lumen.
quo		ſpecies intentionalis.
in quo		ſpeculum.

Tom. 1.

PRIMUM medium eſt commune; nam eodem lumine plura objecta poſſunt percipi. *Secundum* eſt vni proprium; ſimilitudo enim objecti ei ſoli convenit: at ſpecies intentionalis eſt objecti ſimilitudo. *Tertium* demum ſolam exhibet rei apparentiam.

VNVM poteſt cognoſci

in alio	v. g.	concluſio, in præmiſſis.
per aliud		vniverſalia, per ſingularia.
ex alio		effectus, è cauſa.

INTELLECTUS *Humanus* eſt, *vel*

1. AGENS, qui phantaſmata, inſtar luminis illuſtrat, cuditq; ſpecies intelligibiles quibus objecta cognoſcit.

PATIENS, eſt is qui imagines ab intellectu elaboratas recipit, & cum ipſo *verbum* concipit.

Intellectus agens intelligendo facit; *patiens* verò fit *omnia*; rerum ſcilicet in ſe ſimilitudines recipiendo, ſicut lapis fit *Iupiter*, figuram Jovis induendo.

AD intellectum ſpectant

MEMORIA *intellectualis*; ſeu *ſpiritalis notitia rei priùs cognitæ, cùm tempus interceſſerit.*

REMINISCENTIA, ſeu reſumptio per præſentem memoriam, priùs habitæ, tum obliteratæ cognitionis, v. g. inquiſitio, & recuperatio notitiæ hominis, cujus oblivio nos ceperat, per locorum, ludorum, vel ſimilium præſentem memoriam. Platoni, eſt vitæ ſuperioris recordatio.

Memoria intellectualis à *ſenſitivâ* diſcrepat, quòd *hæc* ſit tantùm ſingularium ſenſibilium, *illa* verò ſit ſingularium & vniverſalium, ſenſibilium & intelligibiliũ.

Reminiſcentia à *memoriâ* intellectuali differt, quòd *hæc* ſit ſine inquiſitione, & comparatione: *illa* autem has exigat.

EVIDENTIA *cognitionis* intellectûs humani, eſt cognitio rerum ut ſunt, vel per ſe, vel per ſuas ſpecies.

Certitvdo eſt imperturbabilitas, quâ quis noſcit firmiſſimè rem non poſſe aliter, & aliter ſe habere.

EA eſt *vel*

1. *Subiecti*, cum ſcilicet cognoſcens ita adhæret cognitioni ſuæ, vt nullo pacto ab eâ poſſit diſturbari.

2. *Medij*, cum videlicet hoc indiſſolubilem habet connexionem, cum re cognitâ.

3. *Obiecti*, dum nimirùm obiectum eſt immutabile.

TRIPLEX eiuſmodi *certitudo*, eſt in eo qui certo, & euidenter cognoſcit exiſtentiam Dei per exiſtentiam creaturarum.

Certò cognoſci nequit quis ſit hominum numerus degentium in mundo; eſt enim res contingens.

Item nequit certò cognoſci exiſtentia Dei, eò quòd omnes populi conſentiant Deum exiſtere; nam populorum conſenſus non eſt medium neceſſarium.

Sic etiam qui cognoſceret Deum per creaturas, nec penetraret neceſſariam, & eſſentialem dependentiam creaturæ à Deo: certò Dei exiſtentiam non perciperet; deeſſet enim firmitas è parte ſubiecti.

DE VOLVNTATE HVMANA, ET FACVLTATE MOTRICE.

QVEMADMODVM Intellectus eſt manvs *animæ*; ſic & Voluntas eſt eius pes; ſicut enim *Manu*, ea quæ ſunt extra nos trahimus: ſic *Intellectu* res abſentes, & remotas nobis quaſi præſentes ſiſtimus, (hinc quemadmodum in manu ſunt quinque digiti quorum quatuor ſunt tribus articulis diſtincti; ſic in intellectu noſtro ſunt quinque virtutes, quarum quatuor quæ ratiocinio comparantur tribus terminis, velut articulis conſtant,) ſimiliter voluntate in res

veluti *Pede* extra nos ferimur. Vnde anima, eſt pliùs vbi *amat*, quàm vbi *animat*.

Volvntas *humana*, eſt appetitus rationalis, v. g. inclinatio in res Diuinas.

Item, eſt appetitus vniuerſalis. *Vid. in Mor.*

Differt ab appetitu ſenſitiuo; quod hic ſit appetitus *particularis*, & homini *communis* cum belluis: voluntas verò eſt appetitus omnis boni, hominique *communis*, cum Angelis.

Vis motrix, eſt virtus quâ animâ rationalis poteſt ſeſe localiter mouere, & ſecundùm eam animabus beatorum agilitas attribuitur.

Libertas *arbitrij*, pertinet ad intellectum, & voluntatem, imò, & ad vim motricem; quia eſt virtus actiua, cuius radix eſt *intellectus*; ſedes autem, *voluntas*.

Intellectus humanus præ imbecillitate inter operandum poteſt à veritate deficere; necnon voluntas præ ſuâ indifferentiâ inter agendum ab honeſtate deſciſcere. Quamobrem neceſſaria eſt duplex diſciplina animæ rationalis perfectiua, *nempe*.

Dialectica, quæ mentem acuat, eamque infallibiliter ad veritatem ducat.

Ethica, quæ voluntatem regat, & ad honeſtatem per certa benè, beatèque viuendi præcepta dirigat. Quapropter de ijs nobis in poſterùm eſt dicendum.

Cvm *Creaturæ* ſint Speculum in quo Dei *Gloria*, vt in ænygmate conſpiciatur, (Lectores amantiſſimi,) cognitis, *in hâc Summulâ*, viſibilibus creaturis; earum *conditoris immenſam Maieſtatem*

Lavdate, Honorificate, Glorificate,
Exaltate, et svperexaltate
in infinita annorum ſæcula.

VENTILATIO
DELIRIORUM
CARTESII.

CARTESIUS (qui, in *ſuâ præfat.* Se ſolum ſapientem unicè jactitat) fuit, non modò ullius eruditionis, aut litteraturæ, ſed & imbecillæ rationis, vanique ſtudii; quippe qui, ut primùm ipſi licuit manum ferulæ ſubducere, prorsùs literis vale dixerit; ita ut in poſterum præſumpſerit nullam, niſi in ſeipſo, vel in vaſto mundi volumine, ſeu potiùs in Hypocauſto ſcientiam reperire; ſolidos ſcilicet dies inaniter terendo, necnon deluſæ imaginationi indulgendo. Ut patet *pag.* 8. *diſſert. de methodo* (quæ, ibid. pag. 3. à Carteſio dicitur non *Hiſtoria*; ſed *Fabula* narratio.) Ubi ſic habet: *Ubi primùm mihi licuit per ætatem, è præceptorum* carcere, *cuſtodiâ*, inquam, *exire, literarum ſtudia prorsùs reliqui, captaque Conſilio, nullam in poſterum quærendi ſcientiam* (rectiùs dixiſſet inſcititiam) *niſi quam, vel in me ipſo, vel in vaſto mundi volumine poſſem reperire.* Et infra ſic habet pag. 9. *totos dies ſolus in Hypocauſto morabar, ibique variis meditationibus.* (Veriùs dixiſſet vanis illuſionibus.) *Placidiſſimè vacabam.* Quam igitur reprobi ſit ſensûs erga ſcientias, quàmque eas malè excipiat, & ab iis ſit exceptus, id ipſum fatentem, quæſo, audite *init. cit. diſſert.* (Ubi ſcientias omnes pluſquam alter Agrippa. Ut & in *ſuâ Praf.* apertè evertere conatur.) *Eloquentiam* (inquit) *valdè æſtimabam, & non parvo Poë-*

V

ſeus amore incendebar : ſed utramque inter naturæ dona potiùs, quàm inter diſciplinas numerabam. Hinc paulò poſt, maximo ornatu, & dicendi ſuavitate, abſque Rethorices arte, poſſe Eloquentiam à nobis poſſideri, temerè audet aſſeverare, ſicque utramque è numero artium expungit Diſciplinam : neque à *Naturâ*, ad *Diſciplinam* vult nos promoveri : verùm à *Diſciplinâ*, ad *Naturam* deſciſcere. Profectò, cùm *Poëſim*, & *Eloquentiam* deſideraret : deſiderium autem ſit boni abſentis ; ſanè neutram nec *Arte*, nec Naturâ poſſedit facultatem.

De Theologia nihil feliciùs dixit, imprudenter enim, ne dicam impudenter, *loc. mox cit. ſua diſſert.* aſſerit ſe, pro certo, & explorato accepiſſe, iter, quod ducit ad Beatitudinem, doctis non magìs, quàm indoctis patere. Sic enim habet, *Theologiam* (Romanam, an Hollandicam neſcio) *noſtram reverebar, nec minùs, quàm quivis alius Beatitudinis æternæ compos fieri exoptabam : ſed cùm pro certo accepiſſem, iter quod ad illam ducit, doctis, non magìs patere, quàm indoctis ; veritateſque à Deo revelatas, humani ingenii captum excedere, verebar ne in temeritatis crimen inciderem, ſi illas* Imbecillæ rationis meæ examini, *ſubjicerem.* Ideoque veritatibus Theologicis non vacavit ; ſicque fuit Theologiæ ignarus.

ADVERSUS *Philoſophiam*, atrociùs, quàm in quamlibet Diſciplinam inſurgit ; *ibid.* enim, *de Philoſophiâ*, inquit, *nihil dicam, niſi quod ſcirem, illam à præſtantiſſimis omnium ſæculorum ingeniis fuiſſe excultam, & nihil tamen in eâ reperiri, quod non in utramque partem diſputetur ; hoc eſt, quòd non ſit dubium, & incertum, non tantùm ingenio meo confidebam, ut aliquid in eâ melius à me, quàm à cæteris* (inquit) *inveniri poſſe ſperarem.* Enimverò ſi in Philoſophiâ nihil eſt, quod non ſit *dubium*, & *incertum*, nulla inter homi-

nes ſupererit Fides, vitæ ſecuritas, Religio, Pietas, Etenim ubi licet deliberare de ſervandis promiſſis, mactandis Magiſtratibus, & Amicis, colendo Deo, & Parentibus, necnon Patriâ prodendâ: nulla Fides, vitæ ſecuritas, Religio, Pietas: at, ubi quodlibet eſt dubium, de iis omnibus fas eſt deliberare. Etenim de dubiis deliberare licet. Videant, qui volunt audiri, Diſcipuli D. Auguſt. cùm adverſùs Academicos, tam elegantes Libros conſcripſerit, quomodo hunc Academicum, & Pyrrhonium tanquam ſuum Philoſophum agnoſcere audeant.

Item ſi quodlibet in Philoſophiâ dubium eſt & incertum, Exiſtentia Dei, & animæ immortalitas erit dubia: at id dicere eſt, Impium & Blaſphemum; an Carteſius præ ſuæ rationis imbecillitate, & defectu ſtudii Philoſophici id viderit, neſcio.

Hîc ſcriptorum errores, & imperitiam carpo; non perſonæ mores; de internis enim non judicat Prætor; præſertim cùm ſua ſcripta ſubjecerit cenſuræ Eccleſiæ Romanæ.

Pauló poſt cæterarum ſcientiarum ſtabilitatem ſimul evertere contendit. *Cæteras*, inquit, *ſcientias, quoniam à Philoſophiâ, principia ſua mutuantur, nihil illas valdè ſolidum, & fixum tam inſtabilibus fundamentis ſuperſtruere, potuiſſe arbitrabar.* Hinc profectò, *nequidem extremis*, ut aiunt, *labris prima ſcientiarum elementa, delibavit. O verè unicum inter homines ſapientiæ Reparatorem.*

IN DIALECTICAM, evidentiſſimum ſuæ ignorantiæ protulit argumentum, *pag.* circiter 5. *ſua præf.* ubi ait Logicam rectæ rationis ordinem perturbare. Unde 1. part. princ. phil. p. 3. n. 10. *Sæpe*, inquit, *adverti Philoſophos in hoc errare, quòd ea, quæ ſimpliciſſima erant, ac per ſe nota, Logicis definitionibus explicare conarentur, ipſa obſcuriora reddebant*; quaſi

diceret architectum, eò magis perperam, & inordinatiùs ædificium conſtruere, quò magis Architecturæ regulas obſervat. Hinc Logica (*quæ ſola ſcit ſcire, quæ ſola ſcientes facere poteſt, quæ eſt janua ſcientiarum, quâ clauſâ, clauduntur, & quâ apertâ cæteræ patent,* inquit Auguſt. Doctor, communi ſapientum conſenſu & luce veritatis compulſus.) Carteſio, non eſt Philoſophiæ pars; ſiquidem illi Philoſophia eſt arbor, cujus radix eſt Metaphyſica, truncus eſt Phyſica; rami, Medicina, Mechanica, & Moralis: & ratio à priori, cur è partibus Philoſophiæ Logicam exceperit, eſt quod illius fuit ignarus. Sicque voluit fingere ſe omnes Philoſophiæ partes adæquatè pertractaſſe; licet de ipſâ Logicâ, in ejus ſcriptis (niſi ad ipſam evertendam) altum fuerit ſilentium.

DE MORALI, quæ docet benè, beatéque vivere, nihil niſi nonnulla de paſſionibus, quas fictitiis Anatomiæ commentitiæ ſuppoſitionibus intricat, effutiit. Cæterùm *differt. cit.* veterum omnium Ethnicorum ſcripta Moralia more ſuo audacter, ſed perperàm ignorantiæ criminatur. *Veterum,* inquit, *Ethnicorum* (ſubintellige Triſmegiſtum, Socratem, Platonem, Ariſtotelem Philoſophorum Principem, & ſimiles viros quorum ſublimem eruditionem perpetua demirabitur temporum ſeries.) *Moralia ſcripta, palatiis ſuperbis admodum. & magnificis; ſed arena tantùm, aut cœno inædificatis, comparabam. Virtutes ſummis laudibus in cœlum tollunt, eaſque cæteris omnibus rebus anteponendas eſſe rectè contendunt: ſed non ſatis explicant, quid pro virtute ſit habendum, & ſæpè quod tam illuſtri nomine dignantur, immanitas, potiùs & durities, vel ſuperbia, vel deſperatio, vel parricidium dici debet.*

IN MATHEMATICIS, planè indoctus fuit; ſiquidem non admittit illarum objectum; etenim objectum Ma-

theſeus, eſt quantitas abſtracta à materiâ ſenſibili: at Carteſio quantitas nequidem ratione poteſt à materiâ ſenſibili abſtrahi; cùm ſit eſſentia materiæ, ut vult Carteſius: at res nequidem ratione à ſuâ eſſentiâ poteſt ſeparari. Unde cum Matheſis naturam ignoraverit, finxit Mathematicarum amplitudinem, & excellentiam, ad vilem Mechanicarum uſum ſolummodò reſtringi: quaſi diceret totum eſſe tantùm ſuæ deterioris partis ergò; v. g. hominem eſſe ſolum ſui calcis gratiâ. Sic enim ille *ibid. Mathematicis præcipuè diſciplinis delectabar, ob certitudinem, atque evidentiam rationum, quibus nituntur: ſed nondum præcipuum earum uſum agnoſcebam, & cum ad artes Mechanicas, utiles eſſe mihi viderentur, mirabar fundamentis adeò firmis, & ſolidis, nihil præſtantius fuiſſe ſuperſtructum.*

Nec tamen iis vult nos inniti; nam 1. *part. princ. Phil. n.* 5. ſic habet, *dubitabimus etiam*, inquit, *de reliquis*, quæ anteà *pro maximè certis habuimus, etiam de Mathematicis demonſtrationibus, etiam de principiis, quæ hactenus putavimus, eſſe per ſe nota.* Hinc de Mathematicis, nihil niſi *Dioptrices* deliria, aut figuras, inanitatem referentes, effinxit. Inde inter ſuæ Philoſophiæ partes, non Mathemathicas: ſed Mecanicam refert *in ſuâ præf.*

PHYSICAM pariter ignoravit; nulla quippè eſt ſine Logicâ: at Carteſius fuit expers Logicæ. Item Phyſicæ ut & totius Philoſophiæ terminorum vim non percepit, ut patet ex ejus ſcriptis. Hinc quemadmodum, nec *Scarabeus*, cum Aquilis volat: nec *Veſpertilio*, cum *Luciniis* concinit; ſic nec Carteſius, cum Philoſophis ſermocinatur.

Deinde *Natura* eſt primum Phyſicæ principium; Phyſica enim eſt ſcientia Naturæ: at Carteſius non intellexit quid ſit *Natura*; hæc enim eſt radicale prin-

cipiu n motûs, & quietis ejus in quo eſt. vid. tom 1. p. 185. at Carteſius nullum admiſit principium intrinſecum motûs, & quietis; etenim illi, Deus ſolus eſt principium motûs, & quietis; ſic enim habet 2. part princ. phil. n. 36. p. 53. *Deus qui materiam ſimul cum motu, & quiete in principio creavit, jamque per ſolum concurſum ordinarium tantumdem motûs, & quietis in eâ totâ, quantùm tunc poſuit, conſervat*: idque deliravit, *ne quæ inde inconſtantia in Deo arguatur*, ait ibid. pauló poſt.

Præterea ignoravit objectum *Phyſicæ*; hoc enim eſt *corpus naturale*; at corporis naturalis eſſentiam ignoravit; etenim Cârteſio, 2. part princ. phil. n. 4. p. 35. *Natura materiæ, ſive corporis, eſt quod ſit res extenſa in longum, latum, & profundum*: at extenſio in longum, &c. non eſt eſſentia corporis; eſſentia enim non dicitur paronymè; non enim dicitur homo eſt humanus: at extenſio dicitur paronymè de corpore: dicitur enim corpus phyſicum eſt extenſum, mathematicum autem eſt extenſio. Non hic moror quód non diſtinguat corpus à materiâ: quód alibi materiam cum ſubſtantiâ confundat, & materiam, & ſubſtantiam cum principio; id enim ejus imperitiæ condonandum.

Deinde quantitas non eſt ſubſtantia, extenſio in longum, latum & profundum eſt quantitas; corpus naturale eſt ſubſtantia.

Item eſſentiæ rerum ſunt indiviſibiles, & inviſibiles; alioquin perciperentur à belluis; ſicque ſcientia non reſideret in ſolo intellectu: at extenſio eſt, & diviſibilis, & viſibilis.

Præterea exiſtunt corpora diverſæ ſpeciei: at extenſio eſt ejuſdem ſpeciei in omnibus. Item partes eſſentiales ſunt etherogeneæ: partes autem extenſionis ſunt homogeneæ.

Rursus eſſentiæ rerum ſunt activæ; ut patet ex-

perientiâ, etenim natura nihil patitur otioſum; ſiquidem unumquodque eſt propter operari. At extenſio nullius eſt activitatis.

ITEM eſſentia definitione continetur: at definitione, v. g. equi (puta dum dicitur animal hinnitivum) extenſio non continetur; nec enim eſt quid primum in corpore; ſiquidem in eo eſt aliquid extenſione prius; nimirum extenſionis fulcrum, &c.

CARTESIUS ignoravit principia corporis naturalis. *Rerum* enim *materia & ſubſtantia* (hic confundit ſubſtantiam & materiam cum principio) inquit, *ſunt quantitatis particulæ, quæ motûs, ſitûs, & figurarum varietate, rerum diverſitates conſtituant.* Hinc quidam è ſuis id fabricavit

Moles, atque quies, motus, poſitura, figura,
Mens, & materies, cunctarum exordia rerum.

Hoc ſupponit quòd corporis eſſentia ſit extenſio, quod ſufficienter modò ventilavi & explauſi; deinde id prius deliraverant Democritus & Epicurus; niſi fortè, quód ille particulas in infinitum diviſibiles; hi veró indiviſibiles eſſe finxerunt: at parùm pro nihilo habetur. Hincque mirabilia quæ Deus poſuit ſuper terram; ipſiuſque gloriam quâ pleni ſunt cœli & terra necnon ſapientiæ, bonitatis, potentiæque Divinæ inſcrutabilia opera, ineptiſſimè ad extenſionem, figuram, & motum contraxit. Sicque ſiderum ſplendorem obſcurat, ignis calorem extinguit; florum colorem deturpat; magnificam, & magnificentiſſimam, rerum diverſitatem, ad inopiæ anguſtias redigit, anni tempeſtates confundit, plantarum germinationem enecat, animas belluarum occidit, hominem ſenſu externo privat: uno verbo ſuſdeque omnia diſturbat.

SI RES NATURALES ſolo Sitûs, Figuræ, & Motûs diverſitate diſcreparent, Ars poſſet aſſequi opera Naturæ; nam illa, v. g. Horologiaria, Fræne-

factoria, &c. Res ejuſmodi producit: at ars nequit aſſequi opera naturæ; eſt enim hujus Simia tantùm, non autem perfectè imitatrix; Statuaria quippe, ſtatuas, non homines, pecudes, aut plantas efformat; non enim facit, ſed ſupponit opus naturæ, tanquam ſubjectum in quod ſuam formam introducat, v. tom. 1. p. 173.

Deinde, ſi res naturales ſolius figuræ varietate differrent; lapis poſſet fieri planta; quemadmodum cera circularis, poteſt evadere quadrata; imò lapis ſculptus in arborem, ab arbore non differret; non enim hæc haberet ſitûs, ab illo, aut figuræ diverſitatem.

Prætereà, corpus naturale foret ſolùm ens per accidens; conſtaret enim è materiâ, & figurâ, quæ ſunt diverſi generis: at corpus naturale non eſt ens per accidens; eſt enim ſpecies ſubſtantiæ: at ſpecies ſubſtantiæ non eſt ens per accidens. Deinde corpus naturale eſt una natura; v. g. planta. Definitur enim compoſitum è corpore, & animâ vegetativâ: at ens per accidens non eſt una natura.

Item nulla daretur forma ſubſtantialis: at datur forma ſubſtantialis; actus enim primus corporis naturalis, eſt forma ſubſtantialis; hoc enim ipſum eſt quod à nobis forma ſubſtantialis appellatur: at ejuſmodi actus exiſtit. Nam radicale principium cujuſlibet perfectionis accidentalis, eſt actus primus: at in corpore naturali eſt radicale cujuſlibet perfectionis accidentalis principium; putà in igne; in eo enim eſt intrinſecum principium motûs ſurſum, illuminationis, calefactionis, figuræ illius pyramidalis, luminis, caloris, &c.

DEINDE, in plantis eſt forma ſubſtantialis; putà principium vitæ; nam plantæ vivunt; idque Auguſtus doctor l. 1. de civit. Dei, c. 20. probat autho. Sacræ ſcrip. Sic enim habet, *quidam, hoc præceptum* non occides, *etiam in beſtias, ac pecora ce-*

nantur extendere; cur non ergo, & herbas, & quicquid humo radicitùs alitur, ac figitur; nam & hoc genus rerum, quamvis non ſentiat, vivere dicitur; ac per hoc poteſt & mori. Unde & Apoſtolus, tu (*inquit*) quod ſeminas, non vivificabitur, niſi priùs moriatur. *Et in pſal. ſcriptum eſt.* Occidit vites eorum in grandine. Hinc alibi ſic habet, *vita vel quæ nutrit, & continet, qualis eſt in arboribus; vel quæ hæc habet, & ſentit, qualis eſt in pecoribus, vel quæ hæc habet & intelligit, qualis eſt in hominibus &c.*

Belluas animam habere liquet è ſcripturis paſſim, gen. 1. *Creavit* (die 4.) *Deus cete grandia, & omnem animam viventem.* Item ibid. *producat terra animam viventem.* Idque ratione, & experientiâ compertum eſt. Nam nutriri, creſcere per intuſſuſceptionem, & generare, ſunt operationes animæ: at videmus eas Nutriri; voluptate enim paſtûs, vel potûs; aut dolore famis, vel ſitis excitatæ comedunt, aut bibunt. Item Crescere *per intuſſuſceptionem*, non per juxta-Poſitionem. Tum & Generare; *canis quippe catulos*; corvus, corvos parit. Id luculenter patet è facto Jacob, rerum naturalium peritiſſimo, gen. 30. his verbis; *ut cum veniſſent greges ad bibendum ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent. Factumque eſt ut calore coïtus, oves intuerentur virgas & parerent, &c.* Vid. ad quas ignorantiæ anguſtias figmentum Carteſii redegerim tom. 1. p. 175. 176. &c.

Ignoravit naturam motûs (ſine cujus tamen notitia, Phyſica nulla eſſe poteſt; hæc enim eſt ſcientia naturæ: porrò natura eſt principium motûs, & quietis.) Nullum enim, cum imperitâ plebe, præter motum localem agnovit. *Motus* (inquit 2. part. princ. phil. n. 24. pag. 45.) *ſcilicet localis, neque enim ullus alius, ſub cogitationem meam cadit; nec ideò etiam*

nullum alium in rerum naturâ fingendum puto.

Profectó præter motum localem, nullus eſt in rerum natura fingendus, ſed admittendus; nimirum *accretio, dec etio*, & *alteratio*; etenim quælibet ex his eſt mutatio ſucceſſiva; hæc autem eſt motus.

Hîc & paſſim, res ſuæ cogitationis modulo menſurati vult. Quaſi imperitus quidam non pictor, ſed colorum deperditor, homines, aut quid ſimile, quod repræſentare voluiſſet, ſuis monſtruoſis imaginibus menſurari contenderet: item ſcripta ſua, ut hîc videre eſt (quæ Philoſophiæ titulo, ut fucum faciat, & imperitum vulgus deludat, temerè inſignit) non poëticis, ſed ridiculis fictionibus ubique tractat: nec tamen ideò ſcientiarum methodos confudit; nullam enim unquam ex iis didicit.

D e i n d e plantæ moventur; quia ſucceſſivè aliquid aut acquirunt, aut deperdunt; etenim ad debitam naturæ ſuæ magnitudinem ſenſim promoventur: at localiter non moventur: non enim tranſeunt de loco ad locum. Item nec fructus, ex iis pendentes: qui tamen moventur: dum ſcilicet de ingratis palato, acidis, & immaturis, matureſcunt, & ſaporum ſuavitate condiuntur, &c.

P r æ t e r e a Carteſius ignoravit etiam quid ſit *motus localis*, (quo tamen nihil facilius & præter quem, ut ait, nullus eſt fingendus.) ſic enim *loc. mox. cit.* motum, verborum ambagibus, in quibus nihil myſterii eſt præter obſcuritatem, intricat, *motus eſt* (inquit) *tranſlatio unius partis materiæ, ſive unius corporis è viciniâ eorum corporum, quæ immediatè contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum*. Quaſi verò dum globus ferreus, è tormento bellico exploditur, ſecundùm aliquam ſui partem tantùm: non autem ſecundùm ſe totum, & totaliter moveatur. Cætera non moror, tempus enim mihi de-

ficeret in ejuſmodi nugis explaudendis.

Imò ignoravit ipſe etiam vulgò receptam motûs localis definitionem: nam hæc eſt, *tranſitus à loco ad locum*: cujus vice hanc nobis corruptè injicit, nempè *actio, quâ corpus aliquod, ex uno loco in alium migrat*. Sicque Angeli localiter non moverentur; quam tamen *definitionem* non recepit, ne videretur ſe habere in ſcientiis, aut ſuperiorem, aut æqualem.

CARTESIUS, circa lumen, penitùs, cæcutiit; ut patet init. c. 6. nu. 2. Dioptrices p. 116. *Cogitandum, inquit, illam animæ noſtræ naturam eſſe ut per vim motuum, qui in illâ cerebri regione occurrunt, unde tenuïa nervorum opticorum fila oriuntur, luminis ſenſum* (tyro Philoſophiæ, viſibilitatem, non ſenſum diceret,) *percipiat*. Hic Andabatarum more, ut & ubique ſuis in ſcriptis, vocabula nihil ſignificantia confundit.

Quid ſit lumen (cujus tamen naturam hic è profeſſo nobis promittit elucidare) nec definitione aperit, nec notatione nominis nobis exponit: & ratio eſt; quia utramque, ut, & cætera, quæ in Philoſophiâ pertractantur prorsùs ignoravit.

Fingit animam noſtram percipere ſenſum luminis: at lumen ſenſu caret. Ideoque nequit percipi ab animâ ſenſus luminis: ſed viſibilitas. *Sentit*, inquit, *noſtra anima in illâ regione cerebri*, &c. Putat quemlibet in cerebro vaſtas habere regiones: at illud eſt abſurdum.

Fingit *per vim motuum, lumen percipi*. Quaſi verò, commotio ſit affectio cerebri cognoſcentis, non verò cerebri offenſi ſymptoma. Id fingit; ſed quomodo, vel quando id fiat, ſilentio prætermittit. Percipitur, inquit, *ubi tenuia nervorum opticorum fila oriuntur*: ſed hoc ipſi αὐτοψίᾳ, ſeu rei evidentiæ repugnat, ut omnes norunt Anatomici, & pluribus annis dum Anatomicis diſſectionibus interfui, hiſtoriam

corporis humani, exponentibus celeberrimis Medicis, & demonſtrantibus peritiſſimis Chirurgis, addiſcendo, ipſe oculatus teſtis annotavi. Subſtantia cerebri circa nervorum opticorum originem coagulatur, tum inraſſeſſit, & ſubinde apparent, non quædam filamenta mobilia: ſed mollia quædam, & immobilia nervorum rudimenta, quæ ſubinde obdureſcunt, & in nervos efformantur; tum decuſſantur, & unus eorum extenditur, pervaditque foramen quod eſt meditullio orbitæ oculi dextri: alter idem præſtat reſpectu oculi ſiniſtri; iiſque veluti canaliculis, ſpiritus animalis defertur, & in oculis, objectum viſibile primò percipitur. Unde, qui talium nervorum obſtructione laborant; quia iis ſpiritibus aditus intercluditur, nitidiſſimis alioquin oculis, objecta viſibilia nequeunt deprehendere.

Cogitandum illam animæ noſtræ naturam eſſe ut per vim motuum, &c. *Luminis ſenſum percipiat*: at, amabo, undenam iſte habet, quod ea ſit animæ noſtræ indoles. Fingo id eſſe, inquiet Carteſius; Non igitur Philoſophia ratione, ſed fictione docetur. Quod profectò eſt funditùs Philoſophiæ naturam evertere; nam quò quiſque foret amentior, foret & in Philoſophiâ eruditior.

PROBATUR quòd motu excitato in cerebro lumen nequit percipi; hoc enim delirium ſupponit animam non ſentire niſi in cerebro, quod infra reſpuemus, & ejiciemus. Deinde cœcus natus poſſet percipere lumen; nam ejuſmodi motus in illius cerebro poſſent excitari: Item undenam *Motus* habet ut lumen potiùs repræſentet quàm ſonum; & hìc, & nunc, potiùs quàm aliàs, & alibi. Non ad hæc, dicet aliquis, advertit Carteſius: & idcircò illum temeritatis condemno.

PRÆTEREA, ejuſmodi motus, ejuſque diverſus modus, eſt fictitius. Quomodo enim ſtella, è cœlo, motu locali (nec enim alium admittit Carteſius) fictitia

nervi optici fila moveret. Unde cum *ventus* vehementiùs nos moveat, quàm *ſol*, ille, ſole ipſo lucidior nobis deberet apparere.

Dato tali motu, oculus obeſſet viſioni; nam motus penetrare oculum nequit, nam ille ſiç eſt à naturâ conſtructus, ut motui externo reſiſtat; enimverò ſaltem decuſſatio nervi optici, motum frangeret, & ad regionem cerebri, quam fingit Carteſius, pervenire non poſſet, ſicque motum in cerebro excitare non poſſet, mihi profectò, non in monſtris debellandis: ſed in ejuſmodi muſcis repellendis, dies deficerent.

Supponit Carteſius motus ejuſmodi immediatè in animam agentes, viſionem (non *ſenſum*) luminis excitare. Sicque anima noſtra immediatè afficitur motibus ſenſibilibus; ideoque materialis eſt, nec immortalis. Sic enim blaterat *loc. cit. Motus eſſe, à quibus hac pictura componitur, qui immediatè in animam agentes, &c.* Hic aliquid de motu obgannit: at de lumine nihil: ô egregium non peritorum præceptorem; ſed imperitorum deceptorem; qui jugiter à *Calcearia ad Carbonariam* digreditur. Nihilominus tamen poſtquam hic homo ejuſmodi figmenta commentus eſt, ſupponit ſe quaſi alterum Phœbum è Tripode oracula pandiſſe, & quidquid temerè protulit, ſe evidenter demonſtraſſe. Similis faceto illi mimo qui cum pollicitus fuiſſet ſe aliquid quatuor rationibus probaturum, & cum ſollicitè urgeretur, ut ſuis ſtaret promiſſis, diuque comicè attentos detinuiſſet aſtantes, digitis numerando aiebat, prima, ſecunda, tertia, & quarta ratio; num, jocando inquit, adſunt quatuor, quas, ad mei inſtituti probationem promiſeram rationes; quamvis nullam profectò protuliſſet. Sic chartæ infector Carteſius, cum dixit v. g. evidens eſſe quòd anima noſtra ſolùm ſentiat in cerebro: tum fingit ſe id clariſſimè demonſtraſſe.

CARTESIO, paſſim, ſed præſertim *par. 4. prin. phil.* p. 304. n. 198. animæ noſtræ natura eſt ut diverſi motus locales ſufficiant; ad omnes ſenſus in eâ excitandos. Probatur quòd lumen non ſit motus; Nam lumen eſt patibilis qualitas; eſt enim viſibile: at motus, eſt actio, vel paſſio.

ITEM lumen eſt ſenſibile proprium: ſolo enim viſu percipitur: at motus eſt ſenſibile commune: auditu enim percipitur, v. g. motus rhedæ.

PRÆTEREA lumen eſt diaphani in actu: non enim percipitur, niſi dum medium eſt actu tranſparens: at motus eſt diaphani in potentiâ; Tonitru æquè auditur noctu, quàm diu. Item motus auditur trans corpus opacum, v. g. trans Æthitem *v. tom. 1. pag.* 260. At lumen, trans corpus opacum nequit percipi.

DEMÙM Lumen manifeſtat objecta clarè, & diſtinctè: motus non item. Dum enim currus noctu movetur, nec ſe, nec vicina illuſtrat corpora. Hinc color non eſt motûs diverſitas, ut loc. cit. imaginatur Carteſius. Diverſitas enim motûs, tactu, noctu, & à cœcis deprehenditur: at color ſolo viſu, & per medium actu illuſtratum percipitur.

Item eodem manûs motu à pictore varii colores applicantur, & diverſis motibus, idem color, putà rubeus, telæ imponitur: enimverò motus localis eſt ſolùm applicativus, non productivus. Ideoque color non eſt motûs diverſitas, v. tom. 1. p. 158. 283. &c.

METAPHYSICÆ ipſos etiam terminos ignoravit Carteſius, unde in ſcientiis prorſùs cæcutiit, atq; ceſpitavit, v. tom. 1. p. 4. Imò neſcivit principium ipſius, etiam tonſoribus notum, quo omnis noſtra fulcitur ratiocinatio; puta *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe*, &c. v. tom. 1. p. 52. Hocque, illius vice, nobis obtruſit, nempè *ego cogito, ergò ſum*. Quòd quàm ſit inſolens, & à ratione abhorreſcens, ſic demonſtro.

1. PRIMUM cujuſlibet ratiocinii principium, non eſt ratiocinium: omnis enim motus nititur immobili: at *ego cogito, ergò ſum*, eſt ratiocinium) ſi fas ſit id cogitare) ideòque non eſt primum cognitionis principium.

2. Non eſt potior ratio cur hoc *ego cogito*, quàm id *ego loquor*, ſit primum ſcientiarum principium: imò hæc propoſitio *ego loquor*, eſt clarior, quàm hæc *ego cogito*: at Carteſio *ego loquor*, non eſt primum ſcientiarum principium. Ergò nec *ego cogito*.

3. Per primum omnium ſcientiarum principium, debet omnis veritas demonſtrari: at non omnis veritas poteſt probari per hoc *ego cogito, ergò ſum*: medium enim demonſtrationis, non eſt ratiocinium. Deinde ſi quis negaret Deum exiſtere, ineptus eſſet qui erroris vellet ipſum arguere hoc enthymemate; *ego cogito, ergò ſum*: nunquam enim ipſum ad contradictionem reduceret.

4. DEINDE, ſi per impoſſibile, ratiocinium foret primum ratiocinii principium (idem enim non eſt ſui ipſius principium: nec enim numerus eſt principium numeri: ſed unitas, &c.) illud ratiocinium deberet eſſe perfectum; eſſet enim menſura cæterorum: at *ego cogito*, &c. non eſt perfectum ratiocinium: cum ſit Enthymema.

5. ITEM, ſi per aliquid ipſo impoſſibili abſurdius, *Enthymema* foret primum ſcientiarum principium, deberet eſſe univerſale, & neceſſarium: ſcientia enim eſt ſolùm de univerſalibus & neceſſariis: at *ego cogito* &c. Eſt quid contingens & ſingulare: eſt enim de individuo, & in materiâ contingente.

6. PRÆTEREA, ſi per aliquid magis abſurdum quàm ipſum abſolutè impoſſibile, enthymema de individuo, & in materiâ contingente foret primum ſcientiarum principium, ſaltem deberet perfectum ingenerare ſenſum animis auditorum: at *ego cogito*, &c. nihil ſignificat, niſi addatur de quâ re cogitetur.

7 Demum, ſaltem is qui nobis hoc ingerit tanquam

quam primum ſcientiarum principium, deberet intelligere vim terminorum quos effutiret: at Carteſius ignorat quid ſibi velit hic terminus C o g i t o. Ipſi enim 1. *part.* princ. phil. n. 9. *Non modo intelligere, velle, imaginari; ſed etiam ſentire, idem eſt ac cogitare*; quod non eſt cogitare: ſed delirare. Sed ultrà ſuos errores intricat ibid. *Cogitationis nomine intelligo illa omnia, quæ nobis conſciis in nobis fiunt quatenus eorum in nobis conſcientia eſt*, & hoc ipſum eſt quod vernaculè *Galimathia* appellatur, & *ibid.* p. 12. n. 32. omnes animæ facultates, aut deſtruit aut in unam confundit. *Omnes modi cogitandi, quos in nobis experimur; ad duos generales poſſunt reduci, quorum unus eſt perceptio, ſive operatio intellectus; alius volitio, ſive operatio voluntatis. Nam ſentire, imaginari, & pure intelligere ſunt tantùm diverſi modi percipiendi: ut & cupere, averſari, affirmare, negare, dubitare ſunt diverſi modi volendi.*

Carteſio, operatio intellectûs, & operatio voluntatis, ſunt omnes modi cogitandi: at hi ſunt ab eâdem facultate; ideoque intellectus & voluntas, ſunt eadem facultas, & utriuſque eadem operatio: cum autem multò ſimplicior ſit in Divinis operatio intellectûs & voluntatis: ideoque utriuſque nullus, aut ſaltem unicus erit tantùm terminus: nec erunt in divinis duæ proceſſiones; ſicq; evertit myſterium ſuperadorandæ Trinitatis.

D e i n d e confundit ſenſum cum intellectu; nam *ſentire*, & *pure intelligere ſunt diverſimodi percipiendi*; ſicque Angeli cùm intelligant, ſentiunt: ſuntque corporei; Quod eſt alienum à fide. Item, cum belluæ ſentiant, intelligunt: & ita ſunt æternæ felicitatis capaces; quod eſt febricitantis delirium.

Præterea, *averſari, affirmare, ſunt modi volendi*; ſicut ſenſum, cum intellectu: ita voluntatem cum appetitu ſenſitivo, cujus eſt cupere, permiſcet; nec eum ab intellectu, cujus eſt affirmare, diſtinguit.

Ideoque

Ideòque pro more ſuæ temeritatis, & ignorantiæ; nec ab ijs ſenſum diſtinguit; nam ex ipſo *ſentire imaginari, & purè intelligere, ſunt tantùm diverſi modi percipiendi:* at Carteſio hi ſunt ab intellectu: ſimiliter confundit ſenſum cum appetitu ſenſitivo. par. 4 princ. phil. n. 190. pag. 298. *nervi*, &c. inquit, *faciunt unum è ſenſibus internis, qui appetitus naturalis vocatur. nervi, &c faciunt alium ſenſum internum in quo conſiſtunt omnes animi commotiones, ut lætitia, triſtitia, &c.* Idcirco à nobis eliminat partem inferiorem. Quod contradicit Apoſtolo dicenti *video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & captivantem* me in lege peccati. Rom. c. 7.

Idcirco libertatem (ſi quam tamen admiſit) attribuit intellectui, & omnes errores noſtros, voluntati. Sic enim habet 1. part. princ. phil. p. 14. n. 39. *quod autem ſit in noſtrâ voluntate libertas, & multis ad arbitrium vel aſſentiri, vel non aſſentiri poſſimus.* Item p. 15. n. 42. *Iam verò, inquit, cum ſciamus errores omnes noſtros à voluntate pendere.* Error, item aſſenſus, & diſſenſus, ſunt actus noſtri intellectûs. Ideoque libertas, ſecundùm ipſum, eſt & in intellectu.

Cum cuidam referrem, me, diſſoluiſſe in favillas, Carteſij ſtramineum principium, nempe, *ego cogito ergo ſum*, Carteſius, inquit, non dixit hoc, eſſe primum principium: ſed ſolùm *ego cogito*; ex quo, deduxit *ergo ſum.* Parùm refert, nam qui dicit *ego cogito*, eſſe primum principium, non ſapit; qui verò ait *ego cogito, ergo ſum*, eſſe ejuſmodi principium, ignorat primum rationis principium; at inter utrumque parùm refert. Verùm valdè hallucinabatur bonus ille vir ut patet 1. par. prin. ph. p. 2. n. 4. *proinde*, inquit, *hæc cognitio, ego cogito, ergo ſum eſt omnium prima, & certiſſima.*

Digitized by Google

Quamvis ſuperabundantiſſimè, explauſerim, quod *ego cogito*, ſit primum principium; nihilominùs hoc, quaſi corollarium adjiciam, ſcilicet quod primum principium ſit generaliſſimum; quia ad omnia principia debet extendi: Hæc verò propoſitio, *ego ſum*, eſt ſingulariſſima; fatentibus ipſis etiam grammaticis. Item primum principium eſt certiſſimum; eſt enim omnis ſcientiæ fulchrum, firmitaſque quorumlibet principiorum: at *ego cogito*, eſt quid incertiſſimum. Item primum principium nihil probat à poſteriori: at *ego cogito*, probat à poſteriori, hanc propoſitionem *ego ſum*.

Quemadmodum à ruſtico fagus, quercus, abies, cupreſſus, &c. quia eas ſpecificè ignorat, arbores appellantur, ſimiliter à Carteſio, enthymema, propoſitio, mentis apprehenſio; imò ſenſatio; ut potè qui eas, defectu ſtudij Philoſophici, ſpecificè ignorat, *Perceptio* appellantur.. Vnde hæc enthymematis umbra, *ego cogito*, *ergo ſum*, ab ipſo, *cognitio*, & primum cognitionis principium fuit appellatum. In hujus ſanè ſcriptis nullus eſt ordo, ſed indeſinens fictionum, & contradictionum cahos, & ſempiternus rationis horror inhabitat. Ideoque meritò, ut ipſe vidi Romæ fuerunt condemnata; etenim nihil ex ijs prodit, niſi quid *Senſui*, *Rationi*, & *Religioni* infenſum, necnon *Atheiſmo* favens.

1. *SENSVI*; Carteſio enim nec ignis eſt calidus, nec ſol eſt lucidus, aitque naturæ noſtræ deceptioni tribuendum eſſe, quod in ſole lucem deprehendamus. *Certum eſt*, inquit, 1. part. princ. phil. p. 27. n. 67. *cum* v. g. *dolorem ſentimus tanquam in pede, illum eſſe quid extra noſtram mentem* in pede exiſtens, quàm cum *videmus lumen tanquam in ſole, illud lumen extra nos in ſole exiſtere: ſed*

utraque iſta præjudicia (latinè diceretur utrumque præjudicium) *ſunt noſtræ ætatis, ut infra patebit*: at Carteſio quando ſentimus dolorem tanquam in pede, non eſt in pede, nec extra mentem. Ideoque, quando percipimus lucem in ſole, non eſt in ipſo ſole, nec extra mentem.

Non expendo hìc, Hollandicè, an Latinè, ſua deliria prodat (non modò enim incongruè, ſed & barbarè balbutit:) at ſolùm temeritatem damno, quâ facultatem, percipiendis objectis, nobis à Deo conceſſam, fallaciæ inſimulat. & ſanè ſi in rebus omnium evidentiſſimis, omnes decipimur, quidni etiam in obſcuris? quidni, & in articulis fidei? ſicque in pyrrhonis epochen, & atheiſmi cahos (quod abſit) cõfundimur.

Hic & delirat, ait quippe *dolorem* (idem dicas de calore, ſapore, &c.) quem ſentimus, aut lucem, quam videmus, non eſſe extra mentem; ſed immediatè nos mente ſentire; ſicque animam noſtram materialem efficit, noſque cùm externo, tùm & quolibet ſenſu interno privat.

Sunt præjudicia prima noſtræ ætatis. Enimverò, Carteſi, ſi hæc ſunt præjudicia noſtræ ætatis; ſeu potiùs deceptiones noſtræ naturæ, ut ingenuè juxta tua deliria loquar; quænam igitur erunt noſtræ naturæ judicia? at hìc oleum, & operam perdo; etenim hominem qui etiam nos ſenſu carere contendit, interrogo.

Vt infra clarè patebit. Hìc & paſſim, ut plebem decipiat, lectori imponit, fingitque ſe rationem infra allaturum, ut & infra ſupponet, & finget quod intendit ſe fuiſſe demonſtratum.

QVOD Carteſius, nobis ſenſus deneget patet etiam part. 4. princ. phil. n. 196. p. 301. *Proba-*

Digitized by Google

tur evidenter, ait, *animam, non quatenùs eſt in ſingulis membris, ſed tantùm quatenus eſt in cerebro, ea, quæ corpori accidunt in ſingulis membris, nervorum ope ſentire*, & ibid. n. 189. p 297. *Sciendum eſt*, inquit, *itaque humanam animam, etſi totum corpus informet, præcipuam tamen ſedem ſuam habere in cerebro, in quo ſolo non modò intelligit, & imaginatur, ſed etiam ſentit, hocque opere* nervorum (Latinè diceretur *ope) qui filorum inſtar, à cerebro, ad omnia reliqua* (tyro latinæ linguæ diceret ſolùm *ad reliqua*; nec adderet *omnia*) *membra protenduntur; iiſque ſic annexi ſunt; ut vix ulla pars humani corporis tangi poſſit, quin hoc ipſo moveantur aliquot nervorum extremitates per ipſam ſparſæ; atque earum motus ad alias eorum nervorum extremitates, in cerebro circa ſedem animæ collectas transferatur; ut in Dioptrica c. 4. ſatis fuſé explicui*. Ibi tamen c. 1. his contradicit. Sic enim incipit ſuæ Dioptrices deliria. *Totius vitæ noſtræ regimen, à ſenſibus pendet: quorum cum viſus ſit nobiliſſimus, & latiſſimè patens, &c.* Hoc profectò videtur abſurdum; non enim à ſenſibus, ſed à ratione vitæ noſtræ regimen dependet. Deinde ſi *vitæ noſtræ regimen à ſenſibus, quorum viſus eſt nobiliſſimus*, dependet, *anima noſtra non in ſolo cerebro Sentit*, ut paſſim crepat.

Probatur evidenter; *certum eſt*; Item, *ſciendum eſt*, ſunt vocabula, quibus fumum venditat, & imperitis fucum facit, quæ poſtquam perperàm protulit, fingit ſe accuratiſſimas attuliſſe demonſtrationes: licet in ijs cœcutiat; cum nequidem primis labris logicam delibaverit.

Sciendum eſt (inquit) *animam præcipuam habere ſedem in cerebro*; ſeu in glandulâ pini, tanquam in ſellula; & eatenus Carteſius ab Anatomicis, me-

ritò tanquam ridiculus ludibrio habetur; quia illius glandulæ, & aliarum glandularum uſum, ut & univerſam anatomiam prorſus ignoravit. *Illa*, quia ſuà figurâ, fructum pini refert, dicitur *glandula pini*: cujus uſus, ut & aliarum glandularum, eſt ſubſterni venarum divaricationibus, nè in motibus violentis diſrumperentur, & animal ſubito interitu miſerè periret.

In quo ſolo non modò intelligit, & imaginatur, ſed etiam ſentit. Quaſi diceret petrus, non modò eſt homo; ſed etiam eſt animal, nam ſicut qui eſt homo, eſt & animal; ſic qui imaginatur, is profectò, & ſentit.

Hocque opere nervorum, qui filorum, &c. hic imperitis imponit à cerebro, ad reliqua corporis membra, nervos diſtribui, & eorum motu ad extremitates circa ſedem animæ collectas pertingere; non enim ſolùm nervi à cerebro; ſed & à ſingulis ſpinæ dorſi vertebris, derivantur, & hi ad cerebrum nullatenus tendunt: nec etiam ij qui derivantur, à cerebro, in hoc inter ſe colliguntur, nec pertingunt ad eam cerebri partem, quæ Carteſio eſt animæ ſedes; nam hæc eſt in meditullio cerebri: at nervi leviter, & parùm ſubeunt cerebri ſubſtantiam. Miramini quæſo, quàm ineptiſſimo delirio nixa ſit illa nova, & inaudita ſapientia, ſeu potiùs ineptia, quàm Carteſius in ſuâ præfatione, pluſquam alter Prothagoras, nobis jactitat.

Intendit c. 4. Diopt. p. 95. n. 1. animam ſentire, non corpus. *Omnibus jam conſtat* (inquit) *animam eſſe quæ ſentit, non corpus.* Et infra ait, *illam non propriè ſentire, quatenus eſt in organis ſenſuum exteriorum: ſed quatenùs in cerebro, ubi illam facultatem exercet, quam nuncupant ſenſum communem.*

In hoc cap. 4. aſſerit ſe omnibus philoſophis adverſari, quòd neget animam noſtram imaginibus ab objecto miſſis egere. Item fatetur ſe omnibus Medicis & Anatomicis contradicere, quòd dicat experientiæ, & rationi repugnare, nervos, & ad ſenſum inſervire, & ad motum: ſed temerè id aſſerit; nam experientiâ, & ratione comprobatur, quòd nervi, motui, & ſenſui inſerviant; ſpiritus enim animalis nervos ſubiens, & motum, & ſenſum procurat; ideoque ipſi nervi, ſunt & ad ſenſum, & ad motum. Vnde Galeno *deſtructio ſensûs, & motûs fit, dum ſpiritus ſenſitivi, & motivi nequeunt ad membra pervenire.* Sicque non fit ſenſatio, quòd ſpiritus animales à membris ad cerebrum recurrant: ſed quòd à cerebro ad membra diffluant; ut poſtulat ratio, & ut patet in pedis ſtupore, ſeu ejus ſenſûs, & motûs diminutione. Non enim ſpiritus animalis, à pede ad cerebrum aſcendit: ſed à cerebro ad pedem deſcendit, eique & motum, & ſenſum reſtituit.

Hanc objectionis larvam ex hoc cap. extraxi; quâ ſcilicet Carteſius nititur probare animam noſtram, non verò corpus ſentire, ſicque nos ſenſu privari; quæ ſic poteſt confici. Nempe *hominem ſenſu privari, & motu, ejus corpore adhuc animato, eſt animam ſolùm ſentire in cerebro, non autem in membris externis: at homo ſenſu, & motu privatur, ipſius corpore adhuc animato.*

Diſtinguo maj. *hominem ſenſu privari, &c.* Si anima tunc ſentiat C. ſecùs, N. dum homo privatur ſenſu, & motu, tunc anima eius nec ſentit, nec movet; v. g. in Apoplexiâ; hæc enim eſt *privatio motûs, & ſensûs membrorum omnium, exceptis pectoralibus, ob obſtructionem principum cerebri ventriculorum, &*

interclusionem meatuum ſpiritûs animalis : at ſi anima ſentiret, & moveret ſine organis externis, dum homo privatur ſenſu, & motu, ipſa ſentire, & movere poſſet, & cœcus natus diſcernere rubrum, à rufo colore : at id experientiæ repugnat; etenim qui uno ſenſu caret, unâ ſcientiâ ipſum carere neceſſe eſt. Vnde is dicitur vulgò canere ſurdis, dum eum precatur, qui ipſum non eſt auditurus.

Item ſi anima ſine organis externis poſſet ſentire, ſenſus communis operari poſſet, feriantibus ſenſibus externis: at id eſt impoſſibile; ſenſus enim communis, hoc ſolùm diſcrimine, ab imaginatione differt; quòd hæc etiam abſentibus : ille verò ſolùm agat præſentibus objectis.

DEINDE ſe habet ſentire, ut movere : at anima nequit movere ſine ope membrorum externorum; etenim ſine linguâ nequit loqui, nec ſine manu pingere : & quemadmodum immediatè à linguâ dictionum prolatio exeritur, & diſpoſitio colorum, à manu ordinatur : ſimiliter viſio, ab oculis; & guſtatio à palato immediatè elicitur. Vnde anima nec ſentire, nec movere poteſt ſine organorum externorum ope.

PRÆTEREA ſe habet viſio, ſervatâ proportione, ut ad oculos ſerpentum, & aquilarum, at viſio fit in oculis ſerpentum, & aquilarum, ex auguſto doctore ult. l. de civ. Dei c. 29. his verbis, *vis itaque præpollentior oculorum erit illorum (ſcilicet glorificatorum) non ut acutiùs videant, quàm quidam perhibentur videre ſerpentes, vel aquilæ, quantalibet enim acrimoniâ cernendi, eadem animalia vigeant, nihil aliud poſſunt videre quàm corpora.*

Perhibentur videre ſerpentes, vel aquilæ, id eſt, (ſi quis latini ſermonis vim percipiat) certum eſt, & evidens ſerpentes videre, &c. Hic obiter advertant

ij qui ſibi temerè,nobiſque volunt imponere ſe eſſe fideles D. Auguſt. Diſcipulos,quàm turpiter ab ejus ſententiâ deflectant, dum belluis vitam, & ſenſum denegant.

Imò etiam à ſanctorum patrum conſenſu, ut patet è S. Dionyſij l. 1. de divin. nom. c. 1. Deum *expetunt omnia, ea quidem quæ mente, ratione que utuntur* (nempe Angeli, & homines) *cognitione; quæ autem his inferiora ſunt* (nimirum belluæ) *ſenſûs judicio: aliaque* (ſcilicet plantæ) *motu vitali*. Ideoque ſancto Dionyſio, & belluæ, ſenſu, & plantæ, vitâ pollent.

Item, ſi in nobis non ſit ſenſus externus, nec etiam erunt in membris noſtris motus appetitûs ſenſitivi: at id repugnat ſcripturis, & experientiæ, & omnium hominum conſenſui.

Licet ſublato conſequente,tollatur antecedens; v. g: licet deſinente parte, deſinat totum; ſi non ſit unitas, non eſt dualitas: nihilominùs totum diſtinguitur realiter à ſuâ parte; dualitas, ab unitate. Ita licet ſublatâ diſpoſitione partis cerebri in quâ perficitur ſenſatio externa deſinat; nihilominus ſenſatio, quæ fit in organo exteriori, eſt realiter diſtincta, à ſenſatione internâ: ſicut ordinata colorum applicatio, quæ fit à manu, diſtinguitur ab arte pingendi, quæ eſt in mente pictoris. Hinc corpus animatum dicitur organicum, ſeu variis organis inſtructum; ſine quorum ope, nulla foret animæ unitæ corpori functio: anima quippe noſtra eſt veluti tabula raſa. Hinc, ſi oculi pupilla tegatur, nulla elicietur à nobis viſio. Ideoque ſenſatio externa, ab internâ diſtinguitur.

Multa, inquit Carteſius in cit. c 4. ut probet cognitionem fieri ſine imagine. *Prater imagi-*

nes eſſe, quæ cogitationes excitent ; ut v. g. verba, & ſigna, nullomodo ſimilia ijs quæ ſignificant. Germanicè, an Aremoricè loquatur, non moror : obiter tamen advertendum eſt, quòd, cum dixit, *certum eſt*, ſe ſufficienter probaviſſe id quod intendit, arbitretur ; licet voces quas non intelligit, caſu, & temerè effutiat.

Verba, inquit, *& ſigna, &c.* qui Philoſophiam calleret ; ſic loqueretur ; multa ſigna, v. g. voces percipiuntur ſine ulla imagine ; ſunt enim ſigna, non imagines rerum : at tunc eſt earum cognitio. Ideoque cognitio poteſt eſſe ſine imagine.

Sic reſponderetur, voces percipiuntur ſine imagine propriâ vocis ; non verò ſine propriâ rerum imagine, v. g. dum concipitur hæc vox, domus, efformatur in mente imago Domûs, ut patet attendenti, non imago vocis ; nam voces percipere, eſt res, ijs ſignificatas concipere : ſeu earum ſimilitudinem efformare. Quapropter cœcus, res eo modò cognoſcit, quomodò earum imagines, ſibi in cerebro exhibet. Unde cœcus natus, nunquam diſcrimen colorum, nec ſurdus, ſonorum, percipiet.

DOLOREM, non tactu externo, ſed ſolâ imaginatione percipi, eſt quid ſenſui repugnans : at Carteſio, dolor ſolâ imaginatione, non tactu externo percipitur. Vnde juxta illud delirium, in vulneribus curandis, helleboro potiùs opus eſſet, quàm emplaſtro divino. Item nullus in nobis foret tactus exterior ; cujus tamen organum toto corpore nobis à naturâ ſapienter eſt diffuſum. Nec etiam nobis ineſſet guſtus ; cum hic non fit ſine tactu : at id repugnat omnium hominum ſenſui. Sic enim habet *loco mox. cit. nec magis certum eſt, cum v. g. dolorem ſentimus tanquam in pede ; illum eſſe quid extra*

noſtram mentem; quàm cum videmus lumen tanquam in ſole, illud lumen extra nos exiſtere. Vnde ſic adverſus ipſum argumentor.

Se habet dolor quem quis ſentit in pede, ad pedem, & ejus mentem; ut lumen quem percipimus in Sole, ad Solem, & noſtram mentem: at lumen ejuſmodi quod percipimus eſt de facto in Sole, non extra Solem: & aliter fingere eſt deſipere. Igitur dolor qui percipitur in pede eſt de facto in ipſo pede, & aliter ſentire eſt deſipere.

Ij, quibus recenter Tibia eſt amputata inadvertes, & deluſi memoriâ priſtinæ membrorum integritatis, quandòque ſibi videntur in pedis abſciſſi extremitate dolorem percipere; idque fit præter naturalem ordinem; cum in ijs non ſit integra corporis conſtitutio Vnde non licet concludere, unumquemque percipere dolorem ſine organo tactûs; à particulari enim ad univerſale non valet conſecutio; etenim nec ſoli dolent pede quibus crus eſt amputatum. Nec omnes quibus crus eſt amputatum ſibi fingunt pede dolere: ſed pauci; enimverò ut nihil eſt in appetitu ſenſitivo, quod non fuerit in imaginatione: ſic nihil eſt in imaginatione, quod non fuerit in ſenſu externo.

Hinc ſi ille, cui amputatum eſt crus, nunquam pedem habuiſſet: tactu externo ſe dolorem percipere nunquam imaginari poſſet. Vnde objectum dolorificum eſt in parte læſâ, doloris autem perceptio eſt in tactu: vel ſi fortè organum tactûs deficiat, dolor eſt in memoriâ; tum in imaginatione: affectio verò doloris in appetitu ſenſitivo; cum hic ſit & ſubjectum uoluptatis.

Poteſt aliquid alteri eripere id quod non habet; v. g. enſis, vitam: at nemo poteſt, ſaltem ut cau-

ſa princeps, dare id quod non habet; niſi fortè quis credat Carteſium, hominem ineptiſſimum, nos ſapientiam docere poſſe. Ideòque cum ignis ut cauſa princeps calorem emittat; eſt formaliter calidus, & qui aliter ſentit, ſenſu profectò qui principium eſt rationis ipſum carere neceſſe eſt.

Carteſio lumen, color, odor, ſapor, ſonus, & tactiles qualitates, ſunt quædam diſpoſitiones magnitudinis, figuræ, & motûs: at id ſenſui, & rationi repugnat: odor enim ſolo olfactu; ſapor, guſtu; ſonus, auditu percipitur: at nec magnitudo olfactu, nec guſtu percipitur, multò minùs etiam figura. Deinde color, odor, &c. ſunt ſenſibilia propria: at magnitudo, figura, & motus ſunt ſenſibilia communia. Quod autem Carteſius id effutiat, & mirabilem, & ferè infinitam rerum diverſitatem ad tria exilia accidentia reducat, patet part. 4. princ. phil. p. 304. n. 199. *Nihil inter naturæ Phænomena eſt recenſendum niſi quod ſenſu deprehenditur: atqui exceptis magnitudine figurâ, & motu, quæ qualia ſint in unoquoque corpore explicui, nihil extra nos poſitum ſentitur niſi lumen, color, odor, ſapor, ſonus, & tactiles qualitates; quæ nihil aliud eſſe in obiectis, quam diſpoſitiones quaſdam in magnitudine, figurâ & motu conſiſtentes, hactenus eſt demonſtratum.*

Nihil inter naturæ *Phænomena*. Hoc nomine Carteſius fucum facit apud idiotas: ſicut chirurgus ruſticus apud agricolas, hoc nomine, *Phlebotomia*, famam ſibi comparat: ſed perperàm nam *Phænomena* dicuntur propriè apparitiones quæ contingunt, aut in cœleſti, aut in ſupremâ aëris regione; non verò ſunt totius naturæ.

Nihil inter naturæ Phænomena eſt recenſendum niſi quod ſenſu deprehenditur. Quamvis Carteſiani ne-

gent quòd ſit aliquid in intellectu quod non priùs fuerit in ſenſu; quia Carteſius deliravit nos habere ideas (ut ait) rerum, à Deo inditas: nihilominus hìc contendit nihil admitti debere in rerum naturâ niſi quod per ſe ſenſu externo percipiatur. Putà magnitudo, figura, & motus, quod eſt quid ineptiſſimum.

Quæ qualia ſint in unoquoque corpore; magnitudo inquit, eſt in corpore. Ideoque ſupponit corpus in quo recipiatur, ſicque eſt hujus, & ita præter magnitudinem, figuram, & motum, aliquid recenſendum eſt inter Phænomena naturæ; nempe, corpus.

Quæ nihil aliud eſſe in objectis, eſt demonſtratum. Quaſi verò demonſtratio fiat ex falſis. Profectò Carteſius demonſtrat, ut cœcus natus pingit; nec enim magis calluit Logicam, quàm cœcus natus picturam.

2. *RATIONI*, ejus enim deliria, ſcatent indeſinenti contradictionum oppoſitione. Nam 1. part. prin. phil. p. 2. n. 5. *ignoramus* (ſic enim frendet) *an fortè nos* (Deus) *tales creare voluerit, ut ſemper fallamur; etiam in iis, quæ nobis, quàm notiſſima apparent.* Idem ferè habet *ibid.* p. 5. n. 13. at id repugnat ei quod dicit *ibid.* p. 16. n. 43. nempe, *certum eſt autem nihil nos unquam falſum, pro vero admiſſuros, ſi tantùm iis aſſenſum præbeamus, quæ clarè, & diſtinctè percipiemus. Certum inquam, quia cum Deus non ſit fallax, facultas percipiendi, quam nobis dedit non poteſt tendere in falſum, ut neque facultas aſſentiendi, cum tantùm ad ea quæ clarè percipiuntur, ſe extendit.* Hoc autem reluctatur huic loco, nempe, certum *eſt cum v. g. dolorem ſentimus tanquam in pede, illum eſſe quid extra mentem in pede exiſtens, quàm cùm videmus lumen tanquam in ſole, illud lu-*

men extra nos in ſole exiſtere : ſed utraque præjudicia ſunt prima noſtræ ætatis.

Hic enim aſſerit è prævià, deceptoriàque judicandi ratione nos falsò deprehendere lumen in Sole, quod tamen extra noſtram imaginationem in Sole exiſtere, clarè percipimus; ideoque Carteſio noſtra ſentiendi facultas tendit ad falſum, cùm verſatur circa ea quæ clarè à nobis percipiuntur, quod modò negavit. Dum autem ait *utraque præjudicia ſunt prima noſtra ætatis.* Adverſatur ei quod dicit 2. part. princ. p. 35. n. 3. nempe ideas à naturâ nobis inditas: ſeu à Deo, ut ait 1. part. princ. p. 7. n. 18. at ex eodem *ibid.* p. 11. n. 19. repugnat quod Deus nos fallat; etenim *primum* (inquit) *Dei attributum, quod hìc venit in conſiderationem, eſt quod ſit ſummè verax, & dator omnis luminis; adeò ut planè repugnet ut nos fallat.* Ideoque in nobis non ſunt præjudicia primæ noſtræ ætatis. Quid quæſo magis ſibi inconſtans, oppoſitum, repugnans, & contradicens poteſt excogitari? ex errore Platonis fingit, nos habere *Ideas* (ſi perciperet vim terminorum diceret *ſpecies*) à naturâ nobis inditas.

INCOMPATIBILIA paſſim admittit, nempe, Deum in materiâ motum ſimul cum quiete in principio creaviſſe. Item ait nos decipi quod veriſſima admittamus, putà plus actionis ad motum (ſcilicet localem) quàm ad quietem requiri. Sic enim habet part. 2. prin. ph. p. 46. n. 26. *Notandum eſt magno nos, in hoc præjudicio laborare, quòd plus actionis ad motum requiri arbitremur, quàm ad quietem.*

ITEM, ait in *ſuâ præf.* quòd omnis concluſio deducta è principio inevidenti nequeat nos ad certam ullius rei adducere cognitionem: nihilominus tamen n. 1. p. 190. part. 4. princ. phil. è fictione a-

mentiam redolente jactat ſe clarè oſtenſurum cauſas omnium rerum naturalium. *Fingamus itaque terram hanc* (inquit ibid. n. 2.) *quam incolimus fuiſſe olim ex ſolâ materiâ primi elementi conflatam inſtar ſolis, quamvis ipſo eſſet multò minor, & vaſtum vorticem circa ſe habuiſſe, in cujus centro conſiſtebat, &c.* quis niſi Carteſius fingat ſe ex hoc portentoſo fictionis prodigio rerum omnium naturalium cauſas nobis evidenter demonſtraturum.

IN ſuâ *præf.* promittit ſuis principiis nos ad altiſſimum ſapientiæ culmen poſſe conſcendere; in ſuâ autem methodo, quæ ab ipſomet deſcribitur p. 3. ibid. *non hiſtoria, ſed potiùs fabulę narratio. De Philoſophiâ*, inquit, *nihil dicam, niſi quòd, cum ſcirem illam à præſtantiſſimis, omnium ſęculorum ingeniis fuiſſe excultam, & nihil tamen adhuc in eâ reperiri de quo non in utramque partem diſputetur; hoc eſt quod non ſit dubium, & incertum: non tantùm ingenio meo confidebam, ut aliquid in eâ melius à me, quàm à cęteris inveniri poſſe ſperarem.* Conciliate ſimul, ſi poteſtis, quòd homo imbecillæ rationis qui nihil quàm *dubium*, & *incertum*, in ſcientiis invenit, quique non ſperat ſe in iis nihil accuratius invenire quàm cæteri qui erraverunt, ut ait, poſſit ſuis principiis, ad ſapientiæ apicem nos evehere. Quiſquis id præſtabit *erit mihi magnus Apollo.* Nec dicam Carteſianos admittere quaſi principium inconcuſſum quòd poſſit aliquid dare quod non habet: quod profectò rationis principio repugnat.

3. *RELIGIONI* Chriſtianæ. Deo quippe impotentiã; mundo autem illimitationem attribuit; finxit enim Deum, nec motum de novo poſſe producere, nec mundum ſuæ extenſionis habere terminum. Sic enim habet part. 2. princ. Phil. p. 44. n. 21. *Co-*

gnoſcimus præterea hunc mundum, ſive ſubſtantię corporeę univerſitatem (nihil in ejus ſcriptis, vidi de Angelis) *nullos extenſionis ſuæ fines habere. Ubicumque enim fines illos eſſe fingamus ſemper ultra ipſos, aliqua ſpatia indefinitè extenſa, non modò imaginamur, ſed etiam verè imaginabilia, hoc eſt realia eſſe percipimus.* Contra illud ſap. c. 11. v. 21. *omnia in menſurâ, & numero, & pondere diſpoſuiſti.*

De motu autem ſic habet 2. part.pr.ph. p.53. & 54. n. 30. *Deum ipſum qui materiam ſimul cum motu, & quiete in principio creavit, jamque per ſolum ſuum concurſum ordinarium, tantundem motûs, & quietis in eâ totâ, quantùm tunc poſuit, conſervat, &c. ne qua inde inconſtantia in ipſo arguatur, &c.* Ibi obgannit Deum de novo non poſſe producere motum nè in Deo inconſtantia, deprehendatur. Ipſum etiam Deum optimum maximum ſuæ imaginationis limite videtur menſurare.

Deinde Carteſio extenſio in longum, latum & profundum eſt ſubſtantiæ corporeæ natura, part. 2. princ. phil. n. 19. p. 43. *animadvertimus*, inquit, *ſubſtantia corporea naturam in eo tantùm conſiſtere, quòd ſit res extenſa, ejuſque extenſionem non eſſe diverſam ab eâ quę ſpatio quantumvis inani tribui ſolet.* Id paſſim, non modò ad faſtidium, ſed ad nauſeam, quaſi intercalare carmen, repetit: at poſt conſecrationem panis, remanet hujus extenſio in longum, latum, & profundùm. Quamobrem tunc remanet natura panis: ſicque non fit tranſſubſtantiatio: quod eſt hæreſis Lutheri.

Præterea ſub Euchariſticis ſpeciebus, non eſt extenſio externa corporis Chriſti Salvatoris: at extenſio externa (ſeu ut Carteſius hic effutit extenſio quæ ſpatio tribui ſolet) eſt natura ſubſtantiæ corporeæ.

Ideoque in Sacro-Sancto, atque ſuperadorando altaris myſterio, non erit corpus Chriſti Domini. Quod eſt hæreſis Calvini, *v. quæ dix. ſupra p.* 320 hujus t.

4. Atheismo faventia: Si enim de rebus ſenſui perviis dubitare (ut Carteſius delirat, magìs quàm alter Pyrrho,) ſit Philoſophiæ principium: nobis profectò eas, quæ ſolo intellectu percipiuntur, putà Dei exiſtentiam, fas erit in dubium revocare. Sicque licebit ſupponere, & concludere Deum non exiſtere; imò Carteſius nullam in hoc reperit difficultatem; ſic enim blaſphemat, & inſanit, part. 1. p. 2. n. 7. Princ. Phil. *Facile quidem ſupponimus nullum eſſe Deum, nullum cœlum, nulla corpora, nos etiam non habere manus, nec pedes, denique nullum corpus.*

Deinde ſi belluæ vitæ functiones ſine animâ exerceant: quidni eaſdem, ſine animâ ſimiliter præſtabimus. Hinc quibuſdam Carteſianis diſterimus à belluis, velut machinæ aureæ, ab æneis: ſeu ut volunt ſecundùm magìs, & minùs: hocque eſt prima Atheiſmi labes.

Præterea è numero cauſarum vult expungi finalem; (quæ eſt cauſa cauſarum) noſque rerum cauſas inveſtigare non debere: ſicque non debemus curare cur conditi ſumus: quo tamen fulcitur omnis noſtræ religionis cultus Ideoque religio non eſt obſervanda. Quod eſt ipſiſſimum Atheiſmum. Sic enim habet 1. *part. princ. phil. p.* 11. *n.* 28. *Denique nullas unquam rationes circa res naturales à fine, quem Deus, aut natura, in ijs faciendis, ſibi propoſuit, deſumemus: quia non tantùm nobis debemus arrogare, ut eius conſiliorum participes eſſe putemus.*

Hic ait, nobis non debere id arrogare, ut putemus nos conſiliorum Dei eſſe participes; nequidem circa

circa res naturales, quod eſt contrarium Apoſtolo dicenti, *quod notum Dei manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit; inviſibilia enim ipſius à creaturâ mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles, &c.*

Deinde eſſe participem conſiliorum Dei, circa res naturales eſt noſſe earum finem, juxta Carteſium at ſcimus finem cujuſlibet rei naturalis. Remotiſſimum, remotum, tum proximum. Remotiſſimus enim eſt Deus; Remotus eſt homo; proximus autem eſt operatio propria. Vnde Philoſopho unumquodque eſt propter operari; v. g. homo, ut adoret, & colat Deum eique ſoli ſerviat, v. tom. 1. p. 181.

Dicet aliquis vult Carteſius nos non eſſe participes conſiliorum Dei circa res naturales, non verò circa res ſupernaturales; nam ibid. ait *lumini naturali tandiu tantùm eſſe credendum; quandiu nihil contrarium à Deo ipſo revelatur.*

Reſpondeo quòd ſi non liceat nobis arrogare eſſe participes conſiliorum Dei circa res naturales, non debemus arrogare noſſe noſtrum finem naturalem, nec conſequenter ſupernaturalem: difficilius enim eſt hunc noſſe quàm illum: Deinde gratia ſupponit naturam, & ſic notitia finis ſupernaturalis, ſupponit notitiam noſtri finis naturalis: at è Carteſio non debemus nobis arrogare noſſe finem naturalem; ergo nec ſupernaturalem.

Si non à Deo potentiſſimo, ſed vel à nobis ipſis, vel à quovis alio nos eſſe fingamus, quò minùs potentem originis noſtræ authorem aſſignabimus, tantò magis erit credibile, nos tam imperfectos eſſe, ut ſemper fallamur, 1. part. p. 2. Princ. Phil. n. 5.

Non video ad quid hæc, niſi ad ipſiſſimum Atheiſmum tendant. Cœterùm hìc, ut in cæteris ejus ſcriptis, nequidem eſt mica ſalis. Vnde qui in iis ſcintillam rationis inveſtigat, ventos paſcit.

Demonstro obiter non poſſe nos à nobis ipſis eſſe, ſive idem à ſeipſo eſſe non poſſe. Etenim ſi idem ſeipſum poſſet producere omnia forent ab æterno; non enim eſſet potior ratio; cur hoc, quàm illud, nunc, quàm aliàs productum fuiſſet. Imò cum quodlibet appetat eſſe ut primùm poteſt, ſe quodlibet ab æterno, & in æternum produxiſſet; ſicque foret improductum, & interminatum.

Deinde quod fuit, nequit ſibi reparare ſuum eſſe: quod eſt, nequit ſibi prorogare ad libitum ſuum eſſe: at id quod eſt, potentius eſt quàm id quod non eſt. Ideoque quod non eſt, nequit ſibi dare eſſe v. tom. 1. pag. 72 lin. 10.

Hæc obiter ſcripſi ne mendacium adversùs veritatem, & ignorantia adversùs ſapientiam gloriaretur; tum ut unuſquiſque animadvertat quàm longiſſimè à rationis tramite, illum deviare neceſſe ſit. qui à calle veritatis, ad quam Philoſophia certiſſimè ducit, declinare ſuſcepit.

HIC non moror Gaſſendi ineptias, qui ſua ſcripta, aut tranſcriptione poëmatis Lucretij, aut deliriis Democriti, vel novis figmentis amplificavit.

VT Lullij imperitia evidentiſſimè appareat, ſatìs eſt, hujus aliquod ſpecimen afferre.

Lullio, *Quantitas*, eſt ens, ratione cujus ſubjectum eſt quantitas, & cum eâ ipſum agit quantum, cap 21. *artis brevis*. En portentoſum monſtruoſæ inſcititiæ prodigium.

Accidens, non verò *ens*, eſt velut quantitatis genus.

Item *ſubiectum* eſt quid communius; angelus

enim eſt *ſubjectum*, cui nequit ineſſe quantitas.

Deinde nequit dici *ſubiectum* eſt *quantitas*; nec enim abſtracta de concretis poſſunt prædicari.

Præterea definitum non debet ingredi definitionem: at quantitas quæ eſt definitum, ſuam hìc definitionem explicitè ingreditur.

Et cum eâ ipſum agit quantùm, veluti ſi diceret quantitas, cum quantitate ipſum agit quantum. Quaſi daretur quantitas, à quantitate diverſa.

Hìc per *quantùm*, implicitè & ſubjectum, & quantitatem iterum repetit.

Demum *quantitas* non agit, ſed conſtituit quantum, non enim eſt hujus cauſa efficiens: ſed formalis.

QVANTITAS, deſcribi poteſt, accidens extenſivum materiæ. Extendere eſt ponere partes extra partes.

Item Lullio *loc. cit.*

Similitudo, eſt forma cum quâ aſſimulans, aſſimulat ſibi ſuum aſſimulatum.

GVLA, eſt habitus cum quo Guloſus eſt incarceratus, & in poſterum in infirmitate poſitus.

Quid, quæſo, hiſce ineptius, quid rationi, & ſermoni magìs barbarum poteſt excogitari. His tamen abſurdiſſimis, Carteſius abſurdiora conglobavit. Nam Carteſio.

Perceptio *diſtincta* eſt illa quæ cum clara ſit, ab omnibus aliis ita ſejuncta eſt, & præciſa, ut nihil planè, quàm quod clarum eſt in ſe contineat.

Item *perceptio clara*, eſt quæ menti attendenti præſens, & aperta eſt, ſicut & clarè à nobis videri dicimus quæ oculo intuenti præſentia ſatìs fortiter, & apertè illum movent.

Monſtruoſæ Lullii inſcitiæ Carteſii vana temeri-

tas, addit quod ille ſolùm ſimplicia, & entia per ſe ſuſcipiat definire; hic verò entia complexa, & per accidens, putà *perceptionem diſtinctam* intendat unicâ definitione nobis illuſtrare.

Item Lullius, credit ſe definiiſſe bonitatem dum ab eo dicitur ens ratione cujus bonum agit bonum. Sicut ferè ſi quis opinaretur ſe albedinem, definiiſſe dum dixit, eſt id quod dealbat. Licet ille nihil explicet, nihil tamen confundit: at Carteſius confundit diſtinctum, cum claro, ſejunctum, cum diſtincto. item & præciſum. Quæ confuſio, addit ſtupidiſſimæ Lullii imperitiæ ad minùs ſex inſcitiæ gradus: hæ ſunt præcipuæ definitiones quas apud Carteſium novæ ſapientiæ fabricatorem, invenire potui, nempe pag. 17. princ. ph. part. 1. n. 45.

Vid. tom. 2. pag. 236. quomodo ventilaverim abſurdam quam attulit animæ definitionem. Putà quod ſit *ſubſtantia actu cogitans, &c.*

TOMI PRIMI.

FINIS.

CUM Sacræ Theologiæ Magiſtri ab Eccleſiâ conſtituti ſint ſuprà muros Ieruſalem, tanquam vigiliæ in Excubiis, ut proſpiciant ne quid vel non Sanctum in Sanctam Civitatem, vel erroneum in Arcem veritatis irrepat. NOS infrà ſcripti hujus ſacræ Facultatis in Academiâ Cadomenſi Doctores vigilantes in omnibus, & miniſterium noſtrum implere cupientes, pro primâ menſis, die tertiâ Maij, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo legitimè congregati: Declaramus principia Philoſophiæ RENATI DESCARTES, ſaniori Theologorum doctrinæ contraria nobis videri, & perpetuo Decreto ſtatuimus neminem eorum qui illa ſuſtinere, aut defendere voluerit, ad ullum hujus ſacræ Facultatis gradum eſſe deinceps admittendum. Præterea attendentes ad mandatum, quo Rex in ſupremo ſtatûs conſiſtorio ſedens Verſalij, die ſecundâ Auguſti, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto, vetuit ne ullæ Opiniones ex iis quæ nituntur principiis Carteſij docerentur in Academiâ Andegavenſi; pro noſtrâ erga Regis voluntatem, reverentiâ, ſimiliter prohibemus omnibus, & ſingulis, tum jam admiſſis, tum aliàs admittendis in noſtram Facultatem, ne quis prædicta Philoſophiæ Carteſianæ principia, ſcripto, aut vivâ voce docere, aut propugnare in poſterùm præſumat, ſub pœnâ amittendi gradum quemcumque in ſacrâ Facultate obtinuerit. Porrò ut hoc Decretum omnibus ad quos pertinere poterit innoteſcat, in noſtræ Facultatis acta referetur, & in majoribus Scholis, proximâ diſputatione publicâ, per Scribam ordinarium promulgabitur coram nobis, & omnibus, ſive Licentiatis, ſive Baccalaureis, ſive aliis quicunque aderunt ſacræ Theologiæ Candidatis.

ACTUM in loco majorum, die, & anno ut ſuprà.

Signatum,

DAUGE, VEREL, LE NORMAND,
COUSIN, F. COUPIL.

JESUS MARIA.

COPIE DE LA LETTRE ECRITE au Roy par l'Aſſemblée generale de l'Oratoire, en datte du 23. Septembre 1678.

SIRE,

Au moment que nous avons formé noſtre Aſſemblée, aprés avoir élevé les mains au Ciel pour attirer ſon Saint Eſprit, & fait des vœux pour la proſperité de l'Eſtat, & pour la conſervation de voſtre Perſonne Sacrée, Nous avons crû nous devoir appliquer ſingulierement à ſuivre les intentions de V. M. en renouvellant le zele que nous avons toûjours eu pour la Doctrine de l'Egliſe, & continuant à rejetter celle qui luy eſt oppoſée. Pour nous mieux conformer aux volontez de V. M. qui poſſede ſi dignement la qualité de Protecteur de cette Mere commune des Fidelles, nous avons eſté perſuadez que le veritable intereſt de noſtre Congregation eſtoit d'inſpirer cet Eſprit à tous les Sujets qui la compoſent, afin d'en éloigner à jamais juſqu'à l'ombre des moindres nouveautez, & nous rendre dignes des bontez dont V. M. a bien voulu juſques icy honorer noſtre Congregation. Pour

Digitized by Google

cet effet nous en avons dreſſé un écrit que nous avons mis entre les mains de Monſieur l'Archeveſque de Paris, qui dans cette occaſion nous a parlé comme un Pere & comme un Amy, lorſque nous avons eu l'honneur de recevoir de ſa part les Ordres de V. M. Nous luy proteſtons, que les ſujets que noſtre Aſſemblée a choiſi pour en faire les Aſſiſtans du Pere General, & les Viſiteurs de toutes les Maiſons de la Congregation, s'uniront parfaitement à luy, pour empeſcher qu'aucune perſonne du Corps s'éloigne jamais des ſentimens des Conſtitutions Apoſtoliques, par leſquelles la Doctrine de Ianſenius a eſté ſi ſolemnellement condamnée, & dont V. M. a autorizé l'execution d'une maniere ſi puiſſante & ſi religieuſe. Que ſi quelqu'un s'échapoit malgré le ſoin qu'ils prendront; nous ſupplions tres-humblement V. M. de proteger les Superieurs, pour les ayder à en faire une punition exemplaire, puiſque nous mettons toute noſtre gloire à demeurer inviolablement attachez à nos devoirs, & que c'eſt par là que nous voulons particulierement meriter à jamais la qualité,

SIRE,

De vos tres-humbles, tres-obeiſſans, & tres fidelles ſujets & ſerviteurs, les Preſtres de l'Oratoire, aſſemblez à Paris. ABEL LOVYS DE SAINTE-MARTHE, Preſtre de l'Oratoire.

De l'ordre de l'Aſſemblée,
L. CHANCELIER, *Secretaire.*

EXTRAIT DES ACTES DE LA ſeiziéme Aſſemblée Generale de la Congregation de l'Oratoire de JESUS-CHRIST, noſtre Seigneur, tenuë en la maiſon de l'Oratoire, proche le Chaſteau du Louvre, au mois de Septembre 1678.

Du Vendredy 16. aprés midy, Seſſion 6.

L'Aſſemblée faiſant attention au Statut de la precedente rapporté dans la Seſſ. II. touchant la Doctrine de la Congregation, & voulant remedier à l'abus que l'on en pourroit faire, & aux inconveniens qui en pourroient arriver, à jugé à propos de ſe contenter de renouveller pour toûjours les Statuts que la cinquiéme & ſixiéme Aſſemblées ont faits ſur cette matiere; à ſçavoir, que dérogeant à tout autre fait depuis au contraire, elle a declaré qu'en matiere de Doctrine elle n'embaraſſe aucun party, & n'a aucune opinion de Corps ny de Communauté; mais qu'elle a toûjours eſté & veut demeurer en liberté de pouvoir tenir toute bonne & ſaine Doctrine, & qu'elle ne défend d'enſeigner que celles qui ſont condamnées par l'Egliſe, ou qui pourroient eſtre ſuſpectes des ſentimens de Janſenius & de Baius, pour la Theologie, & des opinions de Deſcartes pour la Philoſophie.

Elle a auſſi déclaré, quoy qu'elle faſſe profeſſion de ſui

le relaſchement dans la Morale & dans la Diſcipline, elle recommande neanmoins à tous les Predicateurs & Confeſſeurs d'éviter toute rigueur exceſſive, & de ſuivre dans l'exercice de leur miniſtere les avis de S. Charles, que tout le Clergé de France aſſemblé a donné ordre d'imprimer pour l'uſage de toutes les Egliſes de ce Royaume, & que Monſeigneur l'Illuſtriſſime Archeveſque a propoſez pour modelle à tout le Clergé de ſon Dioceſe.

ORDRE DE L'ASSEMBLE'E *Generale, pour eſtre envoyé dans toutes les Maiſons de l'Oratoire.*

SElon les reſolutions de nos Aſſemblées, & ſur tout ſelon le Statut de la cinquiéme renouvellé dans la ſixiéme, auquel l'Aſſemblée derniere donne une nouvelle vigueur; il ſera libre à nos Theologiens de tenir & d'enſeigner, ſoit aux noſtres, ſoit aux externes, dans les Seminaires, dans les Colleges, & dans les autres Maiſons de la Congregation, toutes les opinions qui ſont receuës, & librement enſeignées dans l'Egliſe, ſans qu'on puiſſe leur impoſer aucune neceſſité de s'attacher aux unes, plûtoſt qu'aux autres. La Congregation ayant toûjours fait gloire de ſe conformer entierement aux ſentimens, aux inclinations, & à la conduite de l'Egliſe, qui eſt la Colomne de la verité, & l'Epouſe de celuy qui eſt la Sageſſe éternelle : veut toûjours continuer de rejetter tout ce qu'elle rejette, & d'approuver tout ce qu'elle approuve. C'eſt comme elle en a uſé au temps de noſtre

tres-honoré Pere & Fondateur Monſeigneur le Cardinal de Berulle, & de ſon tres-digne ſucceſſeur le Reverend Pere de Condren. C'eſt comme elle en a uſé avant la naiſſance des dernieres conteſtations ſur le Janſeniſme. C'eſt comme elle devoit neceſſairement en uſer, puiſque les premiers membres qui l'ont compoſée, eſtoient Docteurs de la Faculté de Theologie de Paris, qui eſt la plus celebre qui ſoit dans le monde, qui a donné, & qui donne tous les jours tant de Saints & Sçavans Prelats à l'Egliſe, & qui ſe maintient dans le comble de la gloire, & dans une concorde & une unité parfaite, par cette attache inviolable à tous les Articles de la Foy que l'Egliſe a definis, & par une entiere neutralité dans tous ceux qu'elle n'a point déterminez; jugeant tres-ſagement, comme nous le jugeons auſſi avec elle, qu'en cela il n'y a rien de contraire au profond reſpect & à la grande eſtime que tous les Theologiens doivent avoir pour la Doctrine de S. Auguſtin & de S. Thomas.

Ainſi il ſera toûjours libre de tenir, & d'enſeigner la Predeſtination gratuite, & la grace efficace par elle-meſme; mais en ſorte qu'on ait un ſoin tout particulier, 1°. De montrer que cette efficacité n'impoſe point de neceſſité à la volonté; mais lors qu'elle l'excite elle la laiſſe dans la puiſſance d'agir & de ne pas agir. Et cela a toûjours eſté le ſentiment de la Congregation. 2°. D'établir en meſme temps des graces veritablement ſuffiſantes, qui donnent le pouvoir d'accomplir les Commandemens de Dieu, & qui demeurent inutiles, lorſque la volonté les rejette, & leur refuſe ſon conſentement: ce qui ſe doit entendre de tout eſtat.

Ceux qui ſuivront ces ſentimens, regarderont avec eſtime & avec reſpect ceux qui ſe seront attachez à des ſentimens contraires, ſoit dans la Congregation, ſoit

dans les autres Communautez, afin de conſerver la paix & la bonne intelligence avec tous les Theologiens Catholiques; afin d'imiter autant qu'il nous ſera poſſible, l'étenduë infinie de la Charité de l'Egliſe, qui embraſſe, & qui reünit dans ſon ſein tant de membres differens; & afin que la verité ſe découvre plus parfaitement à nous, ſi nous allons à elle par les voyes de l'humilité & de la charité.

Les meſmes raiſons les obligent de ſe défendre avec un ſoin tout particulier du Janſeniſme, condamné ou deſapprouvé par les Conſtitutions des Souverains Pontifes, & de ne jamais ſoûtenir aucune propoſition de Baius; comme eſt celle qui regarde les actions des infidelles, & autres.

Dans les Ecoles de Philoſophie les Profeſſeurs en Logique ne doivent point enſeigner des opinions particulieres, comme ſont celles-cy : *Deus, aut veritas, aut voluntas eſt objectum Logicæ : Vnum datur univerſale : Eſſentiæ ſunt univerſales à parte rei extra Deum ab æterno : Vna eſt tantùm Categoria.*

Sur les futurs contingens on laiſſe la liberté accordée par le Statut de cette derniere Aſſemblée.

Dans la Morale les Philoſophes doivent traiter des queſtions de Morale fort ſuccinctement & toûjours en Philoſophes, & non en Theologiens. Autresfois on n'employoit au Traité de la Morale, que trois ſemaines, ou un mois.

La queſtion du deſir naturel du bien, & de la beatitude, qui ſe rencontre dans tous les hommes, ne doit pas eſtre expliquée de l'amour de Dieu déterminément, qui doit eſtre veu d'une viſion intuitive; mais de l'amour du bien en general, qui ne peut nous rendre heureux : comme l'enſeignent les Thomiſtes. Autrement il s'en-

ſuivroit de là, que tout le monde agiroit par charité: car tous deſirent eſtre heureux.

L'on peut agiter ſi la beatitude formelle conſiſte dans la viſion de Dieu, ou dans l'amour, ou dans l'écoulement de la Divinité dans la ſubſtance des bienheureux; mais on ne doit pas traiter en Philoſophie la queſtion qui demande, s'il y a une beatitude naturelle, de peur de s'engager à parler de l'eſtat de la nature pure & de celuy d'innocence, & du peché originel, qui ſont des matieres de Theologie.

L'on doit traiter la queſtion des actions & des vertus humaines en Philoſophe, comme a fait Ariſtote par rapport à leur fins prochaines, & à leurs circonſtances, & non en Theologien par rapport à la fin derniere.

La queſtion de la liberté doit eſtre traitée ſuccinctement, & ſans parler des differens états de l'homme innocent ou criminel, voyageur ou bienheureux, & des matieres de la grace, que la Philoſophie ne connoiſt point. Il faut enſeigner que la liberté naturelle de l'homme eſt une puiſſance élective, qui conſiſte dans l'indifference, & non ſeulement dans l'exemption de contrainte, que les Philoſophes appellent Spontaneité.

L'on ne doit point abſolument parler dans la Philoſophie morale, ny de l'eſtat de la nature pure, ny de la Politique, ny des Loix des Princes, ny de la Monarchie, ny d'aucune choſe qui regarde l'Eſtat.

Dans la Phyſique l'on ne doit point s'éloigner de la Phyſique, ny des principes de Phyſique d'Ariſtote, communément receus dans les Colleges, pour s'attacher à la Doctrine nouvelle de Monſieur Deſcartes, que le Roy a défendu qu'on enſeignaſt pour de bonnes raiſons.

L'on doit enſeigner 1°. Que l'extenſion actuelle & exterieure n'eſt pas de l'eſſence de la matiere. 2°. Qu'en

chaque corps naturel il y a une forme ſubſtantielle réellement diſtinguée de la matiere. 3°. Qu'il y a des accidens réels, & abſolus, inherens à leurs ſujets, réellement diſtinguez de toute autre ſubſtance, & qui peuvent ſurnaturellement eſtre ſans aucun ſujet. 4°. Que l'ame eſt réellement preſente, & unie à tout le corps, & à toutes les parties du corps. 5°. Que la penſée & la connoiſſance n'eſt pas l'eſſence de l'ame raiſonnable. 6°. Qu'il n'y a aucune repugnance, que Dieu puiſſe produire pluſieurs mondes à meſme temps. 7°. Que le vuide n'eſt pas impoſſible.

Dans la Mataphyſique aprés avoir prouvé l'exiſtence de Dieu, l'on peut faire voir par les conſequences neceſſaires, quels ſont ſes attributs; comment ils les faut diviſer, & diſtinguer, ſans en traiter en particulier, ny paſſer outre dans les matieres de Theologie.

De l'ordre de noſtre Reverend Pere General, & de ſon Conſeil, le tout cy-deſſus collationné avec les Originaux, par moy Preſtre, & Secretaire de l'Oratoire de JESUS.

Digitized by Google

TOMVS
SECVNDVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

352

Digitized by Google



COMPENDIVM
ETHICÆ.

PRÆFATIO.

SOLI excellunt qui virtute pollent, quippe quæ ſit id quod eſt in naturâ optimum; nihil enim ratione melius, in ratione autem nihil eſt virtute præſtantius; virtute enim viuere eſt benè, beatèque viuere, εὖ ζῆν, καὶ εὖ πράττειν, vt ait Philoſophus. Nec profectò vllâ re longiùs abſumus ab indole ferarum, & propiùs ad Dei naturam accedimus. Cum autem hominis vita ſit via lubrica,

Digitized by Google

in quâ qui non cadit, titubat ob iudicij deceptionem, & prauitatem appetitûs, infirmitatemque noſtræ libertatis. Quapropter homini perneceſſaria eſt, & *Lux* quæ ipſius mentis caliginibus affulgeat, & *Dux* qui ipſum dirigat, & *Vis* quæ facultatis illius imbecillitatem corroboret, atque fulciat, honeſtum à turpi diſcrepare demonſtrando, eique juſtitiæ viam manifeſtando; ea porrò *Vis*, eſt

Philosophia Moralis, quæ à *Philoſopho*, è potiſſimâ eius parte, *Politica* nuncupatur.

Ethica, à nomine ἔθος, mores; ἀπὸ τοῦ ἔθους, quòd eſt conſuetudo, ſeu agendi inſtitutum.

Mos, eſt vitæ inſtitutum conſuetudine firmatum, (vernaculè *Coutume*) vnde quis *Moratus* denominatur; & quid dicitur in *more* poſitum, *inſtitutoque* majorum.

Mores (vernaculè *Mœurs*) à quibus homo denominatur *Moralis*, ſunt aſſuetudines honeſtæ, vel turpes: hæ ſunt *Vitia*, à quibus declinare nos oportet; illæ autem ſunt *Virtutes*, ad quas nos debemus inclinare.

Mos, attribuitur belluis; dicitur enim quis agere ferarum *More*; imò etiam & conuenit rebus inanimatis. Vnde quis dicitur veſtitus *more Patrio*: *Mores* verò peculiares ſunt *ſolis* hominum *Virtutibus*, & *Vitijs*.

Mores, dicuntur *officia* vitæ, quia ſunt ea, quæ homini agenda, vel fugienda ſunt in vitâ. In colendo officio vitæ, eſt *honeſtas* omnis, & in negligendo, *turpitudo*. Hinc illud dilige *Iuſtitiam*, odi *Iniquitatem*; fac bonum, & declina à malo.

MORALIS eſt, *vel*

1. Natvralis, ſeu naturale lumen rationis

quo noſcimus, quid agendum, quid fugiendum.

2. Experimentalis, eſt facilitas benè viuendi, vſu, & aſſuetudine parta, non reddens cauſas officiorum vitæ; qualis eſt in eo qui proborum exempla ſequens, viuit conformiter rectæ rationi.

3. Dogmatica, ſeu *Scientifica*, eſt ſcientia, & prudentia directiua actionum humanarum ad honeſtatem per generalia benè viuendi præcepta.

Generalia benè viuendi præcepta, ſunt ea quæ naturali rationis dictamine, à nobis intelliguntur.

Actio humana, eſt actio *libera*; cum hæc ſit homini propria; vt potè quæ ſit in eius poteſtate.

Actio hominis, eſt ea quæ exeritur ab homine, v. g. propenſio ad fœlicitatem.

Omnis actio humana, eſt actio hominis; quia ab homine prodit: at non viciſſim; nam inclinatio voluntatis humanæ ad bonum vniuerſim, eſt *actio hominis*; quia elicitur ab homine: at non eſt *actio humana*; quia ab ipſo non eligitur.

MORALIS eſt, *vel*

1. Vniversalis, quæ nimirùm præſcribit officia cuilibet vitæ ſtatui communia, v. g. alteri nè feceris, quod tibi fieri non vis. Item voluptates ſperne, dolores ſuſtine, &c.

2. Particularis, quæ tradit regulas benè viuendi, certo vitæ ſtatui peculiares; nempe Monastica, œconomica, politica.

Quidam homines norunt quæ ſunt ipſis agenda in vitâ, eaque alacriter exequuntur, *aureaſque* habent *animas* (vt cum Platone loquar) de quibus dicitur *gaudeant benè nati.* Alij ſunt qui non ſatis callent vitæ officia: at ſtudiosè ea addiſcunt, & jucundè ad praxim reducunt; ijque ſunt, qui *argenteas* ſortiti ſunt *animas.* Poſtremi demùm bene vi-

uendi rationem, & ignorant, & recuſant addiſcere; *ferreaſque* habent *animas*; ijque ſunt, qui labem in laudem vertunt, qui ſuſpicienda, deſpiciunt, & eligenda, negligunt; qui nolunt intelligere vt ſapiant. *De quibus ſic habet* Heſiodus

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ.
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα, καὶ ἐς τέλος ᾖσιν
    ἀμείνω
Εσθλὸς, δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ος δ' κε μή τ' αὐτὸς νοέῃ μή τ' ἄλλου ἀκούων,
Εν θυμῷ βάλληται, ὃ δ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.

Id eſt.

Optimus eſt, ſeſe qui nouit cuncta magiſtro,
Ad finem vſque videns quæ ſemper ſunt meliora:
Et bonus eſt etiam, qui paret recta monenti:
At qui ex ſeſe nec ſcit, nec cuiquam porrigit aures
Vt bona percipiat; malus ille, & inutilis eſt vir.

POSTREMI eiuſmodi homines; quia Moribus, Legi, nec Imperio *morem* gerunt, minimè ſunt idonei Philoſophiæ Moralis auditores; morbus enim eorum animæ, eſt à *Morali Philoſophiâ* inſanabilis; ſicut & vulnus corporis, quod nec *Diatà, Pharmaco, Ferro*, aut *Igne* curari poteſt, eſt à *Medicinâ*, immedicabile. Vnde vt ſanetur indiget ope ſuperioris virtutis; nam *Medicina* morbos, langores ſanat *Deus.*

QVATVOR erunt *Tractatus* ETHICÆ *Vniuerſalis.*

Primus, erit de causâ finali *actionum humanarum.*
Secundus, de principijs effectiuis.
Tertius, de ſpeciebus.
Quartus, de *earumdem* proprietatibus.

TRACTATVS PRIMVS.

DE CAVSA FINALI, ACTIONVM HVMANARVM.

TALE eſt noſtrum viuendi inſtitutum, qualis eſt finis vltimi, à nobis propoſiti ratio; qui enim *Summum Bonum* ſuis commodis, non honeſtate metitur, VIRTVTEM colere minimè poteſt; nec enim Fortis queit eſſe, qui DOLOREM, *Summum Malum* eſſe judicat; nec qui ſtatuit VOLVPTATEM, *Summum Bonum*, temperans eſſe, poteſt; virtus etenim eſſe non valet, niſi propter id quod *Rectum* eſt, ipſum autem eſt, & *Honeſtum*. Quamobrem homo nequit ſecundùm honeſtatis leges, *Mores ſuos* componere, niſi eos ad finem rectæ rationi conſentaneum dirigat; nec ad illum collimare, niſi deſideret, nec ipſum exoptare, niſi cognoſcat; *ignoti quippe nulla cupido*. Ideoque tam homini neceſſaria eſt *Veri* FINIS *Vltimi notitia*, vt ipſum ſibi comparet, quàm ſagittario *inſpectio* Scopi, vt *metam* aſſequatur. Igitur imprimìs de fine vltimo, *ſeu* beatitudine, accuratè nobis hìc eſt agendum.

BEATITVDO, eſt *Finis*; FINIS autem omnis eſt *Bonus*; quapropter priùs agemus de *Bono*, tum de *Fine*; poſtremò demùm de *Beatitudine*.

DE

BONO MORALI.

OPTIME veteres definierunt BONVM, *id quod omnia appetunt*; Id enim eſt vnicuique *Bonum*, quod à quolibet determinatè appetitur; etenim nihil intendens malum, operatur. Sic terræ *centrum*, eſt *Bonum*, lapidi; plantis, germinare; belluis, ſentire; hominibus, ratiocinari, angelis, intelligere; quia hæc ab iis appetuntur.

HOC *modo* OMNIA, ſumitur *diſtributiuè*; ſi verò *collectiuè* accipiatur, *ſolum Summum Bonum* hìc deſcribitur; ſolus enim *Deus* eſt is quem omnia ſimul appetunt.

APPETITVS eſt, *vel*

1. NATVRALIS, *ſeu* niſus, vel impetus rei cognitione deſtitutæ, in quid ſibi conueniens, v. g. appetitus germinationis, in plantâ; *vel* deſcenſûs, in lapide.

2. SENSITIVVS, eſt propenſio facultatis in bonum, è præuiâ cognitione ſenſûs, v. g. inſtinctus, quo *Hirundo*, Verno tempore impellitur ad nidi conſtructionem.

3. RATIONALIS, eſt inclinatio in bonum præuiâ ratione cognitum, v. g. pondus voluntatis, in virtutem.

BONVM morale eſt, *vel*

1. VERVM, quod ex ſe hominem perficit, v. g. *Virtus*, quæ licet nobilitata non eſſet; tamen foret honeſta, & quàmuis à nullo laudaretur; laudabilis

Digitized by Google

tamen eſſet naturâ ſuâ; ſicut enim Sol propriis radiis coruſcat; ſic ipſa ſuo ſplendore eſt illuſtris.

2. Apparens, quod reuerà hominem inficit. *Vel* quod tale non eſt, quale apparet, v. g. *furtum.*

BONVM iterùm, *vel* congruit

Soli { corpori / animo } v. g. { robur. / ſapientia.

Vtrique, v. g. opes, amici, &c.

DEINDE Bonum eſt, vel

Externum, quod eſt extra nos, *putà* bona *fortunæ.*

Internum, quod eſt intra nos, *putà* bona *naturæ.*

PRÆTEREA Bona, alia ſunt

1. Indifferentia, ſeu quibus benè, vel malè vti poſſumus: ſeu bona ſecundùm quid, & à Philoſopho vocantur *Facultates*, à Stoïcis autem *Commoda*; ſuntque bona naturæ, *putà* ſanitas, robur, pulchritudo; vel fortunæ, putà opes, imperium; *vel* artis, v. g. ſcientia, & ſimilia à quibus homo non denominatur bonvs *Simpliciter.*

2. Ad honestè viuendum determinata, quibus videlicet benè viuitur, & nemo malè vtitur, ſuntque bona ſimpliciter. Vnde ab ijs homo denominatur bonvs *ſimpliciter*, & hæc ſunt, *vel*

a. Lavdabilia, quæ à naturâ ſuâ ad vlterius bonum tendunt; *putà* habitus remiſſæ virtutis, ad intenſiorem; vel intenſus, ad actionem; *ſic* habitus fortitudinis *in Tyrone militiæ* tendit ad perfectiorem, & ſimilem ei, qui eſt in Veterano Milite, & vterque ad fortiter pugnandum. Virtus *quippe*, eſt *diſpoſitio perfecti, ad optimum.*

b. Honorabilia, ſunt ea quæ ſui gratiâ expetuntur, nec vlteriùs ſunt neceſſariò referenda,

v. g. excellentia præſtantiſſimæ actionis; *putà* amor Dei fruitiuus.

Hinc LAVS inchoato, HONOR autem bono conſummato debetur. Vnde hæc *egregia Allegoria.*

Eſt HONOR *in portu cum puppis ab æquore venit:*
LAVDIBVS *inceptum, continuatur iter.*

DVM mercator vela facere ſuſcipit, ſuam vt nauim reducat, caris, rariſque onuſtam mercibus; ſui laudatur conſilij, & ad illud exequendum, iterque perficiendum laudibus excipitur, & excitatur; at cum redux fœliciter ſubit portum, naue ſuâ amplis, pretioſiſque refertâ mercibus: tunc quia eſt in fine ſui fortunati, necnon periculoſi laboris, ab omnibus honoratur. Sic iuuenes qui virtutis viam decurrendam ſuſcipiunt, vt ſcilicet ad eius tramitem promoueantur, *laudibus* incitantur; ſenes autem, quippe qui hoc iter iam diu percurrant, *honoris* cultu venerantur.

BONVM denique eſt

1. HONESTVM, quod per ſe decet naturam rationalem; putà Virtus ſecluſo enim quouis præmio, de ſe eſt optabilis, & ſicut aurum ſibi ipſi merces eſt, & pretium; ſicut Sol, ſuis radiis coronatur; ſic ipſa VIRTVS proprio honore fulget.

2. IVCVNDVM, quod parit voluptatem, v. g. virtus, ineffabiles enim habet voluptates; vnde ſi oculis hominum cerneretur mirabiles in omnium animis amores excitaret. Eſt ipſa ſibi ſua voluptas.

3. VTILE, quod conducit ad aliud. Eſtque vel *vtile*

a. *Simpliciter,* quod conducit ad finem vltimum ſimpliciter, nempe beatitudinem, v. g. virtus.

b. *Secundùm quid*, quod confert ad vltimum finem ſecundùm quid acquirendum, v. g. *pharmacum*, ad ſanitatem.

MALVM MORALE potiſſimè, eſt

1. TVRPE, quod per ſe dedecet naturam rationalem, v. g. *ebrietas*. Illud *Natura*, dolore, vel pudore ſuffudit.

2. MOLESTVM, quod parit dolorem, v. g. *podagra*, *chiragra*.

3. NOCIVVM, quod priuat bono. Eſtque *vel*

a. *Secundùm quid*, quod priuat nos fine ſecundùm quid, v. g. Martyrium, quod priuat vitâ temporali.

b. *Simpliciter*, quod priuat nos fine ſimpliciter, *putà* fœlicitate, v. g. illicita voluptas; etenim

— *Nocet empta dolore voluptas.*

DE

FINE MORALI.

FINIS, eſt deſideriorum terminus, quo obtento ceſſat motus. Eſtque *vel*

1. INTERMEDIVS, cuius gratiâ fit aliquid, & qui eſt propter aliud, v. g. *Victoria*, propter quam eſt prælium; ipſa verò eſt publicæ pacis gratiâ.

2. VLTIMVS, ad quem cætera referuntur, nec ipſe tendit vlteriùs, Eſtque vel *Vltimus*

a. *Secundùm quid*, ad quem omnia in aliquo genere referuntur, ipſe verò non expetitur propter aliud, v. g. *ſanitas*, in Medicinâ.

b. *Simpliciter*, ſeu in omni genere, qui propter ſe expetitur, & cuius gratiâ cætera deſiderantur. Vocaturque BEATITVDO. Eſtque vel *Finis*

1. *Verus*, qui eſt bonum perfectè ſatiatiuum appetitûs, qualis eſt ſolus *Deus*; eius quippe gratiâ

ſunt omnia, ipſe verò propter ſe.

2. *Apparens*, qui apparet perfectè expletiuus appetitûs, nec reuerà eſt, v. g. *Diuitiæ* reſpectu Auari.

FINIS vltimus præterea ſumitur, *vel*

1. MATERIALITER, eſtque res determinata cui conuenit ratio finis vltimi, v. g. *Honor* reſpectu Ambitioſi. A quibuſdam etiam appellatur BEATITVDO *diſtincta*, & *in particulari*.

2. FORMALITER, eſtque forma per quam res conſtituitur in ratione finis vltimi. Vocaturque à quibuſdam BEATITVDO *in confuſo*, & *in communi*. Sicque.

Definitur, ſatietas appetitûs orta è carentiâ omnis mali, & ſufficientiâ omnis boni.

Boëtio, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectiſſimus.

QVODLIBET agit propter finem, *vel*

1. MATERIALITER, ſeu inſtar *Materiæ*, quod ſcilicet mouetur ad finem non cognoſcendo rationem finis. Idque, *vel*

a. *Sine vllâ præuiâ cognitione*, v. g. lapis, qui impetu naturali ad terræ centrum; ſicut *Sagitta*, impulſu ſagittarij, ad *ſcopum* fertur.

b. *E præuiâ ſenſus cognitione*; v. g. Bellua, quæ inſtinctu naturali rapitur in proprium bonum, v. g. *Apis*, ad mellis elaborationem.

2. FORMALITER, ſeu inſtar *Formæ*. Eſt quod ſe mouet in finem; ſeu appetit finem cognitum ſecundùm propriam formam, & media ſecundùm proportionem eorum ad finem; ſic medicus, (qui cognoſcit, & proportionem remediorum ad ſanitatem, & huius ordinem ad media, & vi eiuſmodi cognitionis ſe accingit ad ſanitatis conſeruationem, vel

reſtitutionem) agit propter finem formaliter.

HOMO agit propter *Finem*, vel

1. Explicitè, cum actu cogitat de fine propter quem operatur, v. g. dum intendit actu conſulere ſaluti animæ ſuæ.

2. Implicitè, dum non cogitat actu de fine propter quem agit. Idque *vel*

a. *Virtualiter*, dum actu de *Fine* non cogitatur; ſed paulò ante cogitatum fuerat, ita vt actio fiat virtute præcedentis huius actionis, v. g. viator licet actu non cogitet de loco ad quem tendit, cenſetur tamen iter facere, vt illuc perueniat.

b. *Habitualiter*, dum ſine vi præcedentis cogitationis, è magnâ aſſuetudine aliquid agendum ſuſcipit. Sic *Ebrius*, domum ſuam repetit, de qua priùs non cogitauerat.

c. Interpretativè, qui eius gratiâ operatur, de quo nunquam cogitauerat; ita tamen ſic affectus eſt, vt ſi de eo cogitaſſet, propter ipſum ageret. Sic ſtupidus agit propter beatitudinem.

Agere *fruſtra*, eſt non poſſe conſequi ſuum finem; ſic *Auarus* agit fruſtra, nunquam enim vitæ ſufficientiam, quam è diuitiarum abundantiâ ſperat, conſequetur; qui enim delectatur in diuitiis fructum non percipiet ex ijs; non enim magis vtitur ijs quæ habet, quàm ijs quæ non habet.

Agere *in vanum*, eſt agere propter inanem finem; vt ſi quis muſcas aucuparetur; idem præſtat *Is*, qui vanam ambit gloriam.

Otiari, eſt *non agere id quod oportet*; vel *aliud agere quàm oportet*, v. g. ſi quis venetur, dum juſtitia ab ipſo eſt adminiſtranda.

Otium tamen quandoque ſumitur in bonam partem; vnde quis non magis dicitur negotioſus quàm

dum eſt otioſus, *Hinc* illud *Maronis*

— *Deus nobis hæc otia fecit.*

DE BEATITVDINE.

ADEO nobis radicitùs inſita eſt beatitudinis cupiditas, nihil vt non moliamur, vt tandem contenti, fœliceſque euadamus; etiam id expetimus iniuſtè agendo; licet tamen perperam, ſicut enim, nec VERITAS *Mendacio* probatur, aut VIRTVS, *Vitio* corroboratur; ſic nec FŒLICITAS, *Miſeriâ* comparatur.

BEATITVDO, dicitur *Summum Bonum*; quia eſt, & bonorum *Summa*, & *Amplitudo.*

Græcè, *μακαρία ἄπο τȣ̃ μάλιϛα χαίρειν*, à maximè gaudendo; quia ſcilicet *Beatitudo*, ſupremum in nobis ingenerat gaudium; *poſſeſſio* enim fruitionem, *fruitio*, quietem; *quies*, voluptatem, hæc autem cum maxima ſit in *Fœlicitate*, maximum ingenerat *Gaudium.*

FOELICITAS eſt, *vel*

1. SECVNDÙM QVID, & impropriè, vnde quidam *Fœlices* cum addito, ſeu potiùs fortunati appellantur; ſic quis dicitur FŒLIX in *Ludo*, in *Bello*, &c. Vernaculè *il eſt heureux au jeu*; *il a du bonheur dans la guerre*, &c.

2. SIMPLICITER, à quâ, quis *Fœlix* ſine addito denominatur; ſic *Vir bonus*, dicitur BEATVS.

BEATITVDO Simpliciter, eſt

1. OBIECTIVA, ſeu *Obiectum Beatificum*; hocque *eſt* bonum cuius poſſeſſione beati efficimur, v. g. *diuitiæ*, reſpectu auari.

γ. VIM

b. Formalis, eſt *poſſeſſio ſummi boni*; eſt enim *forma* per quam beati conſtituimur.

VTRAQVE eſt, *vel*

1. Apparens, *quæ* vanâ ſpe animos deludit, v. g. poſſeſſio diuitiarum; poſſidere enim eſt poſſe ſedere, ſeu quieſcere in aliquo: at in diuitiis nulla quies. Etenim

Qui plus ſunt pota, plus ſitiuntur aquæ.

2. Vera, eſt adeptio Dei; mihi autem adhærere Deo bonum eſt, *inquit Apoſtolus.*

BEATITVDO obiectiva *ſecundùm* opinionem, eſt *multiplex*: at pro quadruplici præcipuo vitæ genere, eſt *quadruplex*, nempe

1. Qvæstvosorvm, qui ſuam beatitatem in opibus collocant: at hi turpiter, grauiterque hallucinantur; eorum quippe vita eſt violenta; auarus enim vim infert, &

a. Sibi, omnia quippe etiam ſibi neceſſaria denegat; *Auarus nulli bonus, ſibi verò peſſimus*, eſt magnas inter opes, inops: pauperi deſunt multa, auaro autem, vt potè qui ad quælibet inhiet, deficiunt omnia. Aurum eſt auaritiæ, quod pabulum flammæ, quoduis enim ei afferas, aufferet, & ſitis ardorem accendet, auaruſque ſicut habendi libidine torquetur, ſic & amittendi metu cruciatur. Quapropter ad fœlicitatem non ſunt augendæ opes, ſed minuendæ cupiditates.

b. Pecvniis; impedit enim nè *ipſæ*, humano vſui (qui eſt earum naturalis inclinatio) inſeruiant: ſanè nihil magnificentius eſt, quàm pecuniam contemnere ſi non habeas, ſi autem habeas, ad beneficentiam, liberalitatemque conferre; igitur opes non coaceruandæ ſunt: ſed temperato vſu ſunt moderandæ.

3. VIM denique *infert hominibus*, animas enim poſſidentium rapit; vnde habeas (*inquit*) quærit nemo, ſed oportet habere. Item

Et genus, & formam regina pecunia donat.

Beatitudo eſt omnium bonorum *ſcaturigo*, quæ nec fortunæ temeritate, nec inimicorum iniuriâ labefactari vllatenùs poteſt: at opes ſunt fortunæ, caſûſque ludibrium, & irritamenta malorum. Igitur BEATVS, eſt qui poſt aurum non abiit. Auaritia enim eſt Idolorum ſeruitus; & omnium malorum radix, eſt *Cupiditas.*

2. LIBIDINOSORVM, qui *Summum bonum*, in PVLCHRITVDINE, *ſanitate*, & *corporis voluptate* quærunt. Qui voluptatis lenocio capitur, decipitur; quò enim major eſt voluptas, eò magis mentem è ſuâ ſede, & ſtatu dimouet, ipſiuſque appetentia plena eſt anxietate, fruitio, pœnitentiæ; triſtes etenim voluptatum exitus ſentiet quiſquis earum reminiſci volet; vt eximiè pronuntiat Boëtius vir non minùs generis nobilitate, quam ſcientiarum claritate inſignis, idque ampliùs his verſibus graphicè exprimit.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

QVAPROPTER, ἐπιτερπέστατα, ἀτερπέστατα, *Iucundiſſima*, ſunt *Inſuauiſſima*; voluptas quippe dolore miſcetur, extrema gaudij, luctus. Igitur deuia eſt ad fœlicitatem, voluptatis via. O igitur *Mahumetem* omnium hominum perditiſſimum, quòd *Suis*, fœlicitatem Suis promiſerit.

Vita Libidinoſorum, *Vita Seruorum*, nè dicam *Porcorum*; in ijs quippe pars ſerua putà appetitus ſenſitiuus, dominatur, & pars libera nimirum ratio ancillatur, & ſubſeruit eorumque voluptates, Pecudum æſtu potiùs, quàm hominum, amore ſunt proſequendæ; ijs quippe belluæ delectabiliùs, quàm homines fruuntur, non enim reluctantem ſentiunt rationem, quam homines in ijs percipiendis experiuntur. Hæc igitur eſt *Pecudum*, non *Hominum* vita.

3. POLITICORVM, qui in *Nobilitate*, *Magiſtratibus*, *Auctoritate*, gratiâ apud principes, & *Honoris ambitione*, ſuam BEATITVDINEM collocant. Sed temerè, beatior quippe eſt qui ſpernit, quàm qui hæc ambit; hic enim miſerâ animi torquetur anxietate, ille verò expers omni ſollicitudine quieſcit. Hic puſillanimitate, & famæ vanitate agitatur; ille conſtantiâ, & animi magnitudine aduersùs eius inconſtantiæ leuitatem obfirmatur. Honorari virtutis gratiâ volumus: honor autem ſine virtute dedecus eſt, qui enim falsâ prædicantur virtutis æſtimatione, ſuis ipſi neceſſe eſt laudibus erubeſcant; nec enim profectò ſplendidum, ſi ſuam non habet, aliena claritudo, efficit. Miſera igitur eſt honorum ambitio.

Vita Politicorum, eſt prædictis elegantior; quia illi in apparentibus virtutis fructibus ſuam ſtatuunt fœlicitatem, hi verò non item.

BEATITVDO, eſt quid homine, & præſtantius, & diuinius; alioqui hominem non perficeret, nec eius appetitum expleret: at OPES, vt potè, purè terrenæ, & extra nos poſitæ, labore partæ, & ſollicitâ anxietate conſeruatæ, quæque doloris ægritudine amittuntur. *Item* & voluptates cum ſint corporeæ, impuræ, momentaneæ, & hominem ad bel-

ſuarum ſortem dejiciant. Sic etiam honor, vt potè qui vanus ſit fumus, nec in noſtrâ poteſtate conſtitutus, quique improbis potiùs, quàm probis conceditur, non eſt quid homine præſtantius, & diuinius. Miſer eſt igitur, qui res eiuſmodi ambit, miſerior qui ijs affluit, denique miſerrimus is eſt, qui ijs delectatur. Videmus quippe homines his rebus circunfluentes; ea tamen deſiderare maximè quibus abundant; neque enim vnquam ſatiatur, aut extinguitur, ſed magìs creſcit, & accenditur eorum cupiditatis ſitis.

4. *PHILOSOPHORVM putà*

a. STOICORVM, quibus *Fœlicitas* eſt *vnica* VIRTVS, licet naturæ, fortunæque muneribus ſit deſtituta.

VIRTVS, in hâc vitâ eſt beatitudinis fundamentum, *Opulentia cum laudabili vſu, eſt eius* inſtrumentum; *Voluptas licita*, condîmentum: *denique appetitûs ſatietas, eſt illius* complementum.

b. PLATONICORVM, quibus *Idea Boni*, illiuſque *intelligentia*, cum rectâ rerum inferiorum opinione, eſt *Beatitudo.*

c. PERIPATETICORVM, quibus *Fœlicitas* eſt actio rationalis animi ſecundùm virtutem perfectam in vitâ perfectâ. *ſeu*

Contemplatio Dei è ſapientiâ cum praxi virtutum omnium moralium. Vnde his, *Deus* eſt noſtra *Beatitudo obiectiua.*

Vita *Philoſophorum*, vita *Hominum*; nam beatitudinem in eo reponunt (præſertim *Peripatetici*) in quo humana ratio docet eam eſſe conſtituendam.

VERA hominis BEATITVDO *Obiectiua*, eſt DEVS *Solus*; quia ſolus poteſt perfectè ſatiare hominis appetitum; Sola enim boni plenitudo poteſt

ſatiare appetitum omnis boni capacem: ſolus autem Deus eſt omnis boni plenitudo; cum ſit omne ens, & appetitus hominis eſt capax omnis boni; cum ſit appetitus vniuerſalis, quàre quicquid Deo minùs eſt, ipſum non implebit; vnde illud *Auguſti doctoris* feciſti nos ad te Domine, & irrequietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te; mens enim humana ad imaginem Dei creata rebus terrenis occupari poteſt, ſatiari autem non poteſt; animam quippe Dei capacem, quicquid Deo minùs eſt non implebit.

SVMMVM *Malum Obiectiuum*, eſt impoſſibile; nam foret malum continens in ſe omnia mala: at ea ſunt incompatibilia; ſicut morbi; vt enim quis capſo febris æſtuare nequit ſimul, & frigore rigere, ſic nemo poteſt auarus eſſe ſimul, & prodigus, &c.

VERA hominis *Beatitudò Formalis*, eſt ESSENTIALIS, vel INTEGRALIS. *Vtraque* eſt *vel*

1. NATVRALIS, quæ naturæ viribus comparari poteſt;

2. SVPERNATVRALIS, quæ ſuperat naturæ vires.

BEATITVDO eſſentialis, eſt immediata vnio noſtri cum Deo.

BEATITVDO integralis, eſt quicquid pertinet ad beatitudinis integritatem.

BEATITVDO *formalis*, & *eſſentialis* huius vitæ ſecundùm naturæ vires, eſt contemplatio Dei per ſapientiam, & dilectio Dei ex charitate naturali; puta quatenus Deus eſt author naturæ. Vtraque enim actio nos immediatè vnit Deo.

BEATITVDO *Naturalis* integralis eſt, & praxis cæterarum virtutum moralium, v. g. liberalitatis, quæ non immediatè circa Deum, ſed circa

proximi pauperiem ſubleuandam verſatur.

BEATITVDO *Supernaturalis Formalis.*

1. *Huius vitæ*, eſt cognitio Dei ex fide, & dilectio Dei ex charitate chriſtianâ.

2. *Alterius vitæ*, quæ fuiſſet in ſtatu naturæ puræ; eſt contemplatio Dei abſtractiua, & dilectio Dei, proportionata cognitioni eiuſmodi.

BEATITVDO *Supernaturalis* alterius vitæ, in hoc ſtatu, *eſt* intuitiua Dei Viſio per lumen gloriæ, & Amor illius fruitiuus ex charitate conſummatâ.

MISERIA, ſeu Infœlicitas formaliter, eſt priuatio ſummi boni, *ſeu* irreparabilis amiſſio veræ cognitionis Dei, & pertinax illius odium. Sunt enim immediata ſeparatio creaturæ rationalis à Deo.

MISERIA *Integralis*, eſt & quæuis IMPROBITAS; improbus enim Philoſopho eſt valdè *Miſer*. Quodlibet enim peccatum nos ſaltem mediatè à Deo dimouet; *putà* auaritia.

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS.

DE PRINCIPIIS EFFECTIVIS ACTIONVM HVMANARVM.

QVEMADMODVM, vt medicus rectè curet, morbi cauſas ipſum ſcire neceſſe eſt; nam ſanitatis reſtitutio, eſt cauſarum morbi eradicatio. Vnde *ignoti nulla eſt curatio morbi*; ſimiliter vt moralis philoſophus; quippe qui ſit medicus animæ rationalis, ipſius ægritudines, *putà* ERRORES intellectûs, VITIA voluntatis, inordinatas *Phantaſiæ* imaginationes, tum graues *Appetitûs Senſitiui* perturbationes ſanare valeat; ipſum neceſſe eſt apprimè morum principia perſpecta habere.

Ea porro ſunt [*vel* { finalia. / effectiua.

DE Finalibus putà, de BEATITVDINE, jam dictum eſt.

EFFECTIVA autem ſunt *interna*, vel *externa*; de quibus hìc agimus.

EXTERNA, ſunt extra hominem *humanas actiones* elicientem, v. g. qui *imperio*, *conſiliis*, vel *precibus* mouent ad agendum, *putà*

Deus Optimus Maximus, inſpirando, iubendo, prohibendo.

DE
PRINCIPIIS CONGENITIS ACTIONVM HVMANARVM.

INTELLECTVS, & VOLVNTAS ſunt ſuperioris, & liberæ partis ipſius animæ, quæ eſt *Ratio*, vocaturque *Lex* ſpiritûs; hæque potentiæ ſunt per ſe *rationales*. IMAGINATIO, & APPETITVS *Senſitiuus*, vt potè facultates partis inferioris, & ſeruæ, quæ vocatur *Lex membrorum*, ſunt per ſe rationis expertes; rationi tamen parent; vt patet in *Continente*, in quo graues excitantur paſſiones, quas ratio vincit; licet hæc in *Incontinente* paſſionibus ſubſeruiat. *Idque hoc modo fit*

& OBIECTVM *Delectabile* mouet *imaginationem*, ea verò vehementem in *appetitu ſenſitiuo* paſſionem parit: vtraque verò facultas malè affecta peruertit judicium rationis; quiſque enim judicat vt affectus eſt, tum ab *appetitu ſenſitiuo*, & ab *imaginatione* mouetur *intellectus* ad attentiorem obiecti conſiderationem, eaque attentio occupat *voluntatis* intentionem, prærípiendo ipſi alterius boni appetitionem; *putà* exhibitio ſuauitatis apparentis, quæ percipitur è vindictâ, diſtrahit appetionem honeſtatis quæ elucet in acceptæ injuriæ condonatione, idcircò attrahit *Voluntatem*, ad illicita, *putà* ad ſumendam vindictam ad quam trahebat PASSIO, atque propendebat.

DE

INTELLECTV MORALI.

INTELLECTVS MORALIS, eſt *Lux* vitæ, *Lex* morum, *Dux* rationis, *Sedes* prudentiæ

In eo ſunt *Synteréſis*, *Lex naturalis*, *Conſcientia*, *Ethica*, *Prudentia*, *Iuriſprudentia*.

IVRISPRVDENTIA, *Iuriſconſultis*, eſt rerum diuinarum, & humanarum, iuſti, iniuſtique ſcientia; quia res diuinas, & humanas ordinat, licitum, ab illicito ſecernens.

Res diuinæ, hîc ſunt eæ quæ ad Dei cultum ſpectant: *res humanæ* verò ſunt eæ quæ ad humanam ſocietatem pertinent.

Definiri poteſt, diſciplina juris diuini, & humani (ſeu faſti, & nefaſti, æqui, & iniqui) per leges cognoſcitiua.

Prudentia vtitur legibus poſitiuis, & eſt ad moralem, vt medicina ad phyſicam.

SYNTÆRESIS, eſt animæ *Cuſtos*, *Rectrix*, *Conſeruatrix*; ipſique veluti facem præferens,

DEFINITVR, habitus primarum benè viuendi regularum, v. g. facilitas quâ nouimus *nemiminem eſſe lædendum. Suum cuique eſſe tribuendum*; putà *Deum colendum*.

mouet, & impellit / dimouet, & impedit [dum agitur, vel { benè / malè [actū eſt.

delectat, & recreat / pungit, & angit [dum agitur, vel { benè / malè [actum eſt.

Lex *Naturalis*, definitur actuale mentis dictamen, quo naturæ *Duce* noſcimus generaliter quid *agendum*, quid *fugiendum*.

Conscientia, dicitur veluti cordis ſcientia, quæ & ab Apoſtolo fides appellatur; quicquid, inquit, non eſt ex fide, peccatum eſt.

Definitur, actuale mentis dictamen quo ex vniuerſali præcepto concludimus aliquid moraliter *agendum*, vel *fugiendum* in particulari, v. g.

Opem ferre debemus parentibus, opus eà habentibus.

Ergo hic, & nunc meis parentibus opus habentibus debeo opem ferre,

Facilitas aſſentiendi huic generali præcepto, eſt *Syntareſis*; actualis aſſenſus eidem præcepto, eſt *lex naturalis*; concluſio quæ ex hoc præcepto deducitur, eſt *conſcientia*: & huic reluctari eſt contra *conſcientiam* agere.

Lex naturalis in *actu primo*, eſt Syntæreſis, & hæc in *actu ſecundo*, eſt illa viciſſim. Conſcientia verò ſe habet ad legem naturalem, vt concluſio ad principium.

CONSCIENTIA abſoluit, delectat inſontes, licet accuſentur, damnentur, & torqueantur; eſt enim *Fax* veritatis, & ſincera *Pax* cordis, animique conſtantia. *Hinc* illud

— *Innocui vis neſcia vinci.*

conſcientia mille teſtes, judex { gaudium, probis.
ſupplicium, improbis.

Accuſat, damnat, & torquet ſontes, licet excuſentur; abſoluantur, & laudentur; eis *quippe*, eſt aculeus, & eculeus, quid enim prodeſt *Laus*, vbi obeſt *Fraus*.

REVS *dicitur*, NOCENS, quòd aliis *noceat*; NOCENS *dicitur* REVS, quòd *ſe* continuò accuſari reatur, *etenim*

Conſcius ipſe ſibi, de ſe putat omnia dici.

INVETERATA peccandi *conſuetudine* deletur, & aboletur *Conſcientia*, in ijs qui bibunt iniquitatem ſicut aquam, *& queis eſt nectar perpetraſſe ſcelus*, tantaque eſt peccandi libido, vt ab iis dilecta ſint delicta, & quorum *vita* non eſt ampliùs MILITIA, ſed MALITIA ſuper terram.

BONA Conſcientia, eſt judicium intellectûs quo noſcimus aliquid à nobis factum eſſe, *vel* commiſſum cum ſinceritate, & æquitate.

CONSCIENTIA *Cauteriata*, ſeu vt ita dicam inuerſa, eſt dictamen intellectûs practici, dicentis *Malum* eſſe *Bonum*, & vice verſà, *bonum eſſe malum* abſque vllo remorſu, aut ſenſu.

Vermis Conſcientiæ, eſt dolor acutus, & edax, animæ intima torquens, & diſcrucians ob criminum atrocitatem.

CONSCIENTIA *Laxa*, eſt dictamen intellectûs practici parui facientis grauia peccata, & parua nihili æſtimantis; Trabem, feſtucam, hancque nihili ducentis.

CONSCIENTIA *Phariſaïca*, eſt dictamen intellectûs practici, judicantis quædam grauiora peccata, eſſe leuiora, & viciſſim, excolantis Culicem, & Camelum glutientis.

CONSCIENTIA *Perplexa*, eſt dictamen intellectûs practici iudicantis in particulari agibili ſubeſſe peccatum ſiue commitatur, ſiue omittatur. Sic Herodis conſcientia fuit circa cædem S. Ioan. Baptiſtæ; ipſe enim exiſtimabat ſibi periurium; aut homicidium, eſſe perpetrandum.

Digitized by Google

Scrupulus, eſt lapillus aſper pedem lædens, & greſſum impediens.

Hic, eſt animi anxietas circa aliquid committendum, vel omittendum; eſtque è verâ, vel vanâ causâ. *Illa* anxietas, eſt iuſtus conſcientiæ remorſus, conſequens peccati commiſſionem; vel omiſſionem. Hæc autem, eſt anxietas animi futili nixa ratione.

DE

VOLVNTATE MORALI.

VOLVNTAS *Moralis*, eſt domina totius ſuppoſiti, officiorum vitæ electiua, ſui, & aliarum potentiarum determinatiua; animal enim eſt ſui motiuum, vt appetiuum.

ACTIONES voluntatis ſunt, *vel*

1. ELICITÆ, quæ immediatè exeruntur à voluntate, v. g. amor honeſtatis.

2. IMPERATÆ, quæ fiunt ab alijs facultatibus imperio voluntatis; v. g eleemoſynæ largitio quæ fit manu.

3. IMPERARI *Solita*, ſunt actiones coactæ, quæ ſecundùm ſe exerceri ſolent imperio voluntatis, v. g. *viſio* ſolis, quam quis inuitus, vi ſcilicet diductis ab alio ciliis, eliceret.

Imperare, eſt applicare ad agendum cum denuntiatione; ſic dux militi imperat, cui iubet ſtationem ſeruare.

Dux *itineris*, non imperat viatori; cum enim ad iter non applicat, viator quippe liberè eius ductum ſequitur.

Nec ventus imperat naui quam vi impellit; cum eam cœco impetu rapiat, ei non denuncians quid ſit agendum.

IMPERIVM, eſt applicatio ad agendum cum denunciatione. Eſtque *vel*

1. POLITICVM, ſeu *Ciuile*, cui poteſt reſiſti; quale eſt imperium Magiſtratûs in ciues.

2. DESPOTICVM, ſeu *Herile*, cui reſiſti non poteſt; quale eſt *imperium* Heri in ſeruos.

VOLVNTAS *poteſt*

a. IMPEDIRI *ab agendo*, ſi nimirùm ei denegetur cognitio ad id requiſita, ſic qui ignorat ſcientiæ prærogatiuas, ludi *inanitatem* præfert ſcientiarum *prouentui*.

b. MVTARI, *Deus* enim ſuâ bonitate, & miſericordiâ *voluntatem* ab amore *Peccati* poteſt conuertere ad amorem *Virtutis*.

c. NECESSITARI, voluntas enim Beatorum fœlici neceſſitate attrahitur ad amorem Summi Boni.

COGI non poteſt; ad *actus elicitos*, vel *imperatos*; actus enim eiuſmodi eſſent *eliciti* ex hyppotheſi, & non eſſent; fierent enim à principio extrinſeco renitente paſſo.

COGI poteſt ad *actus imperari ſolitos*; poteſt enim quis armatam meam manum vi impellere in pectus amici.

Deus permittit hæreſim, rex tolerat, eam vult hæreticus.

DE

APPETITV SENSITIVO,

ET IMAGINATIONE.

APPETITVS SENSITIVVS, eſt vehemens in bonum ſenſibile pronitas. Hinc *Virtutis* moleſtias auerſatur, & *Vitij* illecebris delectatur.

Rationi reluctatur; v. g. in Incontinente; nam in eo ratio dictat *Quid*, & *Quomodo* ſit agendum, ſed à perturbatione vincitur. Vnde illud

— *video meliora, proboque*

Deteriora ſequor.

Rationi paret in *Continente*; nam in eo vehementes excitantur paſſiones quas ratio domat; multò magis in *Temperante*, in quo, aut nullæ, aut leues excitantur paſſiones, quas ratio ſedat; in eo enim omnia rationi parent, nec vllus animi motus tranquillitatem turbat.

IMAGINATIO, eſt ſenſus interior exhibens appetitui ſenſitiuo bonum, & malum ſenſibile appetendum, vel fugiendum.

Deprauatur Ganeonum impio, vel obſcœno ſermone; nam corrumpunt bonos mores colloquia praua; Laſciuorum obiectorum aſpectu; turpi librorum lectione, quâ non *Oris*, vel *Linguæ* puritas, ſed *Cordis*, & *Animæ* prauitas inſtillatur.

Perficitur pio, ſanctoque colloquio, ſacrorum librorum ſtudio, &c. contraria enim contrarios effectus producunt.

DE VOLVNTARIO.

VOLVNTARIVM *in homine*, oritur à facultate cognoſcitiuâ, & appetitiuâ; cum autem *Scientia* ſit oppoſitorum, ea quippe iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Hinc de *Voluntario*, & *inuoluntario* agemus.

VOLVNTARIVM *latè*, eſt quod fit ſecundùm inclinationem; eſtque quatruplex, *putà*

	cui opponitur	
naturale		violentum.
ſpontaneum		coactum.
voluntarium propriè		inuoluntariũ.
voluntarium ſtrictè, ſeu liberum		neceſſarium.

NATVRALE, hìc eſt motus ab intrinſeco ſecundùm inclinationem agentis cognitione deſtituti, v. g. *deſcenſus lapidis*.

SPONTANEVM, eſt motus ab intrinſeco è ſolius agentis præuiâ cognitione ſenſûs, v. g. *appetitio fœni ab equo*.

VOLVNTARIVM *Propriè*, eſt motus ab intrinſeco è præuiâ cognitione rationis; *ſeu* è perfectâ cognitione finis, *dum* ſcilicet cognoſcuntur ſingula in quibus eſt actio, *ſeu* ſingulæ circunſtantiæ.

DE Libero infra.

VOLVNTARIVM eſt, *vel*

1. DIRECTVM quod in ſe volitum eſt, v. g. *diuitiæ reſpectu auari*.

2. INDIRECTVM, quod in alio volitum eſt, v. g. *crudelitas reſpectu auari*; animas enim poſſidentium rapit, per *Fas* enim, & *Nefas* eas exigit, & eripit.

Iterum

Digitized by Google

Iterum eſt, *vel*

1. *Purum*, quod fit abſque vllâ repugnantiâ, v. g. *largitio eleemoſynæ* à viro probo.

2. *Impurum*, quod fit cum reluctantiâ voluntatis; v. g. *in iis quæ fiunt è metu, aut ignorantiâ; per iram, aut concupiſcentiam.* De quibus modò.

VIOLENTVM dicitur quaſi *Vi* allatum.

DEFINITVR, id quod fit à principio extrinſeco renitente paſſo. *Seu*

Quod fit à principio extrinſeco contra inclinationem rei cognitione deſtitutæ, v. g. *proiectio lapidis ſurſum.*

VIS *latè*, eſt impetus rei potentioris cui reſiſti non poteſt.

Propriè, eſt impetus ab extrinſeco impreſſus contra inclinationem rei cognitione deſtitutæ, v. g. *compulſio nauis à procellà in portum hoſtilem.*

COACTVM, eſt quod fit à principio extrinſeco contra inclinationem agentis cognitione præditi; v. g. *bouis mactatio.*

COACTIO, eſt velut actio contraria actioni.

Definitur, motus ab extrinſeco contrarius inclinationi reſiſtentis cognitione præditi, v. g. *Suis jugulatio.*

Licet *Vis* propriè dicatur de ſolis cognitione deſtitutis; *Coactio* autem de ſolis ſenſu præditis: dicuntur tamen communiter de agentibus ratione præditis.

COACTIO eſt, *vel*

1. INSVFFICIENS, quæ & *Impulſio* dicitur, eſtque ea quâ non omninò cogimur, v. g. hæc *quam prædo viatori infert intentatione cædis, vt cedat pecuniam.*

2. SVFFICIENS, quæ & *Compulſio* dicitur, eſt ea quâ quis omninò cogitur, v. g. ea *quâ quis tra-*

hitur ad triremes; nullus enim ei reſtat reſiſtendi locus.

PRINCIPIA VOLVNTARII, propriè ſunt *Cognitio*, & *Appetitûs inclinatio*. Hinc

Principia *inuoluntarii* ſunt *coactio*, & *ignorantia*. Vnde Philoſopho *Inuoluntarium* dicitur quod fit vi, *vel* IGNORANTIÂ, v. g. *occiſio amici, vice feræ*, vel *ab eo cuius manus armata in eius pectus impelleretur*.

INVOLVNTARIVM *propriè*, eſt quod fit contra inclinationem agentis intellectualis.

Quandoquidem *Concupiſcentia*, *Ira*, & *Metus* etiam VOLVNTARIVM minuunt, ac quandoque tollunt. Ideoque de his *hic agimus, ac primò quidem*.

DE METV.

METVS, eſt quidam affectus *ſpem* inter, & *deſperationem*, eſt quippe *metus è mali expectatione*.

DEFINITVR animæ trepidatio vrgentis periculi causâ,

Periculum, eſt mali inſtantis imminentia, v. g. diſtrictus enſis ſuper ceruice pendens.

METVS eſt, *vel*

1. CADENS *in conſtantem virum*, putà fuga mali imminentis, ardui, vix euitabilis; v. g. *dum hoſtis habet muros*.

2. ALTER *non cadens in conſtantem virum*, v. g. is quo, quis leue malum, aut remotum, *vel* facilè propulſabile, *vel* omnia tuta timet. Talis eſt peſſi-

mus in dubiis, augur timor; mala enim cauenda auget, & bona ſperanda minuit inde fit ut quis de ſperandis vt plurimùm deſperet. Hic degeneres animos arguit timor.

Huius exceſſus, eſt metus quo quis ad vmbram arundinis, aut verme conſpecto expaueſcit, hic animi tenuitatem, & mentis prodit imbecillitatem.

Agit cum metu, qui metum habet operationis ſuæ comitem, v. g. *is qui primâ vice pugnat.*

Agit ex metu, cui metus eſt agendi cauſa, v. g. *dum quis opponit manum capitis ictui.*

Metus adeò vehemens, vt rationis vſum præripiat, tollit voluntarium.

Metus cadens in conſtantem virum poteſt eſſe cauſa inuoluntarij, ſaltem ſecundùm quid, v. g. *in eo qui projicit merces metu naufragij.* Quandòque *Voluntarium* non minuit, v. g. in eo qui brachium gangrænâ infectum amputandum porrigit; id enim lubens reſcindendum præbet.

DE IGNORANTIA.

IGNORANTIA, eſt carentia cognitionis, eſtque multiplex, *putà*

1. NEGATIVA, quæ & *Neſcientia* dicitur, eſtque abſentia cognitionis indebitæ, v. g. in *Mathematico*, abſentia notitiæ numeri *arenarum* maris, vel *atomorum* in aëre volitantium.

2. PRIVATIVA, *eſt* carentia cognitionis debitæ, v. g. defectus Logicæ reſpectu profeſſoris philoſophiæ.

ITEM eſt, *vel*

1. Ivris, quæ eſt ignoratio eius quod lege, *vel* præcepto conſtitutum eſt, v. g. *in eo qui venatur alicubi, neſciens ibi vetitam eſſe venationem.*

2. Facti, eſt cum ignoratur actum repugnare legi; vt ſi, v. g. *Chirurgus occidat eum, quem ſanare volebat.*

Ignorantia *Facti*, quâ neſcitur quod factum eſt; vel factum, effectum eſſe putatur, non eſt omninò huius loci.

PRÆTEREA eſt, *vel*

1. Habitualis, quæ eſt priuatio habitûs debiti in eo, v. g. qui neſciret vetitum eſſe furtum.

2. Actualis propriè, eſt inaduertentia rationis iuncta cum habituali notitiâ, v. g. ignorantia turpitudinis ebrietatis in philoſopho qui ſenſim, lautiùs cum amicis potando, inebriaretur.

Inaduertentia, eſt defectus conſiderationis, & applicationis animi ad aliquid. Qualis fuit in Angelo, vel Adamo peccante.

Deinde eſt, *vel*

1. Ignorantia *Antecedens*, quæ & inuincibilis *dicitur*; ſeu ea quæ præcedit etiam implicitum rationis conſenſum. *Item* quæ eſt cauſa volendi id quod quis alioqui nollet, v. g. in eo qui adhibitâ moraliter diligentiâ debitâ, aliquid reſcire non potuit; *veluti ſi quis noctu per iter incedens cadat in foueam. Quæ per eiuſmodi ignorantiam fiunt* veniâ, *non* punitione, *ſunt digna*

2. Concomitans, ea eſt, quæ nec *volita* eſt, nec *actionis cauſa*, ſimul tamen eſt cum actione; v. g. *dum ignoratur, quod agitur, ageretur tamen ſi reſciretur*; ſicut in eo qui volens ſaxo petere canem, feriit Nouercam, quâ de re poſteà monitus, dixit; nec ſic malè cecidit. *Hæc à peccato, non excuſat.*

3. Conseqvens, quæ & *Vincibilis*, & *culpabilis* dicitur, ea eſt quæ liberum ſequitur noſtræ voluntatis conſenſum. *Eſtque*

1. *Directa*, ſeu affectata, quæ expreſsè volita eſt, v. g. in iis qui libenter ignorant præcepta Dei vt liberiùs peccent; qui videlicet nolunt intelligere vt ſapiant.

2. *Indirecta*, ſeu craſſa, quæ implicitè volita eſt; nempe in *negligentiâ* diſcendi, *vel* animaduertendi quæ ſunt agenda, *vel* fugienda. *Qualis* eſt *Ignorantia diei ieiunii* in eo, qui eo conſilio non vult intereſſe Miſſæ Parrochiali, vt id ignoret.

Ignorans agit, *is* qui quod patrat non cognoſcit, licet aliud quàm *ignorantia* ſit ipſi agendi cauſa, v. g. dum quis *iratus*, aut *ebrius* hominem occidit. Hic duplici pœnâ, ſi peccet, eſt puniendus, putà propter *iram*, aut *ebrietatem*, & propter aliud ſuum crimen, *putà* homicidium.

Ex Ignorantiâ agit, *is* cui ignorantia eſt mera actionis cauſa, v. g. in eo qui volens occidere feram, amicum interficit.

DE CONCVPISCENTIA, ET IRA.

Theologis, illa eſt *proxima diſpoſitio potentiarum animæ hominis ad exercendos actus repugnantes rectæ rationi*. Hinc vocatur fomes *Peccati*. Quia eſt perturbatio imaginationis, appetitûs ſenſitiui, intellectûs, & voluntatis in appetione boni, & fugâ mali. Ab Apoſtolo *vocatur* peccatvm;

Digitized by Google

quia eſt effectus peccati originalis. Ex eâ ſuboriu-tur motus primo-primi (vt aiunt) qui ſcilicet, à nobis, ſine nobis, excitantur.

Impropriè, eſt appetitus ſenſitiuus.

PHILOSOPHIS *Moralibus*, hic, eſt quæuis paſſio appetitûs ſenſitiui circa bonum.

IRA, eſt appetitus vindictæ.

Vindicta, hic præſertim, eſt delectatio, quàm quis priuatus percipit in infligendâ alteri pœnâ propter illatam iniuriam. Hinc ab *Homero* dicitur ſuperfuſo labiis melle ſuauior.

VTRAQVE, *concupiſcentia* ſcilicet, & *Ira*, eſt

1. ANTECEDENS, quæ præcedit aduertentiam, vſumque rationis; qualis contingit in motibus primo-primis.

2. CONSEQVENS, eſt ea quæ ſequitur liberum voluntatis conſenſum, v. g. *Ira*, vel *Concupiſcentia excitata*, vel non *Sedata quando*, & *quomodo* oportet.

DE

LIBERTATE ARBITRII.

LIBERVM ARBITRIVM, eſt facultatis imperantis, putà intellectûs, & dominantis, nempe voluntatis proles, & anima Morum. Quamobrem illud denegare homini, eſt ipſum, & ratione, & bonis moribus priuare.

Libertas eſt { naturalis / ciuilis / moralis } [cui opponitur { ſubiectio. / ſeruitus. / neceſſitas.

Libertas *Naturalis*, eſt immunitas à quâuis ſubiectione. Hæcque ſoli Deo competit; quippe qui ſolus ſit ſupremus omnium Dominus, & arbiter, cui creatura quælibet eſſentialiter ſubdita eſt, atque mancipata.

Libertas *Ciuilis*, eſt immunitas à *Seruitute*. Quæ deſcribitur poteſtas naturalis eius quod cuique facere licet, niſi *vi*, aut *iure* prohibeatur. Hinc perſona dicitur libera, ſeu ſui iuris, quæ dominium habet ſuarum actionum ſeruato legum ordine; legum quippe ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. Vnde illud

Cur mihi non liceat juſſit quodcunque voluntas,
Excepto ſi quid Mazuri rubrica notauit

Libertas *Moralis*, eſt immunitas à *Vi*, *Coactione*, & quâuis *Neceſſitate antecedente*. Hinc immunitas à ſolâ coactione, qualis eſt in Beatis reſpectu amoris diuini, (quia habet adiunctam neceſſitatem naturalem) non eſt moralis; non enim eſt principium meriti, vel demeriti.

LIBERTAS Moralis, dicitur *Liberum Arbitrium*, non verò *Iudicium*; quòd *Iudicium* ad ſolam *Mentem* ſpectet, quæ patitur determinationem ad vnum; *Arbitrium* autem magìs ad *Voluntatem*, quæ ſui juris eſt, pertinet. Exinde magìs oſtenditur dominium voluntatis in ſuas actiones, & agendi immunitas à neceſſitate. Vnde Tullio, libertas dicitur poteſtas viuendi vt velis.

Arbiter differt à *Iudice*, quod ille arbitrarijs, hic autem ſtrictis teneatur judicijs: hic ad juris a-

pices, ille verò ad bonæ fidei æquitatem, ſententiam ferat.

☞ LIBERTAS MORALIS, *Definitur* potentia naturalis actiua, indifferens ad oppoſita, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, v. g. *facultas amandi intensè, aut remiſſè; vel non amandi, aut odio habendi.*

LIBERTAS *Dicitur*

1. *Potentia naturalis actiua*; quia eſt facilitas agendi à naturâ.

2. *Potentia actiua indifferens*; eſt enim facultas ſeſe determinandi ad actum, vel ceſſandi ab actu.

3. *Indifferens ad oppoſita*; non enim eſt ad vnum determinata.

4. *Indifferens ad oppoſita poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis*, agit enim vt Ratio, non vt Natura; hæc enim poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis non poteſt non agere, v g. ignis, poſitis omnibus ad calefaciendum prærequiſitis, non poteſt non calefacere.

Libertas poſitis omnibus ad agendum requiſitis non poteſt non agere; quia tunc ponitur actio: at impoſſibile eſt dum agens agit, ipſum non agere. Hinc poſito concurſu diuino ad amandum, voluntas non poteſt non amare.

. *LIBERTAS* eſt, *vel*

1. CONTRARIETATIS, ſeu *quoad ſpeciem*, quæ eſt indifferentia actiua ad contraria, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis.

2. CONTRADICTIONIS, ſeu quoad exercitium, quæ eſt indifferentia ad agendum, vel non agendum (Seu ad actum, aut actûs ceſſationem) poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis; putà, *indifferentia ad amandum, vel non amandum.*

ITEM Libertas eſt, vel *à*

1. *Coactione*, ſeu immunitas à quâuis extrinſecâ agendi neceſſitate; ſic Deus ſeipſum, & Beatus, Deum liberè amat.

2. *Simplici neceſſitate*, ſeu potentia naturalis actiua, &c. *de quâ modò ſupra.*

DE
PRINCIPIIS ACQVISITIS
ACTIONVM HVMANARVM.

EA ſunt HABITVS *Actiui.*

HABITVS *Actiuus*, eſt facilitas agendi actuum frequentatione comparata. Hic præſertim eſt *intellectûs*, vel voluntatis. *De cæteris vide in* Logic. Comp. *Vbi de* habitu.

DE
HABITIBVS INTELLECTVS.

HABITVS *Intellectûs*, ſunt *Laudabiles*, vel *non laudabiles.*

NON *Laudabilis*, in ſpeculatiuis, eſt ERROR; in artibus, IMPERITIA; in rebus fidei, ſi ſit *pertinacia*, HÆRESIS appellatur.

HÆRESIS, peccatis *concipitur*, improbitate obſtetricante *naſcitur*, ſuperbiâ *adoleſcit*, ignorantiâ *fouetur*, proteruiâ *roboratur*, impœnitentiâ *ſeneſcit*, eiuſque *Tenebræ*, tandem veritatis *Luce* diſſipantur.

LAVDABILIS, eſt CERTVS, vel INCERTVS.

1. *INCERTVS*, eſt is qui non excludit dubitationem; putà *Coniectura*, *Suſpicio*, *Opinio*, *Humana Fides.*

SVSPICIO, eſt aſſenſus è leuibus coniecturis; opinio è grauibus.

HVMANA FIDES, eſt habitus quo *aſſenſum*, vel *diſſenſum* præbemus reuelatis ob hominum auctoritatem; v. g. *notitia quæ habetur beneficio hiſtoriæ profanæ.*

OPINIO, eſt habitus cognoſcitiuus per rationem probabilem, v. g. *dum indico aliquem eſſe liberalem*; *quia largitur eleemoſynam.*

2. CERTVS, eſt qui omnem excludit dubitationem, vocaturque VIRTVS *Mentis*; quia certò ducit intellectum ad veritatis cognitionem. Eſtque *Intelligentia*, *Sapientia*. *Scientia*, *Prudentia*, & *Ars.*

INTELLIGENTIA, eſt habitus cognoſcitiuus primorum principiorum, ſeu axiomatum; putà totum eſt maius ſuâ parte.

omnis virtus mentis eſt { naturalis. / expermentalis. / dogmatica. }

Idem dicas de habitibus voluntatis.

SAPIENTIA, dicitur quaſi ſapida ſcientia, ſeu ſcientiæ excellentia; hanc qui odit, diligit mortem.

Sapientia eſt, vel *in*

a. *Aliquo genere*, quâ quis ſapiens ſecundùm quid appellatur. Sic *Vrbinas*, ſapiens pictor nominatur.

b. *Omni genere*, quâ quis ſapiens ſimpliciter, ſeu ſine addito appellatur. Sic *Socrates* ſapiens nuncupatur. Hæcque eſt, *vel*

Digitized by Google

α. *Perfectiſſima rerum omnium vnica intuitu comprehenſio*. Hæcque ſoli *Deo* eſt propria.

β. *Apprehenſio concluſionum in principiis*; qualis eſt in Angelis.

γ. *Cognitio rerum altiſſimarum per altiſſimas cauſas*, v. g. ea quâ noſcitur omne ens eſſe intelligibile, quia verum. Hæcque ſoli homini competit.

Aurum præ ſapientià, eſt arena, & ſine pretio ſunt lapides pretioſi.

INSIPIENTIA, eſt ignorantia primorum principiorum, v. g ignorantia Dei.

Inſipiens vult decipi; ſapiens doceri. Hic à virtutis tramite nec ſpe, nec metu dimouetur; ille, ad virtutis callem, nec honore adducitur, nec pudore à vitiis abducitur.

☞ SCIENTIA propriè, eſt cognitio rei neceſſariæ per proprias cauſas; v. g cognitio deſcensûs lapidis per grauitatem.

Nec contingentium, fortuitorum, dubiorum liberorum, infinitorum, aut indiuiduorum vlla dari poteſt ſcientia; iſta enim nos latent, aut in errorem inducere poſſunt.

Cognitio deſcensûs lapidis, quia Deus vult; vel quia lapis appetit bonum, non eſt ſcientia; quia eſt communiſſima, non propria cauſa.

Qui cognoſceret lapidem deorſum tendere, eiuſque grauitatem, nec ſciret propter hanc, lapidem deſcendere (vt in latomis contingit qui perpendiculo vtuntur ad dirigendos parietes) non haberet ſcientiam motûs lapidis deorſum. Vnde egregiè philoſopho, *ſcire*, eſt cognoſcere cauſam propter quam res eſt, eius rei cauſam eſſe, nec poſſe aliter ſe habere.

PRVDENTIA eſt recta ratio agendorum; v. g.

Digitized by Google

habitus quo noſcitur, per quod quiſque peccat, per id, & puniri.

Definitur, habitus verâ cum ratione actiuus qui verſatur circa ea quæ homini *Bona* ſunt, vel *Mala*. Seu circa *Virtutes*, & *Vitia*.

Ars, ſocordiam arcet, nam ad eam requiritur mentis ſagacitas; voluntatis inclinatio, aſſidua diligentia, & vt plurimùm habilis corporis dexteritas.

Εμπειρία τέχνην, ἀπειρία τύχην ἐποίησε.

Experientia, artem, *imperitia*, caſum gignit; raræ quippe, non ſunt *Artis*, ſed *Temeritatis*.

Ars, eſt recta ratio efficiendorum. *Vid.* pag. 17.

Definitvr, habitus verâ cum ratione effectiuus qui verſatur in productione eorum quorum principium rectitudinis eſt in præceptis, non in opere faciendo.

Prudentia, vt & *Ars*, dici poteſt, collectio plurium præceptorum, ad vitæ finem vtilium.

ARS eſt, *vel*

1. Liberalis, quæ Ingenuum hominem docet: in eâ plus valet *mens*, quàm *manus*; plus *anima* (quæ eſt pars hominis libera) quàm *corpus*. Eſtque

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, Aſtra.

2. Mechanica, ſeu *Seruilis*, quæ ſpectat ad ſeruos, ſeruamque hominis partem; ſiquidem in eâ plus valet, *corpus*, quàm *anima*; *Manus*, quàm *Mens*. Hinc vocatur manvaria. Eſtque

Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

ITEM ars, *eſt*

1. Princeps, *Æthiologica*, ſeu *Architectonica*; Eſtque ea quæ reddit rationem eorum quæ ope-

fatur; v. g. *Architectura* in Architecto; *Militaris*, in Imperatore.

2. MINISTRA, ea eſt quæ non reddit rationem eorum quæ agit, v. g. ars *ſecandi*, adaptandi, vel *perpoliendi* lapides, in Latomo; *Militaris*, in Gregario milite.

DE

HABITIBVS VOLVNTATIS.

HABITVS VOLVNTATIS, ſunt *Virtutes* & *Vitia*. Hæc nec ſunt ſine *Supplicio*, nec illæ ſine præmio.

VIRTVS, à viro *dicitur*; quia eſt id quo res *viget*. *Generatim*, eſt potentiæ perfectio, quâ quid certò dirigitur ad ſuum finem. Eſtque, *vel*

1. INSITA, *ſeu* à naturâ conceſſa, v. g. perſpicacia viſûs; ſagacitas intellectûs, quâ certò tendit ad veritatis agnitionem.

2. ACQVISITA, quæ actuum repetione comparatur. Poteſtque dici habitus ſuccreſcens potentiæ ipſam iuuans, & determinans ad benè agendum; ſeu ad proprij finis adeptionem. *Putà*, *habitus Iuſtitiæ*, ad ſuum cuique tribuendum.

3. INFVSA, quæ ſolius Dei beneficio conceditur; v. g. *Charitas chriſtiana*.

HIC, de ſolâ *acquiſitâ*, & quidem *Morali*, agimus. Hæcque *vocatur*

1. DECORVM, decet enim rationem, eique, tum eius actui ſpiritalem decorem conciliat, & ſplendorem; eſt enim hominis excellentia.

7. MEDIOCRITAS; quia exerit actus, nec deficientes, nec excedentes; eſt enim habitus *Naturæ, Modo*, atque *Rationi* conſentiens, reddenſque habentem *Bonum*, eiuſque opus *Bonum*. Eſt enim diſpoſitio perfecti ad optimum. Potentia, quippe eſt bona; potentia verò inſtructa habitu eſt melior; actus verò eſt optimus: virtus autem diſponit potentiam ad actum perfectum.

☞ DEFINITVR, habitus electiuus in mediocritate conſiſtens eâ, quæ ad nos eſt, definita judicio viri prudentis.

EST Habitus; actuum enim honeſtorum electione comparatur, non naturæ munere conceditur.

Habitus *electiuus*, non dianœticus; nam *Virtus* moralis, eſt in principio morum elicitiuo; hoc autem eſt voluntas; non intellectus: at habitus voluntatis, eſt electiuus. Vnde juſtitia non eſt ſcientia, ſed firma voluntas reddendi vnicuique quod ſuum eſt.

In *mediocritate* conſiſtens. Mediocritas, eſt *vel*

1. Rei, à quâ extrema æqualiter diſtant, v. g. centrum reſpectu circuli. Item quatuor inter duo, & ſex; hoc enim eſt á naturâ determinatum.

2. Rationis, quæ præſcribitur judicio viri prudentis, ſcilicet habitâ ratione circunſtantiarum.

Item medium eſt, *vel*

1. Cauſaliter, quod ſcilicet exerit actus nec deficientes, nec excedentes, v. g. Charitas.

2. Formaliter, quod eſt forma inter exceſſum, & defectum, v. g. liberalitas, inter prodigalitatem, & auaritiam. Hinc Poëta

Virtus eſt medium extremorum vtrinque reductum.

MEDIVM iterum eſt, *vel*

PER *Participationem* extremorum quod vtrum-

Digitized by Google

que externum participat, v. g. tepor reſpectu caloris, & frigoris.

2. Per negationem extremorum; quod ſcilicet vtrumque excludit, v. g. liberalitas, reſpectu auaritiæ, & prodigalitatis.

Ad virtutem requiruntur prudentiæ directio, voluntatis propenſio, debita mediocritas, animi firmitas, necnon frequens exercitium actionis honeſtæ. Vnde philoſopho tria ed actionem virtutis deſiderantur, nimirùm cognitio, electio, & animi firmitas; cognitio, inquit, parùm prodeſt, cætera totum poſſunt. Quapropter vir probus, nec doloris vi, nec voluptatis lenocinio, ſed ſolius virtutis honeſtate mouetur; quæ cum in arduo ſit poſita; is non ſtudioſus virtutis cenſetur quem delectant præmia, & prælia deterrent.

TRIPLEX eſt VIRTVTIS *Status*, putà

1. CONTINENTIÆ, in quo vehementes excitantur paſſiones, quas ratio moleſtè, & difficulter ſuperat; eo ferè modo quo equus nondum expertus frænum difficulter ab aurigâ cohibetur.

2. TEMPERANTIÆ, in quo actus honeſti cum voluptate fiunt, & ratio plenum habet in paſſiones dominium. Hic ſtatus ſimilis eſt equo promptè parenti equitis arbitrio.

3. HEROÏCVS, in quo homo virtutis excellentiâ ſupra communem hominum ſortem euectus conſtanter exerit honeſtatis actus ordinarijs eminentiores. Hic virtutis ſtatus hominem ad honoris faſtigium euehit.

CONTINENS, is eſt in quo graues excitantur paſſiones, quas ratio vincit.

TEMPERANS, is eſt in quo nullæ, vel leues ſuboriuntur paſſiones quas ratio facilè domat.

Vnde facilè, promptè, & iucundè exerit actus virtutis.

HEROS, is eſt qui virtutis ardore ſupra communem hominum ſortem conſtitutus, cum voluptate perpetrat actus virtutis ordinariis multò eminentiores.

PERSEVERANTIA, eſt virtus firmans voluntatem ad operis boni continuationem.

DE
CAVSIS VIRTVTIS.

CAVSA FINALIS, *Virtutis*
1. REMOTA, eſt Fœlicitas.
2. PROXIMA, eſt actio ſtudioſa.

EFFICIENS, Deus, bona indoles, laudabilis educatio; necnon ſtudioſarum actionum frequens exercitatio.

SVBIECTVM, Voluntas creata.

OBIECTVM, quicquid Honeſtum eſt, Iuſtum, & Rectum.

OBIECTVM *Materiale*, ſeu virtutis officium, eſt res à virtute, facienda; putà, dare, vel retinere, reſpectu liberalitatis; ſuſtinere, vel aggredi reſpectu fortitudinis, &c.

OBIECTVM *Formale*, eſt honeſtatis motiuum.

EFFECTVS, eſt actio honeſta: necnon animæ pax, ineffabiliſque cordis tranquillitas.

DIVISIO

DIVISIO VIRTVTIS.

VIRTVS eſt, *vel*.

1. THEOLOGICA, quæ nimirum circa Deum immediatè occupatur; putà *Fides*, *Spes*, *Charitas*.

2. MORALIS, quæ circa Deum immediatè non occupatur, v. g *Fortitudo*.

VIRTVTES Morales, ſunt *vel*

1. CARDINALES, ſeu *Principes*; ſic ictæ quòd ijs veluti cardinibus, tota hominis benè viuendi ratio vertitur.

2. SVBORDINATÆ, quæ cardinalibus ſubalternantur, & ex ijs veluti ſurculi deriuantur. Suntque illarum *partes*, vel

a. *Subiectiuæ*, ſeu *ſpecies*.

b. *Integrantes*, ſeu diſpoſitiones ad virtutis principalis aſſecutionem, concurrendo ad actus illius perfectionem.

c. *Potentiales*, quæ maximam habent cum virtute principali affinitatem. Hæque non ordinantur omninò ad actus, vel ad materiam virtuti principali propriam.

CARDINALES, ſunt quatuor, *putà* PRVDENTIA, TEMPERANTIA, IVSTITIA, FORTITVDO. *Hicque numerus ſic poteſt probari.*

VIRTVS *facit habentem bonum, & eius opus bonum*: homo autem fit bonus *rectitudine*

ET { *Rationis*, / *Operis*, } [quæ eſt { PRVDENTIA, / IVSTITIA.

Digitized by Google

A juſtitiæ officio, delectabilibus, vel terribilibus homo dimoueri poteſt.

a. Temperantiâ, } vincit { delectabilia.
b. Fortitvdine, } vincit { terribilia.

DE PRVDENTIA.

PRVDENTIA ſumitur, *vel*

1. Metaphoricè, vt eſt quædam agendi ſagacitas, quâ ratione *Serpentes*, & *Apes* dicuntur *Prudentes.*

2. Propriè, ſed in amplâ ſignificatione, eſt *vel*

a. Quædam habilitas inueniendi media, fini aſſequendo idonea. Quâ ratione, Prudentia, eſt *Carnis*, vel *Spiritûs.*

b. Habitus ad inuenienda media recto fini conſequendo idonea, quomodo quis dicitur prvdens *Medicus*, vel *Architectus.*

3. Strictè, & vt inſeruit ad mores rectè inſtituendos; *prout ſcilicet*, eſt recta æſtimatio de agendis; *ſicque eſt*, vel

a. *Naturalis*, ſeu lumen intellectûs quo diſcernitur quid honeſtè ſit agendum, quid fugiendum.

b. *Acquiſita*, quæ eſt, *vel*

α. Experimentalis, *ſeu* peritia viuendi conformiter rectæ rationi ſolâ aſſuetudine parta; v. g. in *Iis*, qui proborum exemplo ducti actiones ſtudioſas eliciunt.

β. Dogmatica, *ſeu* notitia afferens cauſas rerum appetendarum, & fugiendarum. Eſt enim habitus quo demonſtratur quid *Honeſtum* ſit, quid *Turpe*; cum ſit virtus intellectûs practici, quâ ipſe, media

fini aſſequendo idonea inquirit, determinat, & ſuſcipienda præſcribit; Prudentia, *quippe* rectè conſiliat, judicat, & præcipit de ijs quæ ſunt ad benè, beatèque viuendum, voluntatem dirigendo, & ad ſingula ordinatè exequenda applicando; eſt enim *anima*, & *virtutum* OCVLVS.

PRVDENTIA, mentem dirigit per
cõſultationẽ inquirendo
judicium determinando [media fini aſſequẽdo idonea.
Intimationem, executioni mandando.

☞ DEFINITVR *à Philoſopho*, habitus verâ cum ratione actiuus, qui verſatur circa ea quæ homini *Bona* ſunt, vel *Mala*.

Hominis bona (ſimpliciter) ſunt VIRTVTES; *mala* verò ſunt VITIA; ſiquidem ab his appellatur *malus ſimpliciter*, ſeu *improbus*; ab illis verò *vir bonus ſimpliciter*, ſeu *probus*.

PRVDENTIA eſt, *vel*

1. PHYSICÈ *completa*, ſeu rectum de agendis judicium, quale fuit in Medeâ dicente.

— *Video meliora, proboque,*
Deteriora ſequor.

2. MORALITER *Completa*, eſt rectum de agendis judicium, cum exercitio actionis honeſtæ.

INGENVITAS, animi *Candor*, ſeu cordis *ſinceritas*, eſt virtus, prudentiæ affinis, eique indiuidua comes; quandoquidem ſine hâc nulla eſt vera prudentia. Vnde illud *Sapientiæ Incarnatæ Oraculum*; eſtote *Prudentes* ſicut ſerpentes, & *Simplices* ſicut columbæ.

PRVDENTIÆ FINIS, eſt hominem dirigere ad rectè *cognoſcendum, volendum*, & *operandum* in fugâ mali, & electione boni: videlicet *præſen-*

tium diſpoſitione, recordatione *præteritorum*, & præuiſione *futurorum*. Vnde PRVDENS dicitur quaſi *porro videns*.

PRVDENTIÆ *Obiectum*, eſt mediocritas virtutibus moralibus præſcribenda.

DELECTABILE, & TRISTE (cum ex ijs quodlibet vitium oriatur) peruertunt æſtimationem *Prudentiæ*; voluptatibus quippe ad illicita pertrahimur, & diſtrahimur à doloribus virtutem circunſtantibus: tunc autem malè afficimur: at cum quiſque judicat vt affectus eſt. Igitur tunc peruerſa eſt æſtimatio prudentiæ.

DE
PARTIBVS PRVDENTIÆ.

PARTES SVBIECTIVÆ, *ſunt* MONASTICA, ſeu *Perſonalis*; ŒCONOMICA; ſeu *Domeſtica*; POLITICA, ſeu *Ciuilis*; cuius præcipuæ partes ſunt NOMOTHETICA, & MILITARIS; *hæc* ciuibus præſcribit officia *Belli*; illa *Pacis*, tempore.

PARTES INTEGRANTES ſunt *Memoria*, *Intelligentia*, *Docilitas*, *Sagacitas*, *Solertia*, *Ratio*, *Prouidentia*, *Circunſpectio*, *Cautio*; nam prudentia eſt COGNOSCITIVA, & PRÆCEPTIVA.

Præcipere, hic eſt applicare cognitionem ad appetendum, & operandum.

AD *Prudentiam*, vt eſt

1. *COGNOSCITIVA*, ſpectant cognitio, huius adeptio, & vſus. AD

a. *Cognitionem* deſiderantur *Memoria*, & *Intelligentia*.

b. *Cognitionis adeptionem*, item & perfectionem requiruntur *Docilitas*, *Sagacitas*, *Solertia*.

c. *Cognitionis vſum*, exigitur *Ratio*.

Ad Prudentiam vt eſt

2. *PRÆCEPTIVA*, pertinent *Prouidentia*, *Circunſpectio*, *Cautio*.

RATIO eſt, *quia* Prudentiæ

Cognitio, aut eſt *præteritorum*, eſtque Memoria; vel *præſentium*, ſiue *contingentium*, ſiue *neceſſariorum*, eſtque intelligentia, intellectus, *ſeu* ſenſus, *vt loquitur Philoſophus*.

Cognitionis adeptio, eiuſque *perfectio*; vel *Diſciplinâ* comparatur, & ad eam requiritur Docilitas; vel *Inuentione*, & ad eam exigitur, ſagacitas, tum Solertia, ſeu εὐστοχία.

In vſu eiuſmodi *cognitionis*, eſt proceſſus à cognito ad cognitum; hæc autem eſt Ratio.

Præceptio Prudentiæ, eſt debita ordinatio mediorum ad finem, hæcque eſt *Prouidentia*, tum attenta circunſtantiarum, conſideratio, eſtque *circunſpectio*, tum demùm impedimentorum vitatio, quæ eſt *Cautio*. De quibus hìc ſigillatim.

Memoria, hìc eſt præteritorum recordatio, cuius beneficio de agendis rectiùs judicamus. *Hinc* quia *ſenes* experientiâ pollent, ſunt *iuuenibus* prudentiores, illorumque deliberatio, horum conſilio eſt præferenda.

Intelligentia hìc, eſt notitia præceptorum vniuerſalium, atque diligens, & laudabilis conſideratio præſentium neceſſariorum, vel contingentium, vt benè agatur.

Docilitas, eſt promptitudo, ſeu habilitas, ad pru-

Digitized by Google

dentum conſilia, & ſententias ſuſcipiendum, & obſeruandum.

Sagacitas, eſt vis benè conjiciendi de agendis, & fugiendis vniuerſim.

Solertia eſt prompta, & expedita habilitas excogitandi media ad finem operis perficiendi idonea. *Seu* habitus quo in repentinis inuenitur quid facto ſit opus.

Ratio, eſt proceſſus à cognitis ad cognoſcenda ea quæ ſunt ſuſcipienda, vel cauenda inter agendum.

Prouidentia, *ſeu* præſcientia, eſt virtus ordinatrix mediorum ad finem, è conſideratione eorum quæ nata ſunt ſequi actionem.

Circunſpectio, eſt attenta conſideratio eorum, quæ ad agendum deſiderantur, nè quid requiſitum deſit in opere ſtudioſo.

Cautio, eſt ſedula ſolicitudo vitandi incommoda, quæ poſſent occurere, & negotium impedire, aut retardare.

Diligentia, ſeu *Solicitudo*, eſt circunſpecta, & intenſa applicatio animæ ad ſuas operationes. Hìc eſt exacta, & ſedula promptitudo ad ordinatè proſequendum agenda. Hinc *Solicitus*, dicitur quaſi *Solers*, & *Citus*.

Negligentia, eſt tædium in eo diſcendo quod quis tenetur ſcire. Hìc eſt defectus attentionis, & intenſionis debitæ in actibus humanis exercendis.

Eubulia, ſeu virtus benè conſultandi de agendis, ab εὖ benè & βυλὴ conſilium.

Conſilium, eſt inquiſitio quædam, è quibuſdam; ad alia procedens.

Syneſis, eſt habitus promptè, & aptè judicandi de agendis ſecundùm communes benè viuendi regulas.

Digitized by Google

Gnome, eſt virtus emendatrix præcepti generalis in particulari caſu. *Seu* habitus judicandi ex æquo, & bono de rebus agendis ſecundùm extraordinariam legis interpretationem; v. g. non eſſe reddendum enſem *Furioſo*.

PRVDENS, eſt *Vir Memor, intelligens, docilis, ſolers, egregiè diſcurrens.* Item *prouidus circunſpectus, cautus in mali vitatione; & electione boni, eſt rectè conſiliatiuus, & cum æquitate de rebus judicatiuus.*

PRVDENTIA, vniuerſaliter agenda præſcribit, & perſpicaciter dirigendo ad ſingula, voluntatem applicat.

Prudentia non *obliuione* deletur, ſed *prauis affectibus* corrumpitur

PRVDENTIÆ, opponitur *per* exceſſum

Aſtutia, quæ eſt *habitualis*, vel *actualis* promptitudo occultè decipiendi; *vel* excogitandi media ad malum finem acquirendum; *Seu* eſt promptitudo, & habilitas prauis vtendi mediis, & ſubtiliter diſſimulandi, ac callidè decipiendi.

Fraus eſt executio *Aſtutiæ* in factis, ſeu fallacia compoſita ad palàm *rebus*, vel *factis*, decipiendum.

In dictis executio *Aſtutiæ* eſt *dolus*; eſt enim fallacia ad decipiendum *verbis* compoſita.

Solicitudo Temporalium, eſt anxia animi occupatio, in aquirendis, aut conſeruandis bonis temporalibus è nimiâ habendi cupiditate.

Cupiditas, eſt auiditas bonorum temporalium, cui tarda eſt etiam ipſa habendi celeritas.

Solicitudo futurorum, eſt anxia agitatio animi, de *futuris*, è diffidentiâ diuinæ prouidentiæ.

Prudentia Carnis, eſt vitium quo quis promptè excogitat media ad naturæ corruptæ effectibus indul-

gendum; *angelo Schola*, eſt vitium, quo quis ſtatuit finem vltimum in voluptatibus corporis.

PRVDENTIÆ per *Defectum* opponitur

Imprudentia, *ſeu* habitus quo res temerè agimus, aut omittimus.

Præcipitatio, quæ eſt perturbata operis aggreſſio abſque debitâ conſultatione.

Inconſideratio, eſt omiſſio attentionis requiſitæ in ſingulis debitè perpendendis. *Seu* judicium de medijs ſine debito illorum examine.

Negligentia, eſt tædium in eo diſcendo quod quis tenetur ſcire. *Hic* eſt defectus attentionis, & intentionis debitæ in officijs vitæ exequendis. *Seu* incuria in vrgendâ executione rei deliberatæ, & judicatæ.

Incuria, eſt omiſſio ſedulitatis in rebus agendis, atque promouendis.

Acedia, eſt torpor animi fugientis bona laborioſa inchoare; vel inchoata perficere. Eſt quippe triſtis diffidentia de proprijs viribus in implendis Dei præceptis; eſt *Tædium* auertens à bono ſpiritali ob apparentem difficultatis grauitatem, & *Adhæſio* ad bonum ſenſibile, propter imaginariam quietis tranquillitatem. *Ratione* prædictæ *Auerſionis* dicitur *Triſtitia*, reſpectu *Adhæſionis*, vocatur *Acedia*. Huius ſunt *ſex* propagines, *è diuo Gregor.* putà

Malitia, ſeu deſiderium machinandi malum alicui.

Deſperatio, ſeu diffidentia meritorum, & præmiorum.

Puſillanimitas, ſeu deiectio animi ex apprehenſione propriæ infirmitatis, & difficultatis in opere.

Rancor, odium inueteratum, *ſeu* iræ vetuſtas.

Torpor circa præcepta, ſeu ſtupor animi quo nequit

quis induci ad præceptorum executionem.

Euagatio mentis circa qualibet illicita.

Inconſtantia, eſt deſitio à recto propoſito, nullâ, aut leui de causâ.

Imprudens, eſt is qui temerè, inconſideratè, aut inconſtanter agit, vel negligenter res agendas omittit.

DE
TEMPERANTIA.

TEMPERANTIA, eſt prudentiæ, rationiſque *custos*, atque *Conſeruatrix*. Hinc à Græcis dicitur, σωφροσύνη, *quaſi* σώζουσα τὴν φρόνησιν, ſeruans prudentiam; quia per eam omnis libido, atque concupiſcentia refrænatur.

Definitur, *virtus cardinalis moderatrix affectûs circa voluptates guſtûs, & tactûs.*

ILLIVS objectum *Formale*, eſt mediocritas *Voluptatis* guſtûs, & tactûs, modeſtiâ vtentis, non amantis affectu temperata, necnon honeſtatis motiuo decora.

Præſtantiſſimus *Temperantiæ* actus eſt *jejunium*; ſeu abſtinentia cibi, & potûs ſupra communem abſtinentiæ rationem, v. g. in eo qui abſtinens à cibis frugaliter in die ſemel comederet.

Qui jejunium exerceret vt ſuæ pecuniæ parcat martyr eſt, & dæmonis mancipium; qui verò abſtinet ab eſu, & potu vt pauperes paſcat eſt Chriſti, Domini aſſecla.

PARTES *ſubiectiuæ* temperantiæ, ſunt *Sobrie-*

tas, *Caſtitas*, *Pudicitia*. Quod ſic probatur ex *Angelo Schola* ſecundâ Sec. q. 143. art. vnic. *Temperantia* præeſt voluptatibus quæ ſpectant vel, *ad*

1. Nvtritionem; quæ fit, *Eſu*, & *Potu*

a. *Abſtinentia* [præeſt voluptatib⁹ oriētibus è { cibo.
b. *Sobrietas* { potu.

2. Generationem; hæc autem ſpectatur, vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm illecebras, illam circunſtantes

Caſtitas [reſpicit { voluptates generationis ſecūdū ſe.
Pudicitia { illecebras, ipſam circunſtantes.

1. Abstinentia, eſt virtus moderatrix affectûs, vſûſque voluptatis eſculentorum ſecundùm dictamen rectæ rationis. *Huic* opponitur *Crapula*.

Sobrietas, eſt virtus moderatrix affectûs, vsûſque voluptatis potûs inebriatiui. *Huic* opponitur *Ebrietas*.

3. Castitas, eſt virtus moderatrix libidinum tactûs, eſtque *vel*

a. *Virginalis*, ſeu perfecta affectûs animæ, corporiſque integritas, omnem libidinis tactûs vſum reſpuens.

b. *Coniugalis*, eſt virtus moderatrix licitæ voluptatis carnalis, & cuiuſlibet illicitæ auerſatrix.

c. *Vidualis*, eſt virtus quâ conjugum ſuperſtes, poſt alterius mortem, intemeratam animæ, ſuique corporis ſeruat integritatem. *Continentia* quæ conſeruatur inter conjuges, aut ad virginitatem ſpectat, v. g. intemerata Deiparæ Virginis integritas; Aut ad caſtitatem vidualem reuocatur, v g, aliorum conjugum continentia.

Caſtitati contrariatur *Luxuria*.

4. Pvdicitia, eſt virtus humano pudori, modum ponens circa ſigna externa corporis, quæ ſpectant ad illecebras voluptatum tactûs. Putà oſcula, colloquia, &c. Huic aduerſatur impudicitia.

Pudor, eſt metus infamiæ, juſtæque vituperatio-

nis, reprimens à turpitudine actionis inhoneſtæ.

PARTES *integrantes Temperantiæ*, ſunt

1. VERECVNDIA, quæ eſt virtus turpitudinem *Intemperantiæ* fugiens.

2. HONESTAS, eſt proſecutio decoris, quod in temperantiæ actionibus elucet.

Decorum hìc eſt conformitas actuum temperantiæ cum rectâ ratione.

PARTES POTENTIALES *Temperantiæ*, ſunt *Continentia*, *Humilitas*, *Manſuetudo*, *Clementia*, *Modeſtia*, *Studioſitas*, *Parcitas*, *Simplicitas*, *Eutrapelia* ſeu *Feſtiuitas*. Sicque è *Doctore Angelico*, loc. cit. *Id probari poteſt*. Virtus potentialis *Temperantiæ* eſt ea quæ modum ponit voluptatibus affinibus Libidini tactûs: appetitus autem circa illas frænari poteſt, vel IN

1. INTERIORIBVS *animi motibus*: hî verò vel, ſunt

a. *Commota voluntatis ex impetu paſſionis*: ijs autem præeſt CONTINENTIA.

b. *Spei*, aut *audaciæ conſequentis è ſpe*: hiſque præponitur HVMILITAS.

c. *Iræ Tendentis in vindictam*; quibus præficiuntur MANSVETVDO, & CLEMENTIA.

2. EXTERIORIBVS *Motibus*; hiſque; *vel*

a. *Actibus corporis* [quibus præponitur { MODESTIA.
b. *Colloquijs* [quibus præponitur { VRBANITAS.

3. REBVS *Exterioribus*; à quibus reſcindenda ſunt, *vel*

a. *Superflua* [ad quæ exigitur { PARCITAS.
b. *Nimìs Exquiſita* [ad quæ exigitur { SIMPLICITAS.

CONTINENTIA, *eſt* Virtus moderatrix motùs voluntatis paſſionum æſtu commotæ.

HVMILITAS, *eſt* Virtus quâ quis ob ſuam ex-

Digitized by Google

cellentiam non effertur. *Seu* Virtus inclinans ad ſui vilitatem agnoſcendam, exteriùſque ingenuè profitendam. Seu quâ nos ſubmittimus ſponte, & vltrò etiam inferioribus.

huic *opponitur* per { *defectum*, nimia ſui abiectio. / *exceſſum*, ſuperbia. }

MANSVETVDO, *eſt* Virtus moderatrix IRÆ. Iræ opponitur *per*

a. Defectum, *Lentitudo.*

b. Exceſſum, *Iracundia.* Seu exceſſus iræ.

Clementia, eſt virtus rectrix *Punitionis*, & *Vindictæ.* Senecæ eſt lenitas aduersùs inferiorem in conſtituendis pœnis. *Cui opponitur* per

1. Defectum, Lenitas. De quâ infra.

2. Exceſſum, crudelitas. Seu exceſſus punitionis. Crudelis puniendi cauſam habet, non modum.

STVDIOSITAS, eſt Virtus moderatrix *Deſiderij Sciendi. Cui opponitur, Nimia curioſitas.*

EVTRAPELIA, eſt virtus, quæ colloquijs, jocis, ludis, iiſque quibus ciuilis, & domeſticæ ſocietatis conſuetudo conditur modum imponit. In ſerijs, ſeruanda grata *Seueritas*, in jocoſis, *Lepos.*

Iocorum genus vnum eſt *Illiberale*, pertulans, flagitioſum, obſcœnum; alterum *Liberale*, elegans, vrbanum, ingenioſum facetum.

Vrbanitati opponitur *per*

1. *Defectum*, SCVRRILITAS, *de quâ modo.*

Exceſſum, RVSTICITAS, ſeu vitium quo quis jucunda, nec ferre vult, nec audire.

Parcitas, / *Simplicitas*, [eſt virtus moderatrix { ſumptuum. / luxûs veſtium. }

VITIA TEMPERANTIÆ oppoſita per

1. DEFECTVM, *Stupor*, ſeu vitium inclinans ad nimiam guſtûs, & tactûs auerſionem. *Qualis foret*

in eo qui etiam ipſa ad vitam neceſſaria reſpueret.

2. EXCESSVM, *intemperantia*; ſeu vitium inclinans ad nimiam propenſionem in voluptates guſtûs, & tactûs. *Hæcque* eſt *vel*

a. GVLA, ſeu immoderata appetentia, vſuſque cibi immoderati. Seu vorax edacitas nec ſatietatis modo, nec finibus contenta.

Eſt virtus placidis abſtinuiſſe cibis.

GVLÆ effectus ſunt

1. Scurrilitas, eſt vitium inclinans ad jocos illiberales, vel ſupra modum ad liberales facetias.

2. Inepta lætitia, è laſciuis ſcilicet corporis geſtibus mentis petulantiam deſignantibus; Item & cantilenis.

3. Multiloquium, ſeu proruptio in verba inania, vel iniurioſa.

4. Immunditia, è crapulâ, vomitu, fœtidiſue eructationibus, &c.

5. Hebetudo mentis circa intelligentiam, imaginationis, rationiſque perturbatio.

b. EBRIETAS, eſt vitium inclinans ad nimiam potationem cum priuatione vsûs rationis.

Commeſſatio, eſt vitium inclinans in ciborum ſumptionem, ad crapulam.

LVXVRIA, apud Iuriſconſultos, eſt animi inſolentia, & petulans ſumptuum profuſio. Hinc *Luxurioſus* eſt homo ad libidinem inhians, auiduſque victûs ſumptuoſi, & delicijs referti.

Libido, eſt improba auiditas quâ homo illecebris boni ſenſibilis trahitur; eſt enim cupiditas ex inordinato amore creaturarum.

Theologis, & *Philoſophis* LVXVRIA, eſt inordinatus affectus, & vſus libinoſæ voluptatis. *Siue* vitium inclinans ad vſum inordinatum *Venereæ voluptatis.* Illa eſt quippe ex immundis deſideriis lubrica mentis, & carnis proſtitutio.

Luxuriæ effectus, ſunt *Cæcitas mentis*; *Inconſideratio*, *Præcipitatio*, *Inconſtantia*, *Amor ſui*, *Odium Dei*, *Affectus præſentis ſæculi*, & *horror* futuri.

LVXVRIÆ Species ſunt

Simplex Fornicatio, ſeu ſoluti cum ſolutâ (corruptâ.)

Meretricium, ſeu vaga libido cum diuerſis; vel cum publicè vænali concumbendi.

Stuprum, in viduam, aut virginem, quo eius integritas corrumpitur.

Inceſtus, cum agnatâ, vel affini, quo vinculum conſanguineitatis violatur.

Adulterium, cum nuptâ, quo coniugalis thorus vitiatur. *Adulteri* (inquit Apoſtol.) *Regnum Dei non poſſidebunt*.

Sacrilegium, cum perſonâ Deo publicè ſacratâ, quo continentia Deo dicata læditur.

Raptus, ſeu violenta abductio perſonæ, libidinis explendæ causâ.

Denique Vitium contra naturam, quo naturalis vſus peruertitur.

IMPVDICITIA, eſt Vitium humano pudori repugnans in vſu voluptatum tactûs, eorumque ad has pertinentium, putà vsûs oſculorum, &c.

LASCIVIA, *eſt* Vitium inclinans ad indecentes corporis motus ex animi diſſolutione prouenientes.

OPPOSITA aliarum virtutum *Vitia* ſunt

NIMIA *Sui abiectio*, ſeu inordinata propriæ excellentiæ demiſſio, in ſui ſtatûs injuriam, & ſcandalum proximi; vt ſi princeps inſulsè baiuli officio fungeretur.

SVPERBIA, *eſt* inordinatus propriæ excellentiæ cultus. *Seu* Cupiditas faſtûs, & excellentiæ, inceſſu inſolentiam præſeferens. *Eſt* enim peruerſum nimiæ celſitudinis deſiderium.

Superbia, eſt radix cuiuſuis peccati, eò quòd inuideat

ſuperioribus ⎧ non æquatur.
æqualibus [quia eis ⎨ æquatur.
inferioribus ⎩ æquari timet.

VANA Gloria; eſt appetentia famæ, ob propriæ excellentiæ meritum.

Per ſuperbiam quis ſibi appetit videri magnus, per inanem gloriam vult, & aliis exteriùs magnus apparere.

Filiæ inanis gloriæ ſunt ſeptem è *Diu. Greg.* putà

Inobedientia, quâ, qui ſubditus eſt vanæ gloriæ, in nullo vult videri, altero inferior.

Contentio, quâ vult cum clamore palmam reportare.

Pertinacia, quâ factum, vel dictum ſuum proteruè defendit, ne erraſſe videatur.

Iactantia, quâ ad laudem aliis captandam ſuas dotes enumerat.

Hypocriſis, quâ ſe quærit in exterioribus.

Hæc *eſt* perſonæ alienæ ſimulaſio. Propriè eſt fictio improbi, ſe juſtum ſimulantis.

Hypocrita, eſt impius, ſe pium ſimulans.

Diſcordia, quà omne dictum contrarium ſuſtinet, vel aſſumit inanis gloriæ causâ.

Nouitatum præſumptio, quâ vt laudetur, aut noua inuenit, aut dicit.

Superbus æſtimat bonum à ſeipſo habere, datumque gratis, ſuis meritis eſſe debitum; iactat ſe habere quod non habet; deſpectiſque cæteris, autumat ſe ſingulariter habere id quod habet.

LENITVDO, eſt inordinata iræ vacuitas; ſeu naturæ ſtupor omnem iram euacuans. Qui dictante rationis judicio pœnam non infligit, prauos, proboſque ad malum inuitat.

Digitized by Google

Contvmelia, eſt appetitus vindictæ, exprobrando defectus inimici coram aſtantis.

Clamor, eſt appetitus vindictæ cum contentione elatæ vocis vituperium exprobrantis.

Indignatio hìc, eſt appetitus vindictæ moleſtiam ſigno exteriori declarantis.

Blasphemia, eſt appetitus vindictæ, cum opprobrio, Deo, aut ſanctis illato.

Remedium aduersùs *Iram*, vt & quemlibet prauum affectum, eſt *Charitas*; Hæc enim aperit, & dilatat cor ad omnem virtutem; operit, & eradicat omnem iniquitatem.

Nimia *Lenitas*, eſt vitium inclinans ad indebitam pœnæ remiſſionem.

Crvdelitas, eſt vitium inclinans ad atrocitatem in pœnis ſupra demeritum culpæ infligendis.

Sæuitia, ſeu feritas, eſt mera delectatio in hominum cruciatu.

Crudelitas excedit modum culpæ puniendæ; ſæuitia delectatur atrocitate cruciatûs non habitâ ratione culpæ. Illa eſt malitia humana; hæc eſt immanitas ferina.

Cvriositas, eſt ſuperflua cura, & ſolicitudo in rebus inutilibus, vel ijs addiſcendis quæ non ſunt noſtri officij, vel vltra quàm officium exigit; quippe ſcire velle pluſquam ſatìs eſt *quoddam intemperantiæ genus*; hinc illud Apoſtoli *ſapite ad ſobrietatem*.

Scurrilitas eſt nimia propenſio ad verba ludicra. *De quâ ſupra*, pag. 59 *huius tom.*

Moroſus eſt is qui exactiùs exigit omnia fieri.

DE FORTITVDINE.

FORTITVDO dicitur periculorum ſuſceptio, & perpeſſio laborum.

Ea Virtus vt pericula *aggreditur*, aut *ſuſtinet*, appellatur FORTITVDO: vt autem ea prudenter *vitat*: CAVTIO nuncupatur.

Eſt mediocritas circa *timorem*, & *audaciam*; ſeu conſtans, & laudabilis contemptus doloris mortis, & cuiuſuis alterius terroris.

Eſt *aequanimis* in aduerſis, & proſperis: *Turpia* fugiens, non pericula timens.

ET DEFINITVR, Virtus cardinalis moderatrix *timoris*, & *audaciae* circa pericula mortis in bello iuſto.

Nemo fortitudinis gloriam, inſidiis, & malitiâ eſt conſecutus; nihil etenim eſt HONESTVM, *quod Iuſtitiâ vacat.*

Audacia, hic eſt quædam alacritas animi in arduis, & terribilibus *aggrediendis*, aut *ſuſtinendis*. *Vnde* illud, *Aude* aliquid *ſi vis eſſe* aliquis.

Elucet in laudabili *aggreſſione*, vel terribilium *ſuſtinentiâ* vbi mors imminet publici boni gratiâ.

VICTORIA *Fortitudine*, & *Fortunâ*; Marte, & Arte; *Mentis*, & *Enſis* acie *reportatur*. Omnium victoriarum præſtantiſſima, eſt *perfectum* in ſuas paſſiones *Dominium*. Hinc illud

Magna facis, Gallos dum vincis: majora, Britannos:
At te vincendo, maxima, Caeſar, agis.

PARTES INTEGRANTES *Fortitudinis* ſunt *Aggredi*, & *Suſtinere*.

ad	*aggrediendũ*	requiritur	*animi prǽparatio aduersùs pericula.*	
			operis executio.	
	ſuſtinendũ		difficultatum tolerantia.	
			diuturna malorũ perpeſſio.	

ad	animi prǽparationem	exigitur	magnanimitas.
	operis executionem		magnificentia.
	difficultatũ tolerantiã		patientia.
	malorũ perpeſſionem		perſeuerantia.

MAGNANIMITAS, ſeu *Fiducia*, eſt expedita animi promptitudo ad honeſtè ſubeunda mortis pericula in *aggrediendo*, vel *ſuſtinendo* è perſuaſione boni ardui adipiſcendi.

Seu expedita promptitudo animi, è ſpe ſuperandarum difficultatum, bonique ardui adipiſcendi.

Securitas, eſt animi tranquillitas, hominem curis ſuperfluis eximens, & Dei auxilio confidentem præſtans.

MAGNANIMITATI opponitur *per*

1. *Exceſſum*, ELATIO, ſeu *Tumor animi*; id eſt nimia propriarum virium præſumptio, in iis, quæ eas ſuperant, *aggrediendis*, vel *ſuſtinendis*.

2. *Defectum*, PVSILLANIMITAS, *ſeu* vitioſa propriarum virium diffidentia, refugiens ſuſcipere opera iis commenſurata.

MAGNIFICENTIA, *eſt* virtus quâ quis eſt conſtans in exequendis ſuſceptis *Mortem decoram* circunſtantibus.

PATIENTIA *hic*, eſt virtus firmans animum nè in ſuſtinendis periculis, malorum imminentium, aut dolorum grauitate, triſtitiæ vi frangatur, aut ſuperetur.

Impatientia, eſt vitium excedens modum in malorum perpeſſione, quorum dolore, à *Recto* diſceditur.

Inſenſibilitas eſt vitium quo, quis non tangitur aduerſorum anguſtiis, v. g. ſtolidus, vel inhumanus. Fortis aduerſis non terretur; non quia inſenſibilis, ſed quia generoſus.

Perſeuerantia, *eſt* indefeſſa, & inconcuſſa animi firmitas in honeſtis periculis ſuſtinendis, quâ quis diuturnâ difficultatum perpeſſione conſtanter permanet.

PARTES POTENTIALES *Fortitudinis*, ſunt prædictæ quatuor *Virtutes*, dum videlicet verſantur circa res arduas diſtinctas à periculis *Mortis* in bello iuſto; *& ſic*

Magnanimitas, eſt virtus inclinans ad res arduas promptè ſuſcipiendas conſpicuo honore adipiſcendas.

Ambitio, *eſt* inordinatum honoris deſiderium.

Vana gloria, *eſt* deſiderium famæ.

Magnificentia, eſt virtus inclinans ad res arduas magno ſumptu comparandas. *Hęc* eſt propria Principi; huius quippe eſt cunctis *opes* offerre, & *opem* afferre; non autem ab *Inopibus*, id quod habent *auferre*; nemo *quippe* bonus, alteri nocet.

HVIC opponitur *per*

1. *Exceſſum*, LVXVS, *ſeu* vitium quo quis excedit in veſtimentis corporis, ſuperfluis domûs ornamentis, aut aliis ſumptibus.

2. *Defectum*, ſordida parcimonia; hæc, eſt vitium demiſſi animi, vt potè in *diuitiis*, non in *Deo*: aut in ſuis viribus confidentis.

Longanimitas, *eſt* æquanimis aduerſorum tolerantia è boni ſperati dilectione.

Patientia, *eſt* diuturna, & voluntaria perpeſſio

honeſtatis gratiâ, rerum arduarum, vt plurimùm non ſponte ſuſceptarum. *Seu* eſt virtus in rebus arduis æquanimiter ſuſtinendis; v. g. conſtantia animi in æquanimiter perferendo naufragij diſcrimine.

Perſeuerantia, eſt conſtantia, inuariabilitatem animo concilians in ſuſceptione boni *honeſtatis gratiâ*, aduersùs quamlibet difficultatem ab eius proſecutione dimouentem.

Conſtantia, *eſt* virtus tribuens animo ſtabilitatem in boni ſuſcepti proſecutione, honeſtatis gratiâ.

Ignis, in Mutio, conſtantiæ vmbram expertus eſt; *Paupertas*, in *Fabritio*; *exilium*, in *Rutilio*; *tormentum*, in Regulo; *venenum*, in Socrate; *craticula* verò *heroïcam* probauit in vſtulato Laurentio, *conſtantiam*.

Conſtantiæ *opponitur* per

1. *Exceſſum*, pertinacia, *ſeu* obſtinatio, quæ eſt vitium temerè obfirmans hominem in rebus *aggrediendis*, aut *ſuſtinendis*, vbi, & quando non oportet.

2. *Defectum*, inconſtantia, *ſeu* animi leuitas, quæ eſt vitium facilè dimouens hominem à iuſto propoſito.

Mollities, *ſeu* animi defectus, *eſt* vitium à bono auocans, & animum dejiciens, difficultatis aut diuturnitatis tædio.

PARTES SVBIECTIVÆ *Fortitudinis*. Seu potiùs earum *ſpeciem* præleſcrentes, ſunt *Fortitudo ciuilis*.

1. *Quâ* Ciues, ob increpationem, & honores è legibus acquirendos *aggrediuntur*, & *ſuſtinent* pericula honeſtatis gratiâ.

2. *Ab* Experientiâ, & Fiduciâ dexteritatis, quâ quis pericula aliàs euaſit.

3. *Ab* Irâ, vel aliâ animi perturbatione, quam quis vult repellere.

4. *A* Spe, & expectatione, quâ quis ſperat *Victoriam*, & huius fructum expectat.

5. *Ab Imperitiâ*, & *Ignorantiâ* periculorum, quâ quis eorum magnitudinem ignorat.

OPPONITVR FORTITVDINI *per*

1. *Defectum*, Ignauia, *ſeu* vitium quo quis turpi fugâ eligit potiùs vitæ conſulere, quàm honeſtè pericula aggredi, vel ſuſtinere: at perperàm; *Satiùs* quippe *eſt honeſtè mori* quàm *turpiter viuere*.

Timiditas, *eſt* exceſſus timoris in periculis mortis, aliiſue rebus terribilibus.

2. *Exceſſum*, Temeritas, *ſeu* Audacia, quæ hìc *eſt* vitium quo quis pericula quæuis inconſideratè *aggreditur*, vel *ſuſtinet*; v. g. ea, quâ Callicratidas monitus nè pugnaret; prælio cecidit: reſpondens Lacedemonios, claſſe amiſsâ, aliam parare poſſe, ſe verò non poſſe ſine ſuo dedecore non pugnare.

Ἀφοβία, *eſt* omnimoda iuſti timoris *Vacuitas* in rebus terribilibus, & grauiter periculoſis. Hæc oritur è vitæ contemptu, elatione animi de ſuis viribus præſumentis, & cæteros ex inſaniâ ſpernentis. Qualis eſt in Trazonibus.

DE IVSTITIA.

IVSTITIA *Theologis*, eſt morum integritas, vitæque ſanctitas, quâ iuſti in perpetuum viuent. *Huius* iuſtitiæ fructus, eſt pax, pacis autem gaudium.

Sanctitas, eſt animæ ſeparatio à rebus terrenis, & caducis, ex adhæſione ad Deum reſque diuinas. Hæc adhæſio eſt ipſa *Charitas*, quâ Deus amatur propter ſe, cætera propter ipſum.

IVRISCONSVLTIS, *eſt* conſtans, & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi.

PHILOSOPHIS, *eſt* Virtus quâ prompti ſumus iuſta velle, & facere.

DEFINITVR, Virtus cardinalis firmans voluntatem ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt.

SVVM *hic*, eſt debitum ad æqualitatem, ita vt nec *lucrum* quis, aut damnum patiatur. *Id eſt* nec plus, aut minùs habeat quàm decet, & oportet. Vnde illud

Nè quid hiet, nè quid protuberet angulus aquis
partibus vt c'ëat, ne quid deliret amuſſis.

IVSTITIA *eſt* ſacra diuinæ maieſtatis impreſſio *veneratione colenda*: *is qui ei non paret, perit*; *vnde eius adminiſtratio laudanda, & honoranda, non lædenda, & oneranda.*

PARTES SVBIECTIVÆ *Iuſtitiæ* ſunt

IVSTITIA *Legalis*, quæ inclinat voluntatem ad omnium virtutum praxim, ob legum cultum, & obſeruationem, ac bonum ciuitatis in quâ degimus.

EST inter virtutes, vt Heſperus inter Planetas.

IVSTITIA *Particularis*, eſt virtus quæ inclinat ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt ob iuris obſeruationem. Eſtque triplex, *nempe*

1. DISTRIBVTIVA, quæ occupatur in honorum, bonorumque ciuibus communium diſpenſatione.

2. COMMVTATIVA, quæ verſatur in commutationibus, *ſeu* contractibus.

3. VINDICATIVA, quæ adæquat pœnas crimini, eſtque virtus decernens Reo pœnam culpæ commenſuratam.

Pœna contingit ad virtutis probationem, aut *Vitij* punitionem. Hæc eſt malum punitiuum, ad culpæ vindictam inflictum.

IN Iuſtitiâ Diſtributiuâ ſeruatur proportio Geometrica, ſeu ſimilis exceſſus *putà* ſe habet *Merces* Centurionis, ad *Mercedem* Militis, vt Centurio ad Militem. Ita vt ſi octies pluris æſtimetur Centurio, Milite, *prǽmium* Centurionis, erit octies maius *prǽmio* Militis.

4. *IN Iuſtitiâ* verò *Commutatiuâ*, ſeruatur proportio Arithmetica, *ſeu* idem exceſſus.

CONTRACTVS, *eſt* commercium, *ſeu* ſuſceptio negotii cum aliquo: *Contrahere* autem eſt negotium inire cum aliquo, ſtipulatione, &c.

Diſtrahere, hìc eſt negotium diſſoluere.

CONTRACTVS eſt, *vel*

VOLVNTARIVS, qui eſt gratus vtrique contrahentium; hicque eſt

a. *Naturalis*, quo quis non tenetur ſtricto iure ſoluere quod debet, v. g. ille, cui quoddam amicitiæ, gratitudinis, vel decentiæ causâ, donum conceſſum fuerit.

b. *Ciuilis*, quo debitor cogi poteſt ſoluere quod debet. Hicque vt plurimùm, eſt *pactum* vltrò, citròque pariens obligationem.

PACTVM, eſt ſaltem duorum, in idem conſenſus, atque conuentio, v. g. *emptio, locatio*, &c.

CONVENTIO, hìc eſt declaratio conſenſûs, aliquo ſigno exteriori, putà *Nutu*, *Voce*, vel *Scripto*.

Obigatio ſtricti Iuris, eſt vinculum quo quis tenetur ſoluere alteri quod debet, iuxta id quod debet. *Seu* ea quæ diſſolui non poteſt ſine iniuriâ contrahentium non conſentientium. Seu ea cuius violatio conſtituit iniuriam.

Hæc obligatio naſcitur ex *Re*, *Verbo*, *Scripto*, vel *Conſenſu*.

1. RES *hìc*, eſt *vel*

Commodatvm, quod eſt res mobilis, eadem numero ad tempus Domino reſtituenda, gratìs quoad vſum alteri conceſſa; v. g equus, quem Titius Sempronio, ad duos dies commodauit, vt iret in ſuam villam.

Mvtvvm, eſt res ita alteri conceſſa vt eadem ſpecie ſit Domino reſtituenda; v. g. frumentum mutuò datum.

Precarivm; eſt res commodata ad Domini libitum reſtituenda.

Pignvs, eſt res commiſſa creditori in cautionem debiti.

Depositvm, eſt res in cuſtodiam credita vt integra reſtituatur.

Si contingeret debitorem, creditori depoſitum commiſiſſe: creditor, debitori depoſitum repetenti reddere teneretur; licet debitum ei non ſoluiſſet; non item ſi tradidiſſet pignus.

Arrha, eſt res mobilis data per modum pignoris ad confirmandum contractum initum.

Hypotheca, eſt contractus, quo res immobilis nudâ conuentione, creditori pro debito obligatur.

Fideiuſſio, eſt alienæ obligationis in ſe ſuſceptio.

2. VERBVM, *hìc* eſt stipvlatio; quæ hâc ratione contrahitur, dabiſne librum? dabo. An mihi conſtrues ædificium? conſtruam. Dabiſne mihi pecuniam, & an mihi domum ædificabis? dabo pecuniam, domumque ædificabo.

STIPVLATIO, eſt ea verborum conceptio quâ, is qui interogatur, daturum, facturumue aliquid, ſe, id de quo interrogatur executurum reſpondet.

3. SCRIPTVM, *hìc* eſt præſertim Chirographvs, quo quid alteri ſoluere ſe aliquid ſcripto obſtringit.

4. CONSENSVS, *hìc* fit venditione, locatione, &c.

Venditio, eſt ſtipulatio quâ quis rem ſuam mediante pretio facit eſſe alterius. In venditione, eſt venditor, emptor, res tradita, & pretium venditionis.

CONTRACTVS, *vel* cedit in commodum

ſolius { *accipientis* / *dantis* / *vtriuſque* } [v. g. { donatio. / depoſitum. / locatum. }

Dare, eſt accipienti proprium facere.

CONTRACTVS inuoluntarius, eſt is qui non eſt vtrique acceptus. Hicque, vel fit

CLAM, v. g. furtum.

CORAM, tuncque fit vel *nobis*

a. *Scientibus*, ſcilicet *Vi*; v. g. deprædatio.

b. *Neſcientibus*, putà cum fit *proditione*, *dolo* vel *fraude*; v. g. *is qui fit à fœneratore, qui vult videri rem, ſibi in pignus depoſitam, emiſſe.* ITEM *contractus eius, quo, cum triginta dierum eſſent cum hoſte pacta induciæ, nocte populabatur agros, quòd dierum, eſſent pacta, non noctium induciæ.*

CONTRACTVS *Inuoluntarius*, aut *eſt*

1. Irritus *Iure*, vel

a. *Naturali*, v. g. is qui fit cum eo qui caret vſu rationis, *putà* cum infante, furioſo, &c.

b. *Poſitiuo*, v. g. matrimonium initum metu graui, ab extrinſeco, iniuſtè incuſſo.

2. Irritus declarandus, v. g. is quem, quis iniret fraude, vel dolo deceptus.

Digitized by Google

DE

CAVSIS IVSTITIÆ.

CAVSA FINALIS *Iuſtitiæ*, eſt *ſuum cuique tribuere*. Seu legitima iuris diſpenſatio.

FORMALIS, eſt æqua hominis ordinatio ad alterum è motiuo honeſtatis.

OBIECTVM eſt *Ius*, ſeu quod *Iuſtum* & *Æquum* eſt.

FAS [eſt quod æquum eſt { Deo [tribuere.
IVS [eſt quod æquum eſt { homini [tribuere.

Hinc illud poëtæ.

Fas, & iura ſinunt.

IVS quandoque dicitur

1. FORVM. vnde qui vocatur ad iudicis tribunal, in Ius vocari dicitur.

2. IVRISPRVDENTIA, quâ ratione *Ius* à Celſo Iuriſp. dicitur *Ars boni, & æqui*. Hinc *Cauſidicus* dicitur *Iuriſperitus*.

3. SENTENTIA *Iudicis*. Sic Iudex, dum ſententiam pronunciat iuſtam, vel iniuſtam, dicitur *Ius dicere*.

4. IVSTI *Regula*; ſicque eſt *Lex*.

5. FACVLTAS *diſponendi* de re poſſeſſâ; ſicque eſt *Dominium*; hinc Perſona, alienæ poteſtati non mancipata, dicitur ſui iuris.

6. STRICTÈ eſt *Iuſtum*, ſeu *Æquum*; ſic quiſque dicitur teneri *Ius ſuum tueri*. Hocque ſenſu apud bonos *Ius* habet Pietas; mali autem dat *Iura* Sceleri.

Iuſtum, & *Æquum* dicimus quod quiſque ſecundùm legem *facere*, vel *fugere* tenetur. *Item* quod alteri *Debitum* eſt ad *Æqualitatem*

Ivs naſcitur è *Lege*, & *Facto*. Id patet hoc ſyllogiſmo

Omnis patriæ proditor eſt morte puniendus. } *Lex*.
Titius, eſt Patriæ proditor. [en } *Factũ*.
Ergo Titius eſt morte puniendus. } *Ius*.

Factvm, eſt ſtatus negotij in foro.

Hic, de *Iure* ſtrictè agimus, de *Lege* verò, & *Dominio*, infra.

Ivs, *Iuriſconſultis*, eſt poteſtas à *Lege* conceſſa in Perſonam, Bona ipſius, aut Operas.

Rectiùs, eſt legitima poteſtas alicuius in perſonam, operam, rem ſibi obligatam, *vel* ad eas ſibi obligandas.

Poteſtas Legitima, eſt Auctoritas, diuinæ, humanæque legi conſentanea.

Debitvm, eſt correlatum *Iuris*. Diciturque id quod peti, vel ab inuito iure exigi poteſt.

IVRISPERITIS, Ivs eſt *vel*

1. Natvrale, *ſeu* id quod natura docuit omnia animalia; v. g. ſui conſeruatio, prolis educatio, &c.

2. Gentivm, *eſt* id quod omnes homines natura docuit, v. g. *Suum Cuique*.

3. Civile, *eſt* id quod conuenit homini, vt eſt incola talis ciuitatis, v. g. Romanæ.

Iuriſconſultis, Ivs *Naturale* differt à *Iure* Gentium, quòd hoc ſit proprium homini, vt *homo* eſt; illud verò conueniat homini vt eſt *animal*; nam & belluæ ſtudent ſuæ conſeruationi, &c. At cum ſint ſeruæ, nec *Suum* habent, nec *Meum*.

Ivs *Gentium* differt à *Iure Ciuili*; quòd illud conueniat homini vt *Homo* eſt; hoc verò eidem conuenit vt eſt *Ciuis*.

Theologis, & *Philoſophis*. Ius eſt *vel*

NATVRALE, ſeu id ad quod *nati*, non *docti* ſumus; quod videlicet ſequitur è Naturâ Rationali, v. g. debitum colendi Dei.

POSITIVVM, quod *Boni*, & *Æqui* gratiâ eſt conſtitutum

IVS Poſitiuum eſt, *aut*

1. E *Communi Beneplacito*, ſeu *Ius non ſcriptum*; hocque eſt, *vel*

a. *Commune* omnibus ferè hominibus, eſtque *Ius Gentium*, v. g. *iuſta belli ſuſceptio*; pacis ſanctio; *humana Legatorum admiſſio*; *mancipatio victorum, &c.*

b. *Peculiare* alicui Genti, *vocaturque*

Conſuetudo, *hac* autem, eſt tacitus Populi conſenſus longo vſu inueteratus, non *Legibus*, ſed *Moribus* conſtans.

2. E *Condicto*, ſeu *Ius Scriptum*, hocque vel *Lege*

a. *Diuinâ* Veteri, *aut* Nouâ ſancitum, eſtque *Ius Diuinum*. *Hinc* ſicut *Circunciſio* olim erat; *ſic* & *Baptiſmus*, nunc eſt de Iure Diuino.

b. *Humanâ*, aut

α. Eccleſiaſticâ, idque vel *auctoritate*

Summi Pontificis, cuius eſt *decreta* condere, vnde *Decretales* appellantur.

Totius Eccleſię in Oecumenico Concilio congregatæ, cuius eſt CANONES inſtituere, ſeu regulas fidei, vt potè quæ recta ſit, & à ſpiritu veritatis directa. Vnde natum eſt *Ius Canonicum*.

β Ciuili, *idque* vel *auctoritate*

A. Totius Reipub. hocque *Ius* eſt, *vel*

PVBLICVM, quod videlicet ad totius Reipub. ſtatum pertinet, v. g. inire bellum, pacis fœdera, &c. *Hocque* Ius, eſt totius populi conſenſu ad ſocietatis ſecuritatem, & fœlicitatem introductum.

Digitized by Google

Fœdus pacis, olim apud Romanos erat pactio ſocietatis Populi Romani cum exteris nationibus, per Fæcialem facta.

PRIVATVM, eſt *Ius* quod ad ſingulorum vtilitatem pertinet, v. g. depoſitum eſſe reddendum.

Primum pertinet ad omnes collectiuè, ſeu ad vniuerſum Populum ſimul ſumptum. *Alterum*, ad ſingulos *diſtributiuè*, ſeu ad quemlibet in particulari.

POPVLVS, *eſt* multitudo hominum iuris vinculo, & defenſionis communione, ſeu legibus, & armis, ſociata.

B. Vnius Ciuitatis, hocque vocari poteſt *Ius Municipale*, diciturque à Iuriſconſultis, *Ius vtile omnibus, vel pleriſque* in quâcunque Ciuitate legitimi dominij causâ.

DEFINITVR Ius quod Ciuitas exigente, caſu humaniſque neceſſitatibus, conſentiente Populo, Lege, vel Conſuetudine confirmauit, v. g. *Ius Athenienſium, Lacedemoniorum.*

IVS Singulare, eſt id quod præter communem rationis ordinem ad alicuius vtilitatem, legitimâ auctoritate introductum eſt, atque conſtitutum.

IVS *igitur*, eſt id quod Deus, Natura, Gentes, Populus, Ciuitas, *vel* conſuetudo ſequi iubet.

Summum Ius ſumma iniuria.

Iniuria eſt alieni iuris violatio. Item damnum culpâ illatum. Idque fit vi, dolo, vel fraude. Fraus nulli debet patrocinari. Belluæ, damnum; iniuriam autem inferre non poſſunt.

Damnum, eſt bonorum iactura.

DE
PARTIBVS INTEGRANTIBVS,
ET POTENTIALIBVS IVSTITIÆ.

PARTES INTEGRANTES *Iuſtitiæ*, ſunt FACERE BONVM *Alteri*, & DECLINARE à MALO *Alteri faciendo*; Iuſtitia enim conſtituit æqualitatem ad alterum: at dum quis alteri *Bonum facit*, Æqualitatem inducit: dum autem *à malo inferendo declinat*, ſeruat Æqualitatem: ad rem autem ſolùm requiritur productio, & eius conſeruatio.

PARTES POTENTIALES, ſeu *affines* Iuſtitiæ, ſunt eæ quæ debitum reddunt: at non ad æqualitatem, nempe

CHARITAS, ſeu virtus quâ Deum diligimus propter ſe, & proximum ſicut noſipſos, ob ineffabilem bonitatem quæ in Deo eſt, & in nobis refulget.

RELIGIO, *eſt* virtus quâ Deo ſummus cultus exhibetur, in teſtimonium ſupremæ illius Majeſtatis, & excellentiæ.

PIETAS, eſt virtus quâ parentibus, Patriæ, aliiſque quorum meritis reſpondere non valemus, cultum, & obſequium reddimus.

OBSERVANTIA, eſt virtus per quam colimus viros *Dignitate*, *Scientiâ*, *Virtute*, aut *Sanctitate* præſtantes; eſt enim virtus exhibens cultum ſuperioribus debitum.

HVIC opponuntur

Improperium, ſeu indigentiæ, vel collati beneficij

exprobratio. *Beneficium* gratiam *exigit*; exprobrationem *abigit*.

Conuitium, eſt exprobratio mali pœnæ per violationem honoris; putà exprobratio *ſtultitię*, ſtupiditatis, *ignorantiæ*, &c.

Contumelia, eſt impoſitio mali culpæ. *Putà* Furti.

Obedientia eſt virtus quâ inferior ſponte ſe ſubjicit ſuperiori. Seu virtus inclinans ad ſponte exequendum ſuperioris nutum.

Inobedientia, eſt virtus violans ſuperioris præceptum.

Veracitas, eſt virtus inclinans ad ſincerè, & ingenuè aliis noſtra ſenſa declaranda, nec laudabilia minuendo, aut vituperanda augendo. Eſt enim virtus ſigna externa internis iudiciis conformans, & inclinans ad nudam veritatis declarationem.

Veritas hìc, eſt conformitas intellectûs cum objecto; verborum, cum intellectu; & facti, cum verbis.

Mendacium, eſt locutio contra mentem.

Fidelitas, eſt virtus quæ inclinat ad obſeruanda promiſſa. *Regulus maluit ad ſupplicium redire, quàm fidem datam hoſtibus fallere.*

Simulatio, eſt mendacium facti, exteriori ſigno tegens interius animi conſilium.

Diſſimulatio, eſt vitium laudabilia minuens, vituperanda augens.

Oſtentatio, ſeu *Iactantia* eſt vitium laudanda augens, & vituperanda minuens.

Vindicatio, eſt ſpontanea, & licita injuriæ propulſatio, & vltio; ſeu virtus quâ quis licitam vindictam ſumit, aut petit.

Castigatio, eſt virtus, quâ puniuntur delinquentes correctionis ergò.

Affabi-

Affabilitas, ſeu *Vrbanitas*, eſt virtus quâ quis gratè, & modeſtè ſe gerit in colloquiis, & communi hominum conſuetudine. Seu nec nimiùm facilem, aut difficilem ſe exhibet.

HVIC opponitur *per*

1. *Defectum*, *Moroſitas*, *ſeu* vitium quo quis contentione, & pertinaciâ, moleſtiam, & tædium affert humanis congreſſibus.

2. *Defectum*, Placiditas, ſeu nimium placendi ſtudium; hocque eſt, *vel*

a. Adulatio, quâ quis omnia laudat, quia placere vult, ſuæ vtilitatis gratiâ

b. Blandities, quâ quis nihil intendit quàm placere.

Calvmnia eſt malitioſa, & mendax infamatio.

Calumniari, eſt falſa crimina imponere.

Calumniator, eſt qui ſcienter falſa imponit crimina.

Detractor, eſt is qui *virtutem* in *vitium* vertit; aut tam negat eſſe, vbi floret.

Gratitvdo, eſt virtus inclinans ad gratias in quantùm nobis eſt, pro acceptis beneficiis habendas. *Vel* virtus inclinans ad accepti beneficij æſtimationem, & in quantùm nobis eſt repenſionem.

Gratiarum actio, eſt beneuola accepti beneficij proteſtatio cum ſui erga benefactorem ſubmiſſione.

Beneficium, eſt res donatario grata, gratìſque donata.

Liberalitas, eſt virtus circa bona fortunæ, præſertim pecunias dandas, & cupiendas ad mediocritatem. Eſt virtus moderans habendi deſiderium.

HVIC opponitur *per*

1. *Defectum*, Auaritia, ſeu inſatiabilis habendi cupiditas, & retinendi dira tenacitas.

Auaritiæ ſurculi, è Diu. Greg. ſunt ſeptem; *nempe*

Obduratio cordis, ſeu *Inhumanitas* aduerſùs proximi calamitatem. *Hinc* quia non *pauiſti*, occidiſti.

Violentia, ſeu *Rapacitas*, quâ quis ad aliena eripienda inclinatur.

Inquietudo, ſeu lucri auiditas. Hinc illud poëtæ.

Immoritur ſtudiis, & amore ſeneſcit habendi.

Periurium, eſt violatio iuramenti; vel falſum iuramentum, in emptione præſertim, & venditione.

Proditio, eſt deceptio per quam aliquis ſe gerit erga perſonam malè, & aliter quàm ipſa exiſtimabat. *De dolo, & fraude dixi. ſupra.*

2. *Exceſſum*, eſt Prodigalitas, ſeu excedens diuitiarum profuſio. In *prodigalitate*, eſt plus *ſtultitiæ*, quàm *malitiæ*.

Iuriſconſultis, prodigus, eſt qui nec modum, nec finem expenſarum habet; ſed ſua bona dilapidando, & diſſipando profundit.

APPENDIX

De Vitio, et Peccatis

VITIVM adeò turpe eſt, & informe, vt horreat, niſi ſub ſpecie virtutis apparere, ita vt eius aſſeclæ velint virtutis cultores videri; dumque vitii redarguuntur, ſibi putent iniuriam fieri, & alios, idem quod ipſi patrantes, oderint. Hinc canit egregiè S. Proſper.

Mendacia, fallax;
Furta, rapax; furioſum, atrox; homicida, cruentum
Damnat, & in mœchum gladios diſtringit adulter.

O inſenſati igitur, & infœlices! qui *Virtutem*, quam venerantur, oderunt, & vitium colunt, quod deteſtantur. Stultum enim, & miſerum, in eo ſtatu

Digitized by Google

quemquam viuere, in quo nollet mori.

VITIVM generatim eſt priuatio quâ quid per ſe impeditur à proprij finis aſſecutione, v. g. *Auaritia*, quâ quis diſtrahitur à fœlicitatis adeptione.

Vitivm hìc, eſt peruerſus voluntatis habitus.

Definitur, habitus electiuus deflectens à juſtâ mediocritate excedendo, vel deficiendo; putà *Temeritas*, *Ignauia*, &c.

TRIPLEX eſt *Vitij* ſtatus *nempe*

1. Incontinentiæ, in quo quis refragente ratione, moleſtijs cedit, quas plerique vincunt. Eſtque *vel*

a. *Temeritatis*, in quo quis rationis conſilium, non expectat, nec ſpectat, ſed inſurgentis paſſionis impetum ſtatim ſequitur, atque proſequitur.

b. *Infirmitatis*, in quo quis conſilium rationis expectat: at id non ſpectat; etenim in eo non manet. *Hic Status* ſimilis eſt *Ciuitati*, in quâ ſunt *bonæ leges quæ malè* obſeruantur.

2. Intemperantiæ, in quo quis ita judicio deprauatur, vt nullâ, vel leui paſſione excitatus, voluptatum exceſſus eligit nequidem modicos dolores ſuperans. *Hic Status* eſt ſimilis *Ciuitati*, in quâ ſunt prauæ leges, quæ promptè, & alacriter obſeruantur.

3. Feritatis, in quo quis propter improbitatis, atrocitatem infra communem hominum ſortem, à vitiorum flagitiis disjectus, atque diſturbatus ad ferarum immanitatem deprimitur. *Is Status*, eſt ſimilis *Ciuitati* in quâ iniquitas dominatur.

INCONTINENS, eſt is qui refragante ratione moleſtius ignauiter cedit quas plerique facilè ſuperant. Iſque eſt incontinens *Ira*, aut *Cupiditatis*.

INTEMPERANS, eſt is qui ita iudicio deprauatur, vt nullam ſuperans *moleſtiam*, volup-

tatum exceſſus promptè eligat.

Quemadmodum homo Virtutis excellentiâ, & ſplendore ad diuinæ naturæ ſortem euehitur; ſic & Vitij peruerſitate, & obſcuritate ad belluarum conditionem detruditur. Vnde *Philoſopho*, homo ſolitarius, aut (*vitii turpitudine*) eſt Fera; aut (*virtutis claritate*) eſt Deus.

HEROS, eſt *vir* minimè *Fallax*, labore, doloreque *Inuictus*, metu *imperterritus*, voluptatibus *infractus*, ab omni paſſione *immunis*, ardua facilè honeſtatis gratiâ *ſuſcipiens*, qui acerba ita fert vt nihil à dignitate *ſapientis*, robuſti animi, magnæque conſtantiæ diſcedat, & rerum geſtarum vnicam deſideret Dei gloriam.

HEROÏ opponitur *Oſor* hominum, homo veſanus, *veritatis* hoſtis, *virtutiſque* contemptor, *libidinis* vile mancipium, inextinguibili ſitis ardore ad *diuitias* anhelans, & inani *ſuperbiæ* faſtu inſolenter intumeſcens; qui videlicet ita hominem exuit, vt ipſum ſuæ nequitiæ immanitas delectet; putà Phalaris.

DE

CAVSIS VITII.

CAVSA FINALIS *Vitij*

REMOTA, è naturâ ſuâ, eſt Summa Miſeria.

PROXIMA, eſt Actio, *vel* Omiſſio turpis.

EFFICIENS, eſt *peruerſa* indoles, *vel* corrupta *prauitate educationis*; turpi librorum *lectione*, improbâ *Ganeonum* ſocietate, aut prauorum ſociorum exercitio.

SVBIECTVM, voluntas creata; idem enim eſt ſubiectum *contrariorum*.

OBIECTVM, quicquid eſt turpe, & Iniquum.

TVRPE, *dicitur* quod difforme eſt rectæ rationi, v. g. furtum; dedecet enim naturam rationalem.

CAVSA FORMALIS, eſt eius *Turpitudo.*

VITIVM, ad decliuia paſſionum, hominem dejicit. Hinc illud Socratis (adoleſcentulæ ſtipatæ eleganti iuuenum cœtu, ei exprobranti, cur tam pauco diſcipulorum numero comitaretur,) ego ad ARDVA *Virtutis* traho, *inquit*, tu verò ad DECLIVIA *Voluptatum*, homines impellis.

VITII Effectus, eſt PECCATVM.

PECCATVM, intellectione inchoatur; delectatione promouetur, & obſtetricante concupiſcentiâ; tum concurrente electione paritur.

Concupiſcentia, ſeu *Fomes peccati*, eſt cœcitas *aſpectûs*, ſeu cognitionis; iniquitas *affectûs*, ſeu inclinationis; peruerſitas *effectûs*, ſeu potentiæ motricis.

peccare eſt	facere	[quod	dedecet.
	fugere		decet.

Item peccare eſt ſpreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhærere.

Peccatum differt à vitio quòd hoc ſit habitus; illud verò ſit actus.

PECCATVM eſt actio, vel omiſſio turpis; v. g. *Homicidium*, vel *omiſſio cultûs diuini.*

Eſt deuiatio à viâ juſtitiæ; hæc autem eſt rectitudo; ſeu via à Deo, vt à primo principio, ad Deum vt ad finem vltimum. Hinc peccatum dicitur delictum; quia per hoc eiuſmodi viæ rectitudo relinquitur.

IN *Peccato* eſt *Reatus*, *Macula*, item *eſt*

malum	*culpæ*,	[quod opponitur	*honeſto.*
	pœnæ;		delectabili.
	damni,		*vtili.*

REATVS, eſt obligatio ad debitam pœnam.

Digitized by Google

Macvla, eſt *animæ difformitas*; etenim actio turpis, Dei *imaginem* in nobis inficit; ſicut actio ſtudioſa, hanc perficit; hæc enim *imago*, eſt veritatis ſplendor, ſeu lumen vultûs Dei, & virtutis amor, ſeu charitas diffuſa in cordibus noſtris: at actio turpis eſt opus & tenebrarum, & iniquitatis.

Cvlpa, eſt iniquitas rationis.

Pœna, eſt *vindicta noxæ*; *ſeu* punitio in vindictam peccati infligenda. Hæc eſt à Deo; culpa verò eſt à nobis.

Damnum hìc, eſt iactura fœlicitatis quam peccando incurrimus.

Peccatum eſt, *vel* ex

infirmitate, ignorantiâ, purâ malitiâ [quod aduerſatur { Patri. Filio. Spiritui Sancto.

Peccatum ex

1. *Infirmitate*, eſt id quo quis paſſione allectus, & abreptus, perpetrat quid rationi diſſonum.

2. *Ignorantiâ*, eſt id quod fit ex inaduertentiâ rationis, dum quis non adhibet debitam diligentiam ad peccati turpitudinem perpendendam.

3. *Purâ malitiâ*, quod procedit è merâ, liberâque voluntatis iniquitate; *v. g.* lædere iuſtum, quia iuſtus eſt; pauperem, quia pauper eſt. Rarò dimittitur, quia & Medicum, & Remedium ſuâ atrocitate impugnat.

DENIQVE peccatum eſt, vel per

1. Excessvm, quo materia virtutis vltra mediocritatem extenditur; dum quis ſcilicet, aut nimìs eduliorum, vel res vetitas, putà carnem humanam edit; vel res alienas; præſertim pretioſas, v. g. vnionem aceto dilutum ſorbet.

2. Defectvm, quod eſt totalis, vel partialis omiſſio actûs, *putà* cultûs diuini; aut actus oppoſitus officio virtutis; putà fugâ ex ignauiâ.

TRACTATVS TERTIVS.

DE SPECIEBVS ACTIONVM HVMANARVM.

OMNIS actio humana eſt honeſta, vel turpis; nam eſt vel à

charitate / cupiditate [quæ eſt radix omnium { bonorum. / malorum.

iterum eſt, *vel* { intellectûs. { imaginationis. / voluntatis. { appetitûs ſenſitiui.

Actiones intellectûs præcedunt actiones voluntatis; ſicut enim nihil eſt in intellectu quòd priùs non fuerit in ſenſu; ſic nihil volitum quòd non fuit præcognitum: cum autem nulla ſit actio humana quæ non ſit volita; idcirco primò agimus.

DE *ACTIONIBVS INTELLECTVS.*

ACTIONES INTELLECTVS, hìc ſunt
1. PROPOSITIO *Finis*.
2. DELIBERATIO, ſeu *conſultatio, eſt* inquiſitio,

comparatio, & examen mediorum idoneorum ad finis adeptionem. *Seu* actus mentis media fini aſſequendo aptiora inueſtigantis, inter ſe comparantis, & perpendentis.

Conſultare, ſeu *deliberare*, eſt conuenientiora media indagare, comparare, & ponderare, atque inter ſe perpendere.

De neceſſariis non eſt deliberandum; etenim quæ cadunt ſub deliberationem, ſunt media contingentia in noſtrâ poteſtate conſtituta. Vnde non deliberatur Romæ de rebus Conſtantinopolitanorum.

Conſiliari tardè, prudenter conſiliata exequi maturè.

3. Sententia, ſeu concluſio deliberationis, eſt iudicium de aptiori medio ad finem comparandum eligendo.

Finis ſe habet in operabilibus, vt principia in ſpeculabilibus; media, vt concluſiones; & deliberatio, vt ratiocinatio: at ratiocinamur de concluſionibus, non de principiis: Quamobrem deliberamus de mediis, non de fine; ſic Medicus non deliberat *an*, ſed *quomodo* debeat ſanare.

DE
ACTIONIBVS VOLVNTATIS.

ACTIONES voluntatis ſunt, *vel*

1. Imperatæ, quæ ſiunt ab aliis facultatibus imperio voluntatis, v. g. ſcriptio quæ fit à manu.

Elicitæ, quæ immediatè exeruntur à voluntate, v. g. amor, & odium, quæ vocantur propaſſiones.

Item, vel verſantur circa finem, aut media. *De quibus hìc ſigillatim agimus.* Eæque ſunt vel *circa*

1. *MALVM*, ſuntque *vel*

a. NOLITIO, *fuga*, ſeu auerſio voluntatis ab aliquo, v. g odium peccati.

b. TRISTITIA, *ſeu* diſplicentia voluntatis quòd fine caruerit.

2. *BONVM*; *hæcque*, vel

a. CIRCA *Finem, putà*

α. VOLITIO, quæ latè eſt quæuis propenſio voluntatis in bonum. *Hìc* autem eſt inclinatio voluntatis in finem ſecundùm ſe, abſtrahendo à poſſibili, vel impoſſibili.

β. INTENTIO, eſt tendentiâ voluntatis in finem cognitum vt comparatu poſſibilem. *Seu* efficax propoſitum aſſequendi finis.

γ. FRVITIO, eſt complacentia, ſeu delectatio, & quies voluntatis in fine poſſeſſo. Fruitio enim dicitur quaſi *Fructus perceptio:* fructus autem eſt vltimum quod è re percipitur. Quapropter fruitio eſt immediata vnio voluntatis cum fine præſertim vltimo. Hinc magna eſt peruerſitas *vti* fruendis, & *frui* vtendis; *Frui* quippe, eſt amore adhærere rei propter ſe.

b. CIRCA *Media*, putà

α. ELECTIO, ſeu acceptatio vnius præ alio è præuiâ conſultatione; dicitur à philoſopho appetitus præconſiliati.

Eligere eſt vnum præ alio legere; ſeu ſumere, è præuiâ mentis deliberatione. Quamobrem ad electionem propriè plura media requiruntur.

β. CONSENSVS, quaſi, *nutus* voluntatis cum *aſſenſu* mentis. Eſt proſecutio medij ſententiâ intellectûs determinati, v. g. nutus quo mercator ſuſcipit

projectionem mercium in mare vrgente tempeſtate, quam iudicauit vnicum vitæ conſeruandæ medium. In conſenſu propriè vnicum reperitur medium.

v. V S V S eſt actus voluntatis media ad finem obtinendum applicantis; eſtque *vel*

1. *Actiuus*, qui eſt actus elicitus à voluntate quo applicatur ad ſumenda media.

2. *Paſſiuus*, ſeu imperatus, eſt applicatio facultatis vt motæ à voluntate ad media ſumenda.

ORDO operationum intellectûs, & voluntatis *circa finem, & media, eâ ratione fit.* Intellectus *v. g. exhibet ægroto ſanitatem, eam voluntas efficaciter appetit*; intellectus *poſteà inueſtigat media*; & inuenta, *inter ſe comparat, æſtimatque venæ ſectionem, v. g. eſſe ſanitati reparandæ magis idoneam, quàm pharmacum: voluntas annuit; ægrotus, brachium porrigit vt aperiatur vena, obtinet ſanitatem, obtentâ ſanitate delectatur, & quieſcit.*

DE
ACTIONIBVS IMAGINATIONIS.
ET APPETITÛS SENSITIVI.

ACTIONES *Imaginationis* ſunt cognitiones quibus *Imaginatio* repræſentat *Appetitui ſenſitiuo*, bonum, vel malum ſenſibile proſequendum, vel fugiendum; v. g. exhibitio ſuauitatis potûs, & moleſtiæ ſitis. Variæ ſunt pro varietate obiectorum, & affectionum.

ACTIONES Appetitûs ſenſitiui, ſunt eius affectiones, quæ & paſſiones appellantur.

Affectio dicitur *Paſſio*, licet ſit *actio* appetitûs,

quia homo magis agi, & pati, quàm agere paſſione videtur; nihil enim paſſionis impetu, cuncta verò rationis ductu peraguntur.

PASSIO *definitur* commotio appetitûs ſenſitiui ex apprehenſione boni, vel mali ſenſibilis cum notabili corporis mutatione.

FINIS *Paſſionum*, adeptio boni, & fuga mali ſenſibilis ad animalis conſeruationem; ſublato quippe voluptatis, dolorisue ſenſu ſtipitum inſtar quodlibet animal immotum hæreret.

OPIFEX, ſunt *Imaginatio*, obiectũm ſenſibile repræſentatum appetitui vt bonum, vel malum, *Appetitum* inclinando in bonum, vel auerſando à malo ſenſibili; necnon corporis *Temperamentum*. Corporis enim humores mutant animæ mores.

OBIECTVM, *eſt* bonum ſenſibile proſequendum, *vel* malum ſenſibile auerſandum.

SVBIECTVM, ſeu organum appetitûs ſenſitiui, eſt Cor; ſiquidem paſſionum motu maximè afficitur; quandoquidem in gaudio dilatatur, in triſtitiâ conſtringitur, in irâ amareſcit, &c.

SEX ſunt *Paſſiones* in appetitu concupiſcente. Putà *Amor*; odium; *Deſiderium*, Fuga; *Gaudium* Triſtitia. Quia *vel*

Bonum / Malum — ſpectatur vt { *abſtrahit à præſentiâ*, / *aut abſentiâ*, / abſens, / præſens, } [circa id eſt { amor. / deſideriũ. / gaudium. } { odium. / fuga. / triſtitia. }

QVINQVE ſunt *Paſſiones* in appetitu iraſcente, putà *Spes*, deſperatio, *Audacia*, metus, & ira. Quia *hic appetitus* verſatur circa ſuum obiectum vt eſt *Arduum*: at *malum* vt abſtrahit à præ-

Digitized by Google

ſentiâ, & abſentiâ *non* eſt *arduum*; nec *bonum* vt ſic; item *hoc* vt eſt præſens, non eſt difficile; igitur nulla eſt paſſio appetitûs iraſcentis circa bonum præſens, aut circa malum abſtrahendo ab eo quod ſit præſens, vel abſens. Quapropter appetitus iraſcens verſatur tantùm vel circa bonum vt eſt abſens, & circa malum, vt eſt præſens, vel abſens. AT

		vel ſpectatur vt	circa eſt
bonum abſens		poſſibile	ſpes.
		impoſſibile	deſperatio.
malum	abſens	euitabile	audacia.
		ineuitabile	metus.
	præſens	*ſuperablile*	*ira.*

Poëtis ſunt præſertim quatuor *paſſiones* quibus animi quies perturbatur; vt patet è Boëtio lib. 1. conſ. phil.

Gaudia pelle, pelle dolorem,
Spemque fugato, nec timor adſit.

Item ex illo Horatij

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatue, quid ad rem?

Sic è Marone

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent gaudentque

Vbi ſpes, & deſiderium metri causâ promiſcuè vſurpantur, tum quia circa bonum futurum ambæ paſſiones occupantur.

DE
PASSIONIBVS APPETITVS
CONCVPISCENTIS.

OMNIVM princeps, & cauſa, eſt amor; cupiditas enim eſt amor inhians habere quod ama-

tur, inquit Auguſtus Doctor. Triſtitia malum reformidat; quia appetitus bonum deſiderat; hoc autem cupit, quia amat.

Amor eſt inclinatio appetitûs è notitiâ bonitatis & pulchritudinis rei amatæ.

Definitur paſſio appetitûs concupiſcentis circa bonum ſecundùm ſe abſtrahendo ab eo quòd ſit præſens, vel abſens.

Amor, bonitate, & pulchritudine, tum amore conciliatur; etenim ſi vis amari, ama.

Cum quodlibet ſeipſum naturaliter amet, ideoque diligit ſibi-ſimile. Vnde illud ſimile, ſimili gaudet (niſi id ab alicuius boni aſſecutione non dimoueat) cum enim magìs quiſque ſeipſum, quàm alterum amet; idcircò tunc naſcitur inuidia; vnde illud figulus, figulo inuidet.

EFFECTVS AMORIS ſunt

VNIO; amor enim eſt vita duo copulans, aut copulare appetens, eaque vnio eſt tanta vt transformatio videatur eſſe. Hinc oſcula; quia ijs, amans ſuam in amati animam veluti transfundit, & viciſſim; quamobrem, quod amatur, anima, & cor appellatur.

ECSTASIS, *ſeu* affectiuus exitus amantis in rem amatam è deſiderio communicationis boni: at cum *Amans* nullum maius bonum *Seipſo* poſſit communicare; ideò magìs eſt vbi amat, quàm vbi animat; hinc voluntas à philoſopho dicitur *Pes* animæ.

ZELVS, *ſeu* ardens deſiderium propulſandi mala quæ amanti, aut rei amatæ nocent. Hic eſt, *vel*

1. *Amicitiæ* quo quis contendit remouere quæ diſplicent amico; vnde illud ſacræ ſcripturæ, *Zelus domûs tuæ comedit me.*

2. *Concupiſcentiæ*, quo amans accenditur aduersùs

omne quod aſſecutioni, & quietæ fruitioni rei amatæ opponitur.

3. *Inuidia*, quo quis ſuccenditur aduersùs eos qui æquali, aut præſtantiori dote, quàm ipſe polleat.

LANGOR corporis; quia *Amore* totaliter ad arcem ſuam, nempe, *Cor*, confugiente, ſuaſque vires ibi cogente; corporis partes natiuo calore deſtituuntur, & ſic languent

LIQVEFACTIO *animæ*, quia hæc diſſipatur, & ad rem amatam veluti extenditur, & ſic videtur liquefieri.

AMANS, rei amatæ diſplicere acriter timet. Hinc illud

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

ODIVM, eſt auerſio mali ſecundùm ſe.

Definitur paſſio appetitûs concupiſcentis malum ſenſibile ſecundùm ſe auerſantis.

ODIVM eſt, *vel*

1. ABOMINATIONIS, quo deteſtamur malum præcisè quia malum eſt, v. g. odium peccati in eo qui Deum vnicè amat.

2. INIMICITIÆ, quo malum alteri volumus, eò quod nobis noceat, v. g. odium quo quis auerſatur collegam ſe præſtantiorem.

DESIDERIVM, *Cupiditas*, ſeu *libido habendi boni abſentis*. Eſt affectus appetitûs concupiſcentis proſequentis bonum ſenſibile vt abſens. Eſtque, *vel*

1. *Rerum naturalium*, & vt congruarum animali; v. g. cibus.

2. *Non naturalium*, & vt ratione apprehenſarum, v. g. cupiditas diuitiarum.

FVGA, eſt affectus appetitûs concupiſcentis auer-

ſantis malum ſenſibile prout eſt abſens.

Gavdivm, interdum eſt animi relaxatio, hinc illud

Interpone tuis interdum gaudia curis.

Hic eſt cordis dilatatio delectatione boni præſentis. Quæ vt cor dilatat, lætitia nominatur.

Exultatio, eſt intenſa, & inſignis delectatio ſpiritûs.

Voluptas eſt condîmentum vitæ cognoſcitiuæ, eſtque communis omnibus ipſius operationibus. Viſione quippe voluptas percipitur. Item, & intellectione; gaudium autem conuenit ſoli appetitui, præſertimque rationali.

Definitur, affectus appetitûs concupiſcentis, circa bonum ſenſibile prout eſt præſens.

Corporales lętitię dum { abſunt deſiderium / adſunt faſtidium } excitant.

Triſtitia eſt paſſio appetitûs concupiſcentis moleſtè malum præſens ferentis.

Sicut exterior recreatio animi dicitur *delectatio*; interior verò *Gaudium* appellatur; ſic moleſtia quæ ex interiori apprehenſione naſcitur, *Triſtitia*, quæ autem ab exteriori, fit, *Dolor* nominatur.

Hic videtur *Phyſicis* proprius; eſtque

1. Obiectiuus, ſeu obiectum dolorificum, quod eſt diuiſio continui; puta diuiſio carnis quæ fit vulnere.

2. Formalis, ſeu amaritudo appetitus ſibi de tali diuiſione diſplicentis.

Miſericordia, eſt triſtitia alterius miſeriæ, cum deſiderio ipſam ſubleuandi.

Mæror, eſt triſtitia diutiùs manens.

Inuidia, eſt *Dolor* de bonis proximi, vt de malo proprio; ſicut *Vindicta illicita*, eſt *Gaudium* de malo proximi, tanquam de bono proprio.

Indignatio, eſt dolor animi quod bona indignis contigerint, v.g. ea quâ quis ægrè fert, officium

judicis exerceri ab ignaro, & improbo homine.

Acedia, hìc eſt dolor animi quo totum corpus torpet. Eſtque vel

Anguſtia, quæ dicitur quaſi anguſta via, quia ſcilicet in eâ ſic homo inter incommoda conſtituitur vt illi difficile ſit ea hinc inde euitare. Vnde illud caſtæ Suſannæ, *anguſtiæ mihi vndique*; & illud *tribulatio, & anguſtia vallabit eum*.

Definitur perplexus dolor animi cuius curandi aliquod ſubapparet remedium.

Agonia, eſt dolor prænuntius mortis breuì futuræ.

DE
AFFECTIBVS APPETITVS
IRASCENTIS.

SPES, eſt affectio animi quâ quis exiſtimat ſe propriâ virtute adepturum id, quod optat. Hinc illa differt ab *expectatione*; hæc enim fidit in alienâ virtute.

Spes, magnum habet ad vitam momentum. Vnde illud *ſpes alit agricolas*. Quare ſi nihil *ſperes*, *deſperes* nihil; imo *ſperes*, quandiu *ſpiras*; volenti enim nihil eſt impoſſibile.

Dicitur, motio appetitûs iraſcentis, bonum abſens, arduum poſſibile proſequentis cum fiduciâ illius aſſequendi

Definitvr, paſſio appetitûs iraſcentis circa bonum ſenſibile arduum, cognitum vt acquiſitu poſſibile.

Fiducia Iuriſconſultis eſt mancipatio rei eâ lege, vt mancipanti remancipetur; v. g. ſi quis fundum, alicui ita mancipet, vt poſt certum tempus ei in ſolidum reſtituere debeat.

Fiducia, eſt promptitudo voluntatis orta è perſuaſione boni aſſequendi.

Despe-

DESPERATIO, ſeu ægritudo animi ſine vllâ rerum meliorum expectatione.

DEFINITVR, paſſio appetitûs iraſcentis circa malum ſenſibile abſens arduum cognitum vt acquiſitu impoſſibile.

AVDACIA, aliquando dicitur animus; ſicque eſt ſtimulus fortitudinis. *Hinc* illud

Audentes fortuna iuuat, timidoſque repellit.

Hic, eſt paſſio appetitûs ſenſitiui circa malum ſenſibile abſens arduum cognitum vt propulſabile.

METVS, *phyſicè*, eſt refluxus caloris ad cor, & amarus bilis, in ventrem fluxus.

IVRISCONSVLTIS, *eſt* trepidatio animi, inſtantis, vel futuri periculi causâ.

Hic, eſt paſſio appetitûs iraſcentis circa malum arduum imminens apprehenſum vt vix eluctabile.

In metu, animal refugit malum, nè ab hoc vincatur; in audaciâ autem aggreditur periculum, vt illud vincat.

Timiditas, eſt exceſſus metûs in periculis mortis, aliiſque rebus terribilibus.

Segnities, eſt metus ortus ex apprehenſione repræſentante laborem, vires ſuperaturum.

Stupor hìc, *eſt* metus ortus è periculo repentini mali, ineluctabilis exiſtimati.

Timor ſtrictè, *eſt* metus aduersùs inhoneſta, hominem efficiens meliorem. *Hinc* illud oraculum, *initium ſapientia timor Domini.*

Pudor, eſt metus infamiæ, iuſtæque vituperationis à turpitudine actionis reprimens.

Omne malum Natura pudore, vel dolore ſuffudit; *vt qui honore*, pudore; *qui ſenſu*, dolore, *à malo terreantur.*

Verecundia, eſt metus, rubore ingenuam frontem, falſi criminis objectione ſuffundens.

Erubeſcentia, eſt metus rubore vultum afficiens è turpitudine mali commiſſi, à poëtâ appellatur pudor, inquit enim.

— *Male pudor vlcera curat.*

In *Periculorum* METV, *ſanguis* ad Cor confluit; in TIMORE autem infamiæ, ad Vultum; quia *illud* eſt principium vitæ, quæ priculis impugnatur; *hic* eſt animæ ſpeculum, cuius ſplendor infamiâ dedecoratur.

IRA *Phyſicè*, eſt ebullitio ſanguinis circa Cor; eſt enim veſanus animi tumor, & bilis excandeſcentis æſtus.

Hic *eſt* affectus appetitûs iraſcentis circa malum arduum præſens vindictâ propulſandum. *Hinc* ab Homero vindicta, *dicitur* ſuauior melle, labiis ſuperfuſo.

IRA dicitur ab *Ire*; quia *iratus*, ſicut & amans, veluti extra ſe it. Vnde qui iram compeſcit ad ſe redire dicitur. *In* Amore, *calor* confugit ad *cor*. Vnde langor, & animi deliquium, in Ira verò tranſuolat ad Cerebrum. Hinc oritur *Furor*, *Mania*. Vnde illud poëtæ

Ira breuis furor eſt.

Fœlix qui tardus eſt ad iram, promptus verò ad veniam.

Iratus differt ab inimico, quòd ille, ſibi infenſo, ea ſolùm imprecetur quæ per vindictam infligere poteſt, patefaciatque vlciſcendi animum, qui ſubinde mitigatur; necnon, vt plurimùm, ſuæ iræ pœniteat: inimicus verò quælibet malorum genera quâcunque ratione euenientia, ſibi infenſo imprecatur, occultique rancoris, qui in dies creſcit vix vnquam ipſum pœniteat.

PASSIONVM aliæ *ſunt*

1. In appetitu *concupiſcente*; puta *amor*; aliæ in *iraſcente*; v. g. *ſpes*.

2. Circa bonum, & accedendo, putà *deſiderium*; vel circa malum, & recedendo, nempe *fuga*.

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS.

DE PROPRIETATIBVS ACTIONVM HVMANARVM.

POTISSIMÆ *Humanarum actionum* affectiones, ſunt HONESTAS, & TVRPITVDO; quia ex iis cæteræ deriuantur.

HONESTAS, *Honoris Status*, ſeu *Firmitas*, quæ eſt decor, & ſplendor actionis ſtudioſæ, eſt

Integritas actionis honeſtæ. Seu debita obiecti, finis, & circunſtantiarum actionis humanæ complexio. Sic bona eſt eleemoſyna, cum ſit propter Dei gloriam, è propriis bonis, tum debitis circunſtantiis.

TVRPITVDO, ſeu *Malitia*, eſt priuatio rectitudinis debitæ actioni, vel eius omiſſioni.

BONAS actiones ſequuntur *Meritum*, *Laus*, *Honor*, *Gloria*, *Amicitia*.

PRAVAS, *Demeritum*, *Vituperium*.

VTRASQVE *Fama*, *Voluptas*.

1. DOLOR, eſt diſplicentia appetitûs circa malum coniunctum, intellectu, vel ſenſu apprehenſum. Galeno, eſt ſenſatio triſtis; ſicque ſumitur vt eſt ortus ab exteriori apprehenſione ſensûs.

VOLVPTAS

1. FORMALITER, ſeu condîmentum actionis; eſt complacentia orta ex actione congruâ. Sicut dolor formaliter eſt diſplicentia, ex actione diſſentanea.

2. OBIECTIVÈ, eſt bonum delectabile.

3. EFFICIENTER, eſt appetitus ſimul, & bonum delectabile.

MERITVM, *eſt* dignitas præmij.

Præmium, eſt merces meriti. Vnde quod meritis non conceditur, eatenùs id jure ſpernitur ab honeſto viro.

DEMERITVM, *eſt* debitum punitionis. *Seu* obligatio ad punitionem.

LAVS, *eſt* commendatio virtutis vt ad quid præſtantius promoueatur. *Seu*

Sermo magnitudinem virtutis celebrans.

Magnum eſt laudari nolle, & eſſe laudabilem: decus tamen eſt à bonis laudari, à malis verò dedecus; hi enim ignaros, impioſque laudant; laus malorum contemptum parit: bonorum autem commendatio, æmulationem; *æmulatio*, virtutem, *virtus* denique fœlicitatem.

Ante mortem ne laudes hominem; ſic enim adulatio laudantem non mouet, nec laudatum, elatio: Eum tamen *lauda parcè*, *vitupera parciùs*.

VITVPERIVM, *eſt* imputatio malefactorum. *Seu* oratio probri turpitudinem manifeſtans.

Probrum, eſt vel turpe { naturâ ſuâ, ciuiliter, } [v.g. { *flagitium.* *exilium.* }

HONOR, *eſt* cultus in excellentiæ teſtimonium. Excellentia *quippe* virtutis, eſt honoris menſura.

Perfectio animæ rationalis; eſt hominis excellentia; quia per hanc eſt ſui gratiâ; hæc autem eſt *Sapientia* intellectûs; *Sanctitas* voluntatis, *Auctoritas* imperantis.

FAMA *Iuriſconſ.* eſt communis opinio è ſuſpicione proueniens voce confirmata.

Philoſophis, eſt multorum de aliquo ſermo.

— vires acquirit eundo.

INFAMIA, eſt *Fama* cum vituperio.

GLORIA, eſt frequens, & crebra de alicuius virtute cum laude fama.

☞ DEFINITVR, conſentiens laus bonorum, & incorrupta vox benè iudicantium de excellentiâ virtutis.

VITA laudabilis, eſt quidem vita breuis; at huius breuitatem ſempiternus gloriæ curſus perenni poſteritatis memoriâ conſolatur; nulla ſiquidem eſt ſpecioſior, pretioſiorque ſtatua, quàm vitæ laudabiliter peractæ memoria. *Studium* Virtutis, *Stadium* Gloriæ; ab hoc nè deflectes liuoris œſtro; nam incedentibus per Solem, *Vmbra*; per Gloriam verò comes eſt *Inuidia*; vt enim flamma, ſine *fumo*; vitium, ſine *fuco*: ſic nec *bona Fama*, eſt ſine Liuoris *Odio*.

Gloria, quemadmodum *Vmbra*, ſe fugientes proſequitur, & proſequentes fugit. Vt exponitur *hoc diſtico*.

Captantem refugit, fugientem GLORIA *captat*;
Vt Poſt, ſubſequitur, Præ, fugit VMBRA *velox.*

DE AMICITIA.

AMICITIA, *eſt* mutua beneuolentia. Amicus enim eſt qui amat, & redamatur.

Amicitiæ *fundamentum*, eſt boni communicatio. *Hinc*, vel AMICITIA contrahitur

1. VTILITATE; v. g. amicitia inter Mercatores Hæc parùm eſt proficua, tantùm enim emicat, quantùm, & quandiù *Aurum* micat: cum autem *Aurum* effluxit, illa velut *Aura* euaneſcit.

2. VOLVPTATE; v. g inter iuuenes. Lubrica profectò, titubans, labilis, vitroque fragilior eſt *Amicitia*, quæ cum poculis ingeritur; etenim cum *Vinum* deficere incipit, ipſa vt *Vappa* aceſcit, tandemque fumi inſtar euaneſcit. Nam cum fortuna amico non ridet, amicus eiuſmodi amicum ridet. Hinc *illud Nazonis*

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos;
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

3. VIRTVTE; v. g. inter probos. Hæcque ſola eſt amicitia ſimpliciter, & à *Philoſopho*

☞ *Definitur*, mutua beneuolentia, è notitiâ probitatis orta, non latens, confirmata.

SOLA virtutis *Honeſtas* eſt firma: at Amicitiæ *Venuſtas*, *Vetuſtas*; quod enim eſt erga Inimicos *Cautio*, id erga Amicos eſt *Conſtantia*. Certus amicus rebus in incertis; *imò* frater in anguſtiis comprobatur: nec amicum *Proſperitas* indicat, nec inimicum celat aduerſitas. Vnde *illud*

Κρίνει φίλους ὁ καιρὸς ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ.

VITÆ Solatium, eſt fidelem inueniſſe amicum; fidem quippe res ſecundæ poſcunt, aduerſæ verò exigunt. Amicus in proſperis gratulatur, in aduerſis compatitur, & in calamitatibus (quas auertere non poteſt) opitulatur: ille res ſecundas gratiores efficit, aduerſaſque partiendo, præſtat nè ipſæ nobis ſint grauiores.

Obſequium, amicos parit.

Inimicitia, *eſt* vitium quo quis damna ſibi infenſo, & imprecatur, & procurat.

Adulator, *eſt* is qui laudat dictis, lædit factis; nutrit ſermonis lacte, necat operis veneno; eſt obſequio amicus, hoſtis autem animo; currit ad proſpera, fugit in aduerſis.

Amare, eſt velle alteri bonum, & quantùm in nobis eſt illud præſtare.

Amor, eſt propenſio cuius principium, eſt voluptas orta ex aſpectu; *Philoſopho* quippe nemo capitur *amore* qui non fuerit formâ, & ſpecie delectatus, quam abſentem deſiderat, & præſentem concupiſcit. *Item* amorem excitat *Similitudo.* Hinc illud *Nazonis.*

Ruſticus, agricolam; miles, fera bella gerentem;
Ductorem timidæ nauita, nauis amat.

Amor *affectu* inchoatur, *effectu* vero completur.

Dilectio, ſeu *amatio*, eſt actualis inclinatio in rem amatam; ſeu amoris productio.

Beneuolentia, eſt voluntatis inclinatio, quâ alicui bonum optamus.

Beneficentia, eſt inclinatio voluntatis quâ quis alteri benefacit.

Concordia, eſt conſenſus plurium, quo, in ijs quæ cadunt ſub deliberationem volunt idem, eidem.

OMNIVM *Amicitiarum* diuiniſſima, eſt *Amicitia* Dei cum Beatis; in hâc enim *Deus* ſe totum tradit Creaturis, & *Creatura* intimè, & vnicè Deo adhærens, totaliter ineffabili *Bonitati* Dei conſecratur.

Hæc Dei traditio, eſt corona gloriæ, per cuius *Splendorem*, mente Beatorum, irradiatâ *candore Lucis Æternæ*, & voluntate inflammata *diuina Charitatis*

incendio Beati torrente voluptatis ita inebriantur, vt SATIATI *ardentiſſimè* deſiderent, & DESIDERANTES, *vberrimè* ſatientur, intrentque in *gaudium* Domini Dei *ſui*, & vt gutta in mari, ſic in immenſo deliciarum *Oceano* totaliter abſorbeantur.

Hæc anticipata fœlicitas in ſacro-ſancto, & Auguſtiſſimo Euchariſtiæ myſterio Communicatur ijs qui guſtant Cœnam Domini; hæc enim habet in ſe omne delectamentum. Oh miſerorum miſerrimum Caluinum cui hæc lux veritatis non affulſit, aut ſi illuxit, qui eam & ſibi, & perditis hominibus extinxit. Oh hominis vanitatem qui ſpecie religionis homines dimouet, ac ſuis ſcriptis miſerrimè deterret à deſiderio quo hominum amator, & paſtor deſiderat, nos hoc Paſcha, hoc Manna abſconditum, hunc Panem qui de cœlo deſcendit, manducare; etenim qui manducat (vt decet) ex hoc Pane viuet in æternum. Is qui hoc adorandum, tremendum ſolummodo repræſentat eſſe Myſterium; non omninò abſimilis eſt ei, qui etiam nuperrimè, fuco Religionis, inconſideratæ deuotionis arguit eos qui colunt peculiari veneratione intemeratam virginem Deiparam, Cœli, terræ, & tartari Dominam, Angelorum, hominum, & Dæmonum Reginam. O intempeſtiui, & nimiùm cauti ſcriptores, nolite prohibere facere bonum, & cum poteſtis vos etiam facite, ó lector fuge ab eorum dictis vt à facie colubri.

SVCCINCTA
OECONOMICÆ, & POLITICÆ
DELINEATIO.

PRVDENTIÆ *Species* ſunt

monaſtica ⎧ vnius
œconomica [*diſciplina* ⎨ familiæ [*ad honeſtatẽ directiua.*
politica ⎩ ciuitatis

Sufficienter diximus ſupra de ijs quæ ſpectant ad regimen hominis priuati. Hic de ijs quæ ſunt Oeconomicæ, & Politicæ nobis, eſt agendum, ac priùs.

DE OECONOMICA.

OECONOMICA, græcè οἰκονόμικη, id eſt *νόμος τῆς οἰκίας, regimen,* ſeu *adminiſtratio* familiæ.
FINIS familiæ, eſt eius directio ad fœlicitatem.
OBIECTVM, eſt bonum familiæ procurandum.
OECONOMIA, ſeu Forma, Familiæ eſt ratio huius adminiſtrandæ.

MATERIA Familiæ, ſunt res eam componentes. *De quibus modò.* Cum Familia primam omnium includat *Societatem.* Vnde hic *agimus* de Societate.

Societas, eſt plurium ad commune bonum coniunctio, *Vnde* Societas eò præſtantior eſt, quò major eſt boni communicatio. Inter plantas, eſt quædam ſocietatis Vmbra, facilè quippe *Vites*, Vlmos amplexantur; euidentiùs inter *Brutas animantes* apparet; *aues* enim concolores ſimul volant, & ſociantur ad pullorum excluſionem, & nutritionem, &c. nulla ſocietatum eſt præſtantior quàm cum viri boni moribus ſimiles ſunt familiaritate coniuncti; ſiquidem in bono præſtantiſſimo, quod eſt *Virtus*, communicant.

NATVRA ponit *Societatis* fundamentum; homo quippe eſt ad ſocietatem natus. Hinc viatores, licet ſibi ſint ignoti, tamen ad tædium itineris ſubleuandum, facilè beneuolentiam inter ſe conciliant.

SOCIETATEM, hominum, *Inſtitutio* abſoluit, atque complet, vt probat multiformis apud varias Gentes regiminis diuerſitas.

SOCIETAS completa ciuiliter, ſtat officiorum, conditionum, diuerſorumque ſtatuum inæqualitate; vt enim totum *Corpus humanum* non eſt ſolus *pes*, aut ſolus *oculus*, vel *manus*, &c. Sed quid ex his omnibus compoſitum; ita tota *Reſpub.* non eſt ſolus *Princeps*, *Iudex*, *Mercator*, *Miles*, aut *Agricola*, ſed quid ex his omnibus coaleſcens. Quamobrem Reſpub. non ſtat niſi quidam in eâ cæteris præſtent, & in eos auctoritate polleant; ſocietas enim (vt & aliud quodlibet aggregatum per accidens) *Ordine* continetur; ordo autem, *Ratione* prioris, & poſterioris conſtituitur. Igitur ſocietas ſtare nequit niſi *quidam* in eâ ſint *Primi*, & *Prudentiâ*, *Æquitate*, & *Auctoritate* ſuperiores, qui cæteris imperent, & delinquentes ad violatum ordinem reducant; *Alij* poſteriores, ſeu inferiores qui ijs obtemperent, & morem gerant.

Digitized by Google

prima ⎧ viri, & uxoris.
2. ⎨ parentum, & liberorum.
3. [ſocietas eſt ⎨ Domini, & ſerui.
quarta ⎩ *ciuis, & ciuis ad cultũ pacis, & belli.*

E Viro, & Vxore; Parentibus, & Liberis; Domino, & Seruis (*ſi præſertim adſint poſſeſſiones ad vitam ſufficientes*) fit PERFECTA FAMILIA. E multis *Familiis* ſparſim habitantibus, fit PAGVS (unde ruris incolæ dicuntur *Pagani*) è multis *Familiis* collectis, fit VICVS; è pluribus *Vicis*, CIVITAS; è *Ciuitatibus*, PROVINCIÆ; è *Prouinciis*, REGNA; è *Regnis*, IMPERIA; è multis *Imperiis*, AMPLITVDO *Orbis* terrarum.

FAMILIA, eſt cœtus plurium perſonarum ſub vnius Patris familias poteſtate naturâ, aut jure, ad actus vitæ quotidianos conſtitutus.

Filii, ſub poteſtate *Patris*familias *Naturâ* conſtituuntur; *Serui* autem, *Iure* ipſi ſubjiciuntur.

Actus vitæ quotidiani, ſunt, *v. g.* conuictus, conuerſatio, cohabitatio; liberorum educatio; *comparatio*, vel *conſeruatio opum* ad vitam honeſtè degendam *neceſſariarum*, &c. ad hos pertinent familiæ conſeruatio, & propagatio.

FAMILIARES, ſunt qui ad eandem *Familiam* pertinent.

TRIPLEX *eſt* in familiâ, *συζυγία*, *ſeu* combinatio, *putà*

Coniugalis ⎧ *viro*, *&* *vxore*.
Patria [è ⎨ parentibus, & liberis.
Herilis ⎩ *Domino*, *&* *ſeruis*.

QVATVOR in FAMILIÂ conſiderantur, *putà*
Vir, & Vxor. ⎧ Dominus, & ſerui.
Parẽtes, & liberi. ⎩ *Familię Inſtrumẽta, ſeu poſſeſſiones.*

VIR, *dicitur* reſpectu

1. FAMILIÆ, Paterfamilias, *Item* *οἰκοδεσπότης*,

domûs Dominus, quia debet ei præeſſe.

2. *Vxoris*, MARITVS.

3. FILIORVM, *Pater*. Vterque verò *Conjux*, parentes; ij autem debent eſſe veluti centrum, à quo pares in *Filios*, deriuentur amoris, affectuumque illecebræ.

4. *Seruorum*, HERVS.

5. *Poſſeſſionum*, POSSESSOR.

Virum, & vxorem vincit, & arctè ligat CONIVGIVM; *hoc* autem *eſt* vnius viri, & mulieris, indiſſolubili vitæ nexu, omniumque caſuum communione ad liberorum ſuſceptionem, & educationem conjunctio.

FINIS MATRIMONII. Liberorum ſuſceptio, debiti redditio, incontinentiæ vitatio. Non enim inſtitutum eſt ſolùm in *Officium*, ſed & in *Remedium*,

EFFICIENS, expreſſus animorum conſenſus.

EXEMPLARIS, deſponſatio Chriſti Saluatoris cum *Eccleſiâ*.

MATERIALIS, Perſonæ Legitimæ.

FORMALIS, benedictio, annuli ſubarrhatio, & quid aliud eiuſmodi.

MATRIMONII *Dos* eſt

fides	[vt {	neuter alieno thoro maculetur.
proles		hæc ad Dei cultum educatur.
Sacramentum		non ſoluatur.

MATRIMONII *quippe* ſolatium, *eſt* indiſſolubilis nexus, amor fidelis, & reciprocus, virtutis cultus, tum aſſidua laudabiliſue cura familiæ.

TRIA ſunt *Ornamenta* SPONSÆ, putà

Annulus in digito; *ſeu* operis integritas.

Monile in pectore, *ſeu* cordis ſinceritas.

Corona in capite, *ſeu* mentis, puritas.

Dos magna parentum, *Virtus*; maior, propria;

Digitized by Google

maxima, eſt *Virtus* vtriuſque coniugis, & liberorum.

Dos *Iuriſconſ.* eſt bonum quod ab Vxore, vel ab alio eius nomine committitur Marito, ad onera *Matrimonij* ſuſtinenda. Soluto matrimonio *Dos* eſt Vxoris *Patrimonium*; vt hæreditas adita, eſt patrimonium filij. *Patrimonium* enim filij ſunt bona, quæ hereditate poſſidet.

MATRIMONII *coniunctio*, eſt &

ſpiritalis [quæ fit { *animorũ* conſenſu / *ſexuum* mixtione } [hæc { *clauſtro* / *morte* } [ſoluitur.
carnalis

MATRIMONIVM eſt de IVRE

Naturali [ad conſeruationem *humanæ* { *ſpeciei.* / *ſocietatis.* }
Ciuili

Diuino; quia à Chriſto Domino fuit inſtitutum.

VIR, eſt *Caput* Mulieris; quia eam regere, ipſique debet dominari: ipſa verò *regi*, & Marito *ſubjici*, non *ancillari*; eſt enim thori ſocia, non domûs ancilla; cum ſecùs in *Familia* accidit, malè cedit res familiaris.

Mater concipit prolem; *Obſtetrix*, hanc juuat in lucem emitti; *Nutrix*, alit; vterque *Parens* educat, & moribus inſtituit; Pædagogus liberalibus artibus inſtruit; neceſſe enim eſt parentes ſuſceptos liberos diligere, iiſque neceſſaria ad fœliciter viuendum ſubminiſtrare, eoſque à noxis, noxiiſque, *putà* Aleis, Baccho, illicitâque Venere, necnon ab impiorum, impudicorumque librorum lectione & ganeonum ſocietate, dimouere, diſtrahere, deterrere.

PERSONA, prout ſpectat ad *Familiam*, vel *ſub*

1. *Nullius* poteſtate eſt, nempe Paterfamilias; Item Manumiſſus, qui eſt ingenuus; vel libertinus.

2. *Alterius* poteſtate, *putà* Vxor, ſub viri; *Fi-*

lius, ſub Parentum; *Seruus*, ſub poteſtate Heri.

3. *Alterius* auctoritate, *nimirùm* Pupillus nondum 14. annorum, ſub Tutoris; & Adultus nondum 25. annorum, ſub auctoritate Curatoris.

PATRIS Poteſtas in filium, *vel* oritur è
1. *Natiuitate*,
2. *Legitimatione*, [*putà* erga { legitimè natum. non legitimum. adoptiuum.
3. *Adoptione*,

LEGITIMATIO, eſt aſſumptio Nothi in legitimum filium.

HAECQVE vel fit { ſubſequenti matrimonio. curiâ. diplomate regio.

ADOPTIO, eſt generatio ciuilis, quâ quis tranſit in poteſtatem patris, & in Ius ad ipſius hæreditatem. Item eſt extraneæ perſonæ in filium, neptem, & ſic deinceps, legitima aſſumptio.

Poteſtas patris in filium *perit* { *morte. dignitate manumiſſione* [filij.

PATER, ſi poteſt, debet hæredes relinquere filios; non enim eſt filij, patri; ſed patris, filio theſaurizare.

HAEREDITAS, *eſt* ſucceſſio in vniuerſum jus quod defunctus habuit, vel quicquid alicuius morte ad alium peruenit. Optima eſt à patribus, hæreditas liberis tradita, *Laus* virtutis, rerumque egregiè geſtarum *Gloria*.

LIBERI debent parentes colere, venerari, iiſque juſta præcipientibus morem gerere, & in omnibus, dum opus eſt opitulari, id piè exhibet, poëta latinus. *His verſibus*.

Ergo age care pater, ceruici imponere noſtræ,
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte grauabit.

Digitized by Google

Quò res cunque cadent, vnum & commune periculum,
Vna ſalus ambobus erit.

SERVVS, eſt inſtrumentum actiuum rationale, ſeparatum, heri exiſtens.

Seruus tenetur obedire Hero; ſiquidem Herus habet jus imperandi. Etenim ſeruorum, ſeruarumque munus erga Dominos, eſt prudens fidelitas, promptum, aſſiduumque in operis, operibuſque præſtandis, cæteriſque præceptis exequendis officium, & obſequium.

Herus debet *Seruos* fideles, & laborioſos dirigere, & diligere, moreſque eorum curare; & ſi miniſtri ſunt, eos etiam ſeruare, debitâque mercede donare, prauos autem dimittere, etenim

Enſe recidendum eſt nè pars ſincera trahatur

SERVVS eſt, *vel* ad

1. Operationes artium; putà mercenarij.

2. Miniſteria domeſtica, aut publica, qui videlicet libertate carent; ijque vel ſunt ſerui à

a. NATIVITATE, *putà* Vernula, à ſeruâ oriundus.

b. CAPTIVITATE, qui in bello, à victore capitur, & mancipatur.

c. EMPTIONE, qui pretio, ſuam miſerè libertatem vendidit.

CRIMINE, qui ad triremes, vel ad mineras condemnatur.

poteſtas Heri in ſeruum *perit* { *morte* / *alienatione* / *manumiſſione* } [ſerui.

Manumiſſione filius exit è poteſtate patris; ſeruus, è poteſtate heri; hicque tunc fit ſerui patronus.

Ingenuus ⎧ nunquam
[eſt qui ⎨ [fuit *Seruus.*
Libertinus ⎩ priùs

Servitvs *latè*, eſt ſubiectio humanæ poteſtati.

Poteſtas humana, eſt Ius applicandi aliquid ad ſuum finem; hæc autem poteſtas, eſt vel in res

1. Cognitione deſtitutas, *putà* Plantas.

2. Sensitivas, *nempe* Belluas.

3. Rationales, *nimirum* in Homines. Hæcque *poteſtas* eſt, *vel*

Populi, in populum fœderatum.

1. Magiſtratûs, in Ciues.

2. Patrisfamilias, in Domeſticos; *putà* Vxorem, Liberos, Seruos, Miniſtros, *ſeu mercenarios.*

3. In ſeipſum; hæcque *Poteſtas*, eſt *vel* in prauas ipſius voluntatis inclinationes; aut in paſſiones, *vel* denique in membra externa. Hæcque ſe habet, vt *poteſtas* in *res inanimatas*; prior eſt vt in *belluas*; prima verò vt in *rationales* creaturas.

SERVITVS Iuriſconſultis eſt, *vel*

1. Personalis, cum res, vſusfructus, aut vſus, perſonæ mancipantur.

2. Realis, cum res, rei ſeruit, *v. g.* ſeruitutes prædiorum, *vel*

a. *Vrbanorum*, putà ſeruitus non altiùs attollendi tecti; ſtillicidij in ſuâ areâ ferendi; item luminum, vel proſpectûs patiendi.

Ruſticorum; eſtque jus aliquid habendi, vel agendi in alieno prædio, quod alteri non licet, niſi ab ipſius Domino ſit permiſſum; *putà* Servitvs *Aquaductûs*; *Pecoris paſcendi*; *Calcis coquendæ*, &c.

Servitvs, hìc *eſt* ordo ſerui ad Dominum. *Seu* eſt debitum obſequendi.

POS-

POSSESSIONES, ſunt ea quæ in *Familiâ* requiruntur ad vitæ neceſſitatem, Vtilitatem, & Iucunditatem. *Putà* alimenta, veſtes, ſupellectilia, domus, prædia, armenta, arma, &c. *Familia*, quippe eſt ſocietas plurium ſub eodem tecto viuentium ob indigentiam ad quotidianum vitæ vſum.

IN pauperum domo, vxor eſt inſtar ancillæ, & bos vice ſerui. Hinc illud

Sit domus in primis, vxorque, & taurus arator.

DOMVS, *eſt* Artefactum ad propulſandas aëris injurias. Non *domo*, Dominus; ſed Domino, *domus* eſt honeſtanda.

Κτῆσις, eſt ars quærendi, conſeruandi, augendi, & impendendi poſſeſſiones ad vſum familiæ. Hæcque eſt. *vel*

AGRICVLTVRA, quæ eſt ars ſegetes, vites, & oleas colendi.

2. PASTORALIS, ſeu *Pecuaria*, quâ curantur, & aluntur greges ouium, armenta boum, & equorum.

3. PISCATORIA, quâ piſces capiuntur; & *Venatica*, quâ *Feræ* acquiruntur.

4. COMMVTATORIA, quâ permutantur *Res*, rebus; *Operas*, operis; *Res*, vel *Operas* Pecunijs.

DE

POLITICA.

POLITICA, *eſt* diſciplina ciuitatis ad honeſtatem directiua.

CIVITAS, *eſt* ſocietas multarum familiarum, legum laudabilium obſeruatrix, fœlicis vitæ gratiâ.

CIVITATIS FINIS, *eſt* fœlix vitæ tranquillitas; hæc autem eſt *Fides, vitę ſecuritas, integritas* morum, bonarum rerum *Æmulatio*, legum *Æquitas*, bonorumque *Sufficientia*.

Vitæ ſecuritas; *Naturâ* enim *duce, ipſi* homines, initio, eo conſilio congregabantur vt tutè viuerent, & ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, *Vrbium* Præſidia quærebant.

Morum Integritas; qui enim iniquitate nititur, paſcit ventos, & miſerè corruet.

Legum æquitas, εὐνόμια, *Lex* quippe, eſt vinculum tranquillæ ſocietatis; præſtat enim imprimis vt, non ambitioni, ſed virtuti præmia concedantur.

Bonorum ſufficientia, εὐπορία. Vnde qui *Ciuitati* præſunt, debent ſollicitè conſulere, vt rerum ipſi neceſſariarum, ſit copioſiſſima abundantia.

OBIECTVM, eſt bonum publicum procurandum.

CAVSA MATERIALIS ex quâ, ſunt *homines* diuerſi ſtatûs, & conditionis, artis, & induſtriæ. Quemadmodum *Corpus*, non è ſolo oculo, aut pede; Sed è quamplurium aliarum partium *diuerſitate* compingitur. Ita ciuitas, non ſolo magiſtratu, aut agricolâ, ſed ex hominibus quamplurimâ aliorum officiorum diuerſitate præſtantibus continetur.

CAVSA FORMALIS, *eſt* regimen, diæta, *ſeu* Ciuitatis ordo, quæ & Reſpublica *ſtrictè*, ſeu *Politia* appellatur. Hæc autem eſt ratio dirigendæ ciuitatis ad fœlicitatem. Mirabilis fuit hæc, quâ imperium Romanum, beneficiis tenebatur, non injuriis; quà exitus bellorum erant aut mites, aut ne-

ceſſarii, quâque prouinciæ, & ſocij, æquitate, & fide defendebantur: illud enim patrocinium orbis terræ veriùs, quàm imperium poterat appellari.

PESSIMA verò *eſt* ea adminiſtrandi ratio in quâ alget *Pietas* cum anxietate; jacet *Virtus*, ſine honore; *Veritas*, ſine defenſione; *Probitas*, cum vexatione; *Opera*, ſine mercede; vbi regnat *Iniquitas*, cum oſtentatione; vincit *Libido*, ſine moderatione; imperat habendi *Cupido*, ſine ſatietate. Vnde Pithio Apollini, Sparta, nullâ re aliâ niſi auaritiâ erat peritura. Vnde quoque C. Pontius Samis, inquiebat, vtinam tunc natus eſſem, quando *Romani*, dona accipere incepiſſent, profectò non eſſem paſſus eos diutiùs imperare. Quapropter valdè laudandus eſt Paulus, qui omni Macedonum *Gazâ* (quæ fuit *maxima*) potitus, tantùm in *Ærarium* pecuniæ inuexit; vt vnius *Imperatoris* præda, finem vectigalium attulerit: at hic nihil in domum ſuam intulit, præter memoriam glorioſi nominis ſempiternam. Tum etiam *Cato*, qui nihil plus ex vrbibus quas cepit, accepit, quàm quod ex hoſtium agris comêdit, aut bîbit. Hi enim (nè fortuna vnius foret omnium ruina) malebant eſſe *Pauperes* in diuite imperio; quàm diuites in paupere imperio; habere quippe quæſtui Remp. non modò turpe, ſed ſceleratum eſſe, ac nefarium exiſtimabant; *inquit Tulli.* Nec certè pater filiorum bonis, nec princeps ſubditorum commodis diteſcit.

REGIMINIS FORMA eſt, *vel*

1. *MONARCHIA*, *ſeu* Regnum, quod eſt principatus vnius; ſeu in quo penes vnum eſt totius *Reip.* adminiſtrandæ SVMMA.

HÆC (dummodo accedat conſilium *Senum* ſapientiâ, & probitate præſtantium, *maximè* ſi Re-

gem *Hæreditario Iure*, non electionis ſorte potia-
tur) eſt omnium adminiſtrationum publicarum præ-
ſtantiſſima. Vnde illud Homeri

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς.

2. *POLYARCHIA*, in quâ plures imperant; hæcque eſt, *vel*

a. ARISTOCRATIA, *ſiue* ea in quâ *Optimates*, ſeu viri, ſapientiâ, probitate, generiſque nobilitate excellentes Remp. adminiſtrant.

b TIMOCRATIA, eſt ea in quâ *Mediocres*, ſeu viri in mediocri fortunâ, ſeu in cenſu conſtituti, imperant.

c. HOLOCRATIA, in quâ totus *Populus* imperat; v. g. Romanæ olim Reip. adminiſtratio.

Licet regnum ſit optima Reip. ſpecies, non tamen Ariſtocratia in illam eſt tranſmutanda; in practicis enim facilè nihil eſt immutandum; nè fortè remedium euadat morbo deterius.

HVIC triplici adminiſtrationis generi opponitur

1. TYRANNIS, *ſeu* regimen in quo Monarcha ſuo, non ſubditorum commodo ſtudet, nec paſcit, ſed populum depaſcit. Hæc eſt omnium adminiſtrationum publicarum peſſima; quum ſit optimæ adminiſtrationis corruptio.

2 OLIGARCHIA, *eſt* in quâ pauci imperant pro ratione ambitûs, & ambitionis, tum potentiæ, non virtutis, & auctoritatis.

3. DEMOCRATIA, ea *eſt* in quâ *Plebecula* ſibi adminiſtrandi ius arrogat, pro temeritate multitudinis, non pro magnitudine, aut rei dignitate. In eâ nullus eſt cenſus, caput, nec ratio: ſed rerum perturbata inordinatio.

In Ciuitate conſiderantur { Princeps, Conſilium. Leges, Iudices. Militare præſidium. Religionis cultus. }

PRINCEPS, *dicitur* quaſi *primum caput*, eſt is penes quem eſt *Summa* rerum, legum ferendarum auctoritas, & pacis, bellique officia præſcribendi. Is nullâ re debet egere, nulli, niſi rationi, parere, & libertate vti; qui enim præeſt aliis tantâ debet virtutis gloriâ excellere, vt, inſtar Solis, cæteros veluti ſtellarum igniculos ſui fulgoris ſplendore, obſcuret. Vnde is debet eſſe *honore*, & *amore* Populi, tanquam externo munimento circonuallatus; omnium autem virtutum cœtu, velut interno Vallo munitus; præſertim verò magnanimitatis, magnificentiæque ſplendore, necnon juſtitiæ æquitate; nam

Rex ſine juſtitiâ, eſt ſine remige nauis in vndâ.

Et illud

Tolle malos, extolle pios, cognoſce teipſum;
Sacra tene, paci conſule, diſce pati.

MAIESTAS, eſt *Principis* auctoritas, dignitas, & amplitudo; eſt enim id quo maior cæteris ſtat. Hinc minuit Majeſtatem, is qui de dignitate, amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum quibus Populus poteſtatem dedit, aliquid derogat.

Perduellis, eſt is qui *Summam Reip.* labefactare conatur.

Perduellio, eſt crimen, quod aduersùs Populum; eius ſecuritatem, aut aduersùs Principem in quem Populus omne *Ius ſuum* tranſtulit, committitur.

PRINCEPS in

1. TIMOCRATIÂ, ſunt *Ciues* cenſu, & virtutis ſplendore pollentes.

2. Aristocratiâ, eſt *Senatus*, ſeu ſenum ſapientiâ excellentium cœtus. Iique *Optimates*, quia optimæ *ſunt* ætatis, appellantur.

3. Monarchiâ, vocatur *Rex*; Monarcha *Ægypti*, Pharao; *Cæſar* Romanorum; *Mithridates*, Ponti; *Abimelech*, Philiſtinorum; *Hiram*, Tyri; *Anthiochus*, Syriæ; *Agag*, Amalecitarum; *Gog*, terræ Magog; *Sultani*, Saracenorum; &c.

IS, vt præſit, & proſit, ita imperet populo, vt obtemperet Deo, ſeruire quippe Deo regnare eſt, Deumque honoret, ſubditos non oneret; eſt enim & *pater*, & *paſtor* Populi. Vnde *illud*

— tu ſceptra, Iouemque conſilia.

Quapropter dicitur Avgvstvs, quod populi opes; virtutem, & tranquillitatem augere debeat.

CONSILIVM eſt inquiſitio rationis de rebus agendis; cum autem res agendæ ſint ſingulares; ideoque & incertæ, & parùm notæ; igitur *Ratio* de iis non debet ferre judicium ſine inquiſitione: hæc autem ab vno accuratè nequit fieri; idcirco eget plurium cœtu: at cum res quæ ad Remp. ſpectant ſint prætereà magni ponderis, & cum æquitate debeant diſpenſari. Quamobrem ad conſilium plures requiruntur, qui & experientiâ, tum eruditione, morumque integritate cæteris præpolleant.

DE LEGIBVS.

LEX, quæ eſt recti præceptio, & praui prohibitio, *dicitur* a

1. Legendo, quòd videlicet publicè legenda, & intelligenda proponatur.

2. Ligando, quòd obliget, & liget; eſt enim vinculum ſocietatis.

3. Delectv, quòd in eâ aliquid agendum, vel fugiendum eligatur.

Gracè νόμοι, ἀπὸ τοῦ νέμειν, quòd eſt tribuere; quia *tribuit ſuum cuique.*

DEFINITVR, ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo qui curam habet communitatis lata, & auctoritate publicâ promulgata.

Ordinatio rationis: quod enim lege ordinatur, & præcipitur, debet eſſe conueniens rectæ rationi; nihil enim inhoneſtum cadit ſub præceptum legis. Nam quod non eſt publici boni gratiâ, ſeu *ad commune bonum*; non eſt *Lex*, ſed *Iniquitas.*

Ab eo qui curam habet communitatis, ſeu *Adminiſtratore* Reip. quia cum ſit ad commune bonum, debet eſſe à perſonâ bono communi præpoſitâ; hinc differt à conſilio.

Auctoritate publicâ promulgata; promulgatio quippe eſt legis applicatio: at *Lex*, cum ſit morum *regula* debet ijs applicari: at applicatio eiuſmodi fit ipſius legis cognitione.

Promvlgatio, eſt publica legis declaratio.

MOSES; Hebræis; *Zoroaſtes*, Perſis; *Minos*, item & *Triſmegiſtus*, Ægyptiis; *Solon*, Athenienſibus; *Phoroneus*, Argiuis; *Minos*, & *Rhadamantus*, Cretenſibus; *Licurgus*, Lacedemoniis; *Zamolxis*, *Getis*; *Charondas*, Turciis; *Tzinſiſcanis*, Scythis; *Numa*, *Pompilius*, Romanis, Leges ſanciuere.

LEX habet diuinum quid. *Vnde* Legum Conditores *Diuino Numine* credebantur afflari. *Vide* conſtat *Moſem*, à Deo immediatè ſuas leges accepiſſe. Minos apud Ægyptios, à *Mercurio*; Minos apud *Cretenſes*, à *Ioue*; Licurgus, ab *Apolline*;

H iiij

Zamolxis, à *Veſtâ*; Numa Pompilius, à *Deâ Ægeriâ*, LEGES, quas condiderunt didiciſſe exiſtimati fuerunt.

LEX, eſt *Mos* ſcriptus; MOS, *Lex* non ſcripta; quæ enim Naturâ, vel Conſuetudine, Iura fuerant comprobata, poſteà *Legum* Metu fuerunt ſancita.

ROMANIS, olim LEX erat conſtitutio Populi, quam maiores natu cum plebe ſanciebant. Lex ijs erat, *vel*

1. CONSVLARIS, quæ, ſcilicet, à Populo, Senatorio Magiſtratu, veluti Conſule interrogante ferebatur.

2. TRIBVNITIA, quæ à Populo, plebeio Magiſtratu, veluti Tribuno interrogante inſtituebatur.

3. PLEBISCITVM, ſeu *Lex*, quæ à Plebe Tribuno interrogante edebatur. Item jus quod ſibi populus ſine auctoritate Patrum conſtituebat.

Edictum, eſt Lex, quam Monarcha edidit, atque conſtituit.

Principis placitum, eſt ordinatio principis, boni publici gratiâ. Hæc authoritas, apud Romanos, à Populo, ad Reges; tum illa, ad *Senatum* fuit tranſlata.

E Legibus, Senatuſconſultis, Plebiſcitis, Principum Placitis, *Conſtitutionibus* Prætorum, & Edilium; Prudentum *Reſponſis* exurgeret in Repub. (ſi obſeruarentur) mirabilis quædam *Harmonia* ad benè, beatèque viuendum.

FINIS Legis, eſt boni publici conſeruatio; vt ſcilicet nocendi licentia coërceatur, & ſecurè degat innocentia.

CAVSA Efficiens, is qui curam habet communitatis, dictante rectâ ratione, & publico bono exigente.

OBIECTVM, eſt quicquid juſtum, & æquum eſt.

CAVSA Formalis, eſt Honeſtas ſeruanda in reddendo cuique quod ſuum eſt.

Lex *rogatur*, dum fertur; *ſeu* dum populus eam ſuſcipit.

Abrogatur, cum tollitur; quia Populus rogatur vt veterem legem tollat.

Subrogatur, cum ei aliquid de nouo additur.

Obrogatur, cum aliquid ab ipsâ, de nouo detrahitur.

Lex è S. *Iſidoro*, eſt honeſta, juſta, ſecundùm naturam, & patriæ conſuetudinem; loco, temporique conueniens, neceſſaria, manifeſta, non captioſa, communi ciuium, non priuato commodo ſcripta.

LEX imperat *bonum*; permittit quod eſt *Indifferens*, vetat *Malum*, nè fiat, hocque perpetratum, puniri jubet.

Imperivm, *eſt* actus ordinantis, & mouentis ad agendum, cum intimatione.

Mandatvm, *eſt* expreſſa ſignificatio voluntatis, vt quid fiat.

Præceptvm; *eſt* intimatio voluntatis ſuperioris, inferiori, cum obligatione, vt juxta illud agat. Eſtque

Affirmatiuum, quod ſcilicet præſcribit agere quod *Honeſtum* eſt, v. g. *Deum colito*, Non obligat ſemper, pro ſemper, vt aiunt. Huic opponitur *peccatum omiſſionis*.

Negatiuum, quod videlicet prohibet actionem, v. g. *non furtum facies*. Hocque obligat ſemper, pro ſemper. Huicque opponitur *peccatum commiſſionis*.

Consilivm, rem conſultoris arbitrio relinquit.

LEX eſt, *vel*

Æterna, *ſeu* ratio diuinæ ſapientiæ prout eſt

directiua omnium actuum, & motionum, ad proprium cuiuſque finem.

Lex *Æterna*, eſt rei dirigendæ; Idea eſt rei faciendæ; illa includit voluntatem obligandi; hæc vt & *prouidentia* non item. *Prouidentia* res ſigillatim reſpicit, *Lex æterna*, non item.

Participata, quæ eſt à *lege æternâ* deriuata.

ITERVM lex, *eſt*

Scripta, *ſeu* ſcriptis mandata, v. g. Lex duodecim tabularum.

Non Scripta, quæ ſcriptis non eſt expreſſa, v. g. ea quæ traditione, vel conſuetudine vigebat, ante Moſem, inter populum Dei.

ITEM lex eſt, *vel*

1. Divina, quæ à Deo lata eſt; *putà* Moſaïca, & Euangelica.

2. Natvralis, quæ non lata, ſed nobiſcum nata eſt, & inſculpta cordibus noſtris. *Vid.* p. 25. *hui. tom.* De hâc egregiè S. Proſper l. de prouid. Dei, hos verſus cecinit.

Ite ipſi in veſtri penetralia cordis, *&* *intùs*
Inſciſos apices, ac ſcripta volumina legis
Inſpicite, & genitam vobiſcum agnoſcite lucem.

Et paulò poſt concludit.

Ergò omnes vnà in vitâ cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus quæ condita libris.

3. Hvmana, quæ ab hominibus lata eſt. *Hæcque* eſt, *vel*

a. *Eccleſiaſtica*, quæ à Conſiliis, Summis Pontificibus, & Epiſcopis ad regimen Eccleſiæ eſt lata.

b. *Ciuilis*, quæ ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, aut Rebuſpub. eſt ad vitæ fœlicitatem conſtituta.

DE ÆQVITATE.

ÆQVITAS, *eſt* Iuſtitia emendatrix legis, ob eius vniuerſalitatem deficientis. *Sic* opus fuit Æquitate quæ corrigeret legem à Lacedemoniis latam de puniendis iis, qui relicto clypeo in bello fugerent, dum videlicet olim ferè omnes Lacedemonij Milites, relicto clypeo, in fugam conuerſi fuiſſent.

ITEM eſt ſinceritas rectæ rationis, quâ leges, ſcriptum, factum, dictumue, bonâ fide interpretamur, & ſeruato jure emendamus.

BONA *Fides*, eſt ſincera prudentiæ ſimplicitas cum dilectione juſtitiæ, & odio iniquitatis. Huic opponitur.

Fraus, dolus, callidum conſilium, tergiuerſatio, item ignorantia culpabilis. Vnde illud

Μὴ συκοφαντία, ἀλλ' ἐκ καλῆς πίστεως.

Emptor malâ fide poſſidet id, quod emit à pupillo, ſine tutoris auctoritate; ſic judex malâ fide judicat; qui ex ignorantiâ, iniquum fert judicium; non enim decreuit quod debuit.

CAVSA FINALIS *Æquitatis*, eſt injuriæ fuga, juriſque ex æquo & bono, ad Reip. fœlicitatem, integritas.

ÆQVVM, & *Bonum*, eſt Ius non ſcripto, ſed ratione; non carthâ, ſed corde impreſſum, & in caſu particulari procurandum.

EFFICIENS, ſincera viri prudentis conſcientia.

EXEMPLAR, *eſt* Diuinæ æquitatis ratio.

FORMALIS, *eſt* æqua juris conceſſio è factorum, dictorum, & incidentium circunſtantiarum inter ſe collatione.

MATERIALIS circa quam, eſt id de quo agitur; putà res, perſona, dictum, vel factum. *Seu* Ius Diuinum, & humanum æquiter procurandum.

Iniqvitas, *dicitur* quæuis malitia. Hic eſt violatio æquitatis.

Iuſtus, eſt qui jus ſeruat; *Æquus*, qui æquitatem colit: *Iniquus* autem, *eſt* is qui è judicij peruerſitate, datâ operâ eligit malum pro bono; & bonum pro malo.

Talio, eſt adæquatio ſupplicii cum crimine. Eſtque vel

Arithmetica, quâ quis tantùm patitur, quantùm malè egit; tantùm reſtituat, quantùm abſtulit; v. g. dentem, pro dente,

Moralis, commenſuratio pœnæ cum culpâ, habitâ ratione circunſtantiarum.

DE DOMINIO.

DOMINIVM *Iuriſperitis*, eſt Ius de re corporali, perfectè diſponendi, vel vindicandi pro arbitrio, niſi Lex, vel Conuentio prohibeat.

Philosophis, *eſt* Ius diſponendi de re aliquâ, ſine alterius injuriâ.

IVS, *hic* eſt legitima poteſtas.

Legitimvm, eſt quid conformè legibus.

DOMINIVM, *vel* habetur a

1. Natvrâ, v. g. Dominium hominis in ſuos actus.

2. IVRE *Gentium*, idque vel

a. *Occupatione*; v. g. dum quis venit in vacua, *putà* in terras à nullo poſſeſſas.

b. *Inuentione*, dum res inuenit, quarum Dominum dignoſcere non poteſt.

c. *Poſtliminio*, hoc autem eſt Ius rei amiſſæ vindicandæ, & ab extraneo recuperandæ, & in priſtinum ſtatum reſtituendæ. Seu Ius rei perditæ, & vt ita dicam alienatæ, cum ad hoſtes peruenerit, quæ veluti tunc è ſuo limine exierat; vnde cum à nobis recuperatur, tunc ad idem limen, poſtliminio rediiſſe videtur.

3. IVRE *Ciuili*; *putà* Vſucapione. *Vſucapere*, eſt poſſeſſione rei, rem ipſam acquirere.

DOMINIVM eſt, *vel*

1. IVRISDICTIONIS, quod ſcilicet habet perſona publica in hominum ſocietatem quam dirigit. Hocque reſpicit bonum ſubditorum non Domini.

2. PROPRIETATIS, quod habet Dominus in bonum de quo ad libitum ſine alterius iniuriâ diſponere poteſt. Hocque ſpectat ſolam Domini vtilitatem.

DE IVDICE.

IVDEX *eſt* legum interpres, & diſpenſator, dirimendis ciuium contentionibus præfectus. Hic, ſi benè ſit affectus, eſt legum oraculum.

IN eo debet eſſe *Legum Peritia*; ne decipiatur; *vitæ integritas*, nè fides eius ſpe, vel metu corrumpatur; *decernendi authoritas*, vt legitimè præponatur Iuri, cuique reddendo, & vt quæ ab ipſo fuerint decreta, mandentur executioni. *Sit* ſurdus ad

fauendum falſitati; auritus ad veritati opitulandam. inimicus iniquitatis, amicus iuſtitiæ, & æquitatis; ita paruum audiat, vt magnum, nec accipiat cuiuſque perſonam; quia Dei iudicium eſt.

LIS, *eſt* contentio, & controuerſia de re quâpiam inter aliquos apud iudicem legitimè inſtitutum dirimenda.

IVDICIVM, eſt iudicis, aut decretum eorum, qui legitimâ poteſtate, causâque debitè cognitâ, de re ad ſe delatâ, ſententiam iuxta legum præſcripta pronuntiant.

Συκοφαντεῖν, *eſt* iniuſtè aliquem iudicio vexare.

VIS, legem violat. *Hac* Iuriſconſultis, eſt neceſſitas impoſita, voluntati contraria.

ITEM iis, vis maior, eſt ea quæ conſilio humano, neque prouideri, neque vitari poteſt.

DE MILITARI PRÆSIDIO.

MILITARE PRÆSIDIVM, *eſt* inſtitutum ad hoſtiles impetus propulſandos, & ordinem ciuitatis aduersùs iuſtitiæ contemptores, ſeruandum.

IN Imperatore, requiritur *Scientia* rei Militaris, *virtus*, *Auctoritas*, *Fœlicitas*; debet enim prudenter, & generosè, tum & fortunatè milites, ad victoriam reportandam mouere.

Apud Romanos, per Fecialem indicebatur bellum; per Caduceatorem verò pax.

apud { Romanos, ſoli mares,
Amazones, ſolæ fœminæ [bellum gerebant.
Scythas, mares, & fœminæ }

CONVENIENTIÙS omnibus, Romani bellum gerebant. Licet enim *Mars*, videatur dici quaſi *mors*;

quòd in bello plurimi Morte decidant; dicitur tamen aptiùs quaſi *Mas*; quia Mares *manu*, & *arte* (quibus victoria comparatur) Fœminis præpollent. Vnde fœminæ potiùs videntur impedimenta belli, quàm Milites.

BELLVM eſt, *vel*

1. PRIVATVM, quod eſt duorum *Bellum* ex condicto, authoritate priuatâ ſuſceptum. Græcis eſt μονομαχία, ſingulare certamen; *quia* in eo ſinguli, contra ſingulos pugnant.

2. PVBLICVM, quod ſuſcipitur authoritate publicâ, publici boni gratiâ. Hæcque fit inter

a. *Paucos* exercituum (v. g. pugna quæ interceſſit Horatios, inter & Curiacios) *vt ſcilicet parcatur ſanguini multitudinis.*

b. *Hoſtiles* exercitus. *Hocque* eſt, *vel*

α. Defenſiuum, quo repelluntur hoſtium incurſus.

β. Aggreſſiuum, quo impetitur hoſtis, iuſtitiæ contemptor.

ITEM eſt, *vel*

EXTERNVM, *ſeu* hoſtile, quo hoſtis vi armorum, aut repellitur, & impetitur.

INTERNVM, *ſeu* ciuile, quo ciues inter ſe, *vel* aduersùs Magiſtratus, vi armorum pugnant. Illud eſt *Factio*; hoc eſt *Seditio.*

AD Militare præſidium, præſertim idonei ſunt *Nobiles*. Quapropter hic agimus.

DE NOBILITATE.

NOBILIS, dicitur quaſi *notus* in *bello*; hinc enſem geſtat. Nobilitas, eſt generis claritas; quia notos, & claros facit, præſertim ob præclara

2. ARISTOCRATIÀ, eſt *Senatus*, ſeu ſenum ſapientiâ excellentium cœtus. Iique *Optimates*, quia optimæ *ſunt* ætatis, appellantur.

3. MONARCHIÀ, vocatur *Rex*; Monarcha *Ægypti*, Pharao; *Cæſar* Romanorum; *Mithridates*, Ponti; *Abimelech*, Philiſtinorum; *Hiram*, Tyri; *Anthiochus*, Syriæ; *Agag*, Amalecitarum; *Gog*, terræ Magog; *Sultani*, Saracenorum; &c.

IS, vt præſit, & proſit, ita imperet populo, vt obtemperet Deo, ſeruire quippe Deo regnare eſt, Deumque honoret, ſubditos non oneret; eſt enim & *pater*, & *paſtor* Populi. Vnde *illud*

— *tu ſceptra, Iouemque conſilia.*

Quàpropter dicitur AVGVSTVS, quod populi opes; virtutem, & tranquillitatem augere debeat.

CONSILIVM eſt inquiſitio rationis de rebus agendis; cum autem res agendæ ſint ſingulares; ideoque & incertæ, & parùm notæ; igitur *Ratio* de iis non debet ferre judicium ſine inquiſitione: hæc autem ab vno accuratè nequit fieri; idcirco eget plurium cœtu: at cum res quæ ad Remp. ſpectant ſint prætereà magni ponderis, & cum æquitate debeant diſpenſari. Quamobrem ad conſilium plures requiruntur, qui & experientiâ, tum eruditione, morumque integritate cæteris præpolleant.

DE LEGIBVS.

LEX, quæ eſt recti præceptio, & praui prohibitio, *dicitur* A

1. LEGENDO, quòd videlicet publicè legenda, & intelligenda proponatur.

Digitized by Google

2. Ligando, quòd obliget, & liget; eſt enim vinculum ſocietatis.

3. Delectv, quòd in eâ aliquid agendum, vel fugiendum eligatur.

Græcè νόμος, ἀπὸ τοῦ νέμειν, quòd eſt tribuere; quia *tribuit ſuum cuique.*

DEFINITVR, ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo qui curam habet communitatis lata, & auctoritate publicâ promulgata.

Ordinatio rationis; quod enim lege ordinatur, & præcipitur, debet eſſe conueniens rectæ rationi; nihil enim inhoneſtum cadit ſub præceptum legis. Nam quod non eſt publici boni gratiâ, ſeu *ad commune bonum*; non eſt *Lex*, ſed *Iniquitas.*

Ab eo qui curam habet communitatis, ſeu *Adminiſtratore* Reip. quia cum ſit ad commune bonum, debet eſſe à perſonâ bono communi præpoſitâ; hinc differt à conſilio.

Auctoritate publicâ promulgata; promulgatio quippe eſt legis applicatio: at *Lex*, cum ſit morum *regula* debet ijs applicari: at applicatio eiuſmodi fit ipſius legis cognitione.

Promvlgatio, eſt publica legis declaratio.

MOSES; Hebræis; *Zoroaſtes*, Perſis; *Minos*, item & *Triſmegiſtus*, Ægyptiis; *Solon*, Athenienſibus; *Phoroneus*, Argiuis; *Minos*, & *Rhadamantus*, Cretenſibus; *Licurgus*, Lacedemoniis; *Zamolxis*, *Getis*; *Charondas*, Turciis; *Tzinſiſcanis*, Scythis; *Numa*, *Pompilius*, Romanis, Leges ſanciuere.

LEX habet diuinum quid. *Vnde* Legum Conditores *Diuino Numine* credebantur afflari. *Vide* conſtat *Moſem*, à Deo immediatè ſuas leges accepiſſe. Minos apud Ægyptios, à *Mercurio*; Minos apud *Cretenſes*, à *Ioue*; Licurgus, ab *Apolline*;

H iiij

Zamolxis, à *Veſtâ*; Numa Pompilius, à *Deâ Ægeriâ*, LEGES, quas condiderunt didiciſſe exiſtimati fuerunt.

LEX, eſt *Mos* ſcriptus; MOS, *Lex* non ſcripta; quæ enim Naturâ, vel Conſuetudine, Iura fuerant comprobata, poſteà *Legum* Metu fuerunt ſancita.

ROMANIS, olim LEX erat conſtitutio Populi, quam maiores natu cum plebe ſanciebant. Lex ijs erat, *vel*

1. CONSVLARIS, quæ, ſcilicet, à Populo, Senatorio Magiſtratu, veluti Conſule interrogante ferebatur.

2. TRIBVNITIA, quæ à Populo, plebeio Magiſtratu, veluti Tribuno interrogante inſtituebatur.

3. PLEBISCITVM, ſeu *Lex*, quæ à Plebe Tribuno interrogante edebatur. Item jus quod ſibi populus ſine auctoritate Patrum conſtituebat.

Edictum, eſt Lex, quam Monarcha edidit, atque conſtituit.

Principis placitum, eſt ordinatio principis, boni publici gratiâ. Hæc authoritas, apud Romanos, à Populo, ad Reges; tum illa, ad *Senatum* fuit tranſlata.

E Legibus, Senatuſconſultis, Plebiſcitis, Principum Placitis, *Conſtitutionibus* Prætorum, & Edilium; Prudentum *Reſponſis* exurgeret in Repub. (ſi obſeruarentur) mirabilis quædam *Harmonia* ad benè, beatèque viuendum.

FINIS Legis, eſt boni publici conſeruatio; vt ſcilicet nocendi licentia coërceatur, & ſecurè degat innocentia.

CAVSA Efficiens, is qui curam habet communitatis, dictante rectâ ratione, & publico bono exigente.

OBIECTVM, eſt quicquid juſtum, & æquum eſt.

CAVSA FORMALIS, eſt Honeſtas ſeruanda in reddendo cuique quod ſuum eſt.

LEX *rogatur*, dum fertur; *ſeu* dum populus eam ſuſcipit.

Abrogatur, cum tollitur; quia Populus rogatur vt veterem legem tollat.

Subrogatur, cum ei aliquid de nouo additur.

Obrogatur, cum aliquid ab ipsâ, de nouo detrahitur.

LEX è S. *Iſidoro*, eſt honeſta, juſta, ſecundùm naturam, & patriæ conſuetudinem; loco, temporique conueniens, neceſſaria, manifeſta, non captioſa, communi ciuium, non priuato commodo ſcripta.

LEX imperat *bonum*; permittit quod eſt *Indifferens*, vetat *Malum*, nè fiat, hocque perpetratum, puniri jubet.

IMPERIVM, *eſt* actus ordinantis, & mouentis ad agendum, cum intimatione.

MANDATVM, *eſt* expreſſa ſignificatio voluntatis, vt quid fiat.

PRÆCEPTVM; *eſt* intimatio voluntatis ſuperioris, inferiori, cum obligatione, vt juxta illud agat. Eſtque.

Affirmatiuum, quod ſcilicet præſcribit agere quod *Honeſtum* eſt, v. g. *Deum colito*, Non obligat ſemper, pro ſemper, vt aiunt. Huic opponitur *peccatum omiſſionis*.

Negatiuum, quod videlicet prohibet actionem, v. g. *non furtum facies*. Hocque obligat ſemper, pro ſemper. Huicque opponitur *peccatum commiſſionis*.

CONSILIVM, rem conſultoris arbitrio relinquit.

LEX eſt, *vel*

ÆTERNA, *ſeu* ratio diuinæ ſapientiæ prout eſt

directiua omnium actuum, & motionum, ad proprium cuiuſque finem.

Lex *Æterna*, eſt rei dirigendæ; Idea eſt rei faciendæ; illa includit voluntatem obligandi; hæc vt & *prouidentia* non item. *Prouidentia* res ſigillatim reſpicit, *Lex æterna*, non item.

Participata, quæ eſt à *lege æternâ* deriuata.

ITERVM lex, *eſt*

Scripta, *ſeu* ſcriptis mandata, v. g. Lex duodecim tabularum.

Non Scripta, quæ ſcriptis non eſt expreſſa, v. g. ea quæ traditione, vel conſuetudine vigebat, ante Moſem, inter populum Dei.

ITEM lex eſt, *vel*

1. Divina, quæ à Deo lata eſt; *putà* Moſaïca, & Euangelica.

2. Natvralis, quæ non lata, ſed nobiſcum nata eſt, & inſculpta cordibus noſtris. *Vid.* p. 25. *hui. tom.* De hâc egregiè S. Proſper l. de prouid. Dei, hos verſus cecinit.

Ite ipſi in veſtri penetralia cordis, *& intùs*
Inſciſos apices, ac ſcripta volumina legis
Inſpicite, & genitam vobiſcum agnoſcite lucem.

Et paulò poſt concludit.

Ergò omnes vnà in vitâ cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus quæ condita libris.

3. Hvmana, quæ ab hominibus lata eſt. *Hæcque* eſt, *vel*

a. *Eccleſiaſtica*, quæ à Conſiliis, Summis Pontificibus, & Epiſcopis ad regimen Eccleſiæ eſt lata.

b. *Ciuilis*, quæ ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, aut Rebuſpub. eſt ad vitæ fœlicitatem conſtituta.

DE ÆQVITATE.

ÆQVITAS, *eſt* Iuſtitia emendatrix legis, ob eius vniuerſalitatem deficientis. *Sic* opus fuit Æquitate quæ corrigeret legem à Lacedemoniis latam de puniendis iis, qui relicto clypeo in bello fugerent, dum videlicet olim ferè omnes Lacedemonij Milites, relicto clypeo, in fugam conuerſi fuiſſent.

ITEM eſt ſinceritas rectæ rationis, quâ leges, ſcriptum, factum, dictumue, bonâ fide interpretamur, & ſeruato jure emendamus.

BONA *Fides*, eſt ſincera prudentiæ ſimplicitas cum dilectione juſtitiæ, & odio iniquitatis. Huic opponitur.

Fraus, dolus, callidum conſilium, tergiuerſatio, item ignorantia culpabilis. Vnde illud

Μὴ συκοφαντία, ἀλλ ἐκ κάλης πίςεως.

Emptor malâ fide poſſidet id, quod emit à pupillo, ſine tutoris auctoritate; ſic judex malâ fide judicat; qui ex ignorantiâ, iniquum fert judicium; non enim decreuit quod debuit.

CAVSA FINALIS *Æquitatis*, eſt injuriæ fuga, juriſque ex æquo & bono, ad Reip. fœlicitatem, integritas.

ÆQVVM, & *Bonum*, eſt Ius non ſcripto, ſed ratione; non carthâ, ſed corde impreſſum, & in caſu particulari procurandum.

EFFICIENS, ſincera viri prudentis conſcientia.

EXEMPLAR, *eſt* Diuinæ æquitatis ratio.

FORMALIS, *eſt* æqua juris conceſſio è factorum, dictorum, & incidentium circunſtantiarum inter ſe collatione.

MATERIALIS circa quam, eſt id de quo agitur; putà res, perſona, dictum, vel factum. *Seu* Ius Diuinum, & humanum æquiter procurandum.

INIQVITAS, *dicitur* quæuis malitia. Hìc eſt violatio æquitatis.

Iuſtus, eſt qui jus ſeruat; *Æquus*, qui æquitatem colit: *Iniquus* autem, *eſt* is qui è judicij peruerſitate, datâ operâ eligit malum pro bono; & bonum pro malo.

TALIO, eſt adæquatio ſupplicii cum crimine. Eſtque vel

Arithmetica, quâ quis tantùm patitur, quantùm malè egit; tantùm reſtituat, quantùm abſtulit; v. g. dentem, pro dente,

Moralis, commenſuratio pœnæ cum culpâ, habitâ ratione circunſtantiarum.

DE DOMINIO.

DOMINIVM Iuriſperitis, eſt Ius de re corporali, perfectè diſponendi, vel vindicandi pro arbitrio, niſi Lex, vel Conuentio prohibeat.

PHILOSOPHIS, *eſt* Ius diſponendi de re aliquâ, ſine alterius injuriâ.

IVS, *hìc* eſt legitima poteſtas.

LEGITIMVM, eſt quid conformè legibus.

DOMINIVM, *vel* habetur A

1. NATVRÂ, v. g. Dominium hominis in ſuos actus.

Digitized by Google

2. Ivre *Gentium*, idque vel

a. *Occupatione*; v. g. dum quis venit in vacua, *putà* in terras à nullo poſſeſſas.

b. *Inuentione*, dum res inuenit, quarum Dominum dignoſcere non poteſt.

c. *Poſtliminio*, hoc autem eſt Ius rei amiſſæ vindicandæ, & ab extraneo recuperandæ, & in priſtinum ſtatum reſtituendæ. Seu Ius rei perditæ, & vt ita dicam alienatæ, cum ad hoſtes peruenerit, quæ veluti tunc è ſuo limine exierat; vnde cum à nobis recuperatur, tunc ad idem limen, poſtliminio rediiſſe videtur.

3. Ivre *Ciuili*; *putà* Vſucapione. *Vſucapere*, eſt poſſeſſione rei, rem ipſam acquirere.

DOMINIVM eſt, *vel*

1. Ivrisdictionis, quod ſcilicet habet perſona publica in hominum ſocietatem quam dirigit. Hocque reſpicit bonum ſubditorum non Domini.

2. Proprietatis, quod habet Dominus in bonum de quo ad libitum ſine alterius iniuriâ diſponere poteſt. Hocque ſpectat ſolam Domini vtilitatem.

DE IVDICE.

IVDEX *eſt* legum interpres, & diſpenſator, dirimendis ciuium contentionibus præfectus. Hic, ſi benè ſit affectus, eſt legum oraculum.

IN eo debet eſſe *Legum Peritia*; ne decipiatur; *vitæ integritas*, nè fides eius ſpe, vel metu corrumpatur; *decernendi authoritas*, vt legitimè præponatur Iuri, cuique reddendo, & vt quæ ab ipſo fuerint decreta, mandentur executioni. *Sit* ſurdus ad

quòd in bello plurimi Morte decidant; dicitur tamen aptiùs quaſi *Mas*; quia Mares *manu*, & *arte* (quibus victoriâ comparatur) Fœminis præpollent. Vnde fœminæ potiùs videntur impedimenta belli, quàm Milites.

BELLVM eſt, *vel*

1. Privatvm, quod eſt duorum *Bellum* ex condicto, authoritate priuatâ ſuſceptum. Græcis eſt *μονομάχια*, ſingulare certamen; *quia* in eo ſinguli, contra ſingulos pugnant.

2. Pvblicvm, quod ſuſcipitur authoritate publicâ, publici boni gratiâ. Hæcque fit inter

a. *Paucos* exercituum (v. g. pugna quæ interceſſit Horatios, inter & Curiacios) *vt ſcilicet parcatur ſanguini multitudinis.*

b. *Hoſtiles* exercitus. *Hocque* eſt, *vel*

α. Defenſiuum, quo repelluntur hoſtium incurſus.

β. Aggreſſiuum, quo impetitur hoſtis, iuſtitiæ contemptor.

ITEM eſt, *vel*

Externvm, *ſeu* hoſtile, quo hoſtis vi armorum, aut repellitur, & impetitur.

Internvm, *ſeu* ciuile, quo ciues inter ſe, *vel* aduersùs Magiſtratus, vi armorum pugnant. Illud eſt *Factio*; hoc eſt *Seditio*.

AD Militare præſidium, præſertim idonei ſunt *Nobiles*. Quapropter hic agimus.

DE NOBILITATE.

NOBILIS, dicitur quaſi *notus* in *bello*; hinc enſem geſtat. Nobilitas, eſt generis claritas; quia notos, & claros facit, præſertim ob præclara

Digitized by Google

belli facinora. DICITVR claritas generis, & excellentia virtutis ad actiones præſertim publicas.

DEFINITVR, vis generis ad actiones præſertim publicas, à parentibus accepta, & in poſteros tranſmittenda, *Hinc illud* Lyrici.

Fortes creantur fortibus, & bonis.

NOBILE, *dicitur* generoſum; quia à ſuo genere non deſciuit.

OBSCVRA eſt *Nobilitas generis*, ſine Virtutis *ſplendore*; clara eſt *excellentia* Virtutis abſque *generis* Decore. Nobiles naſci, eſt *Naturæ*; fieri verò eſt *Virtutis*; natiuitas *animum*, nobilitatem verò *virtus* deriuat. *Hinc illud*

Ἀνὴρ ἄριστος οὐκ ἂν εἴη δυσγενής.

Vir optimus nuſquam eſt ignobilis. Quapropter eleganter canit poëta

— non cenſus, nec clarum nomen auorum;
Sed probitas magnos, ingeniumque facit.

NON quæras igitur *vbi*, aut *quibus*; ſed *qualis* ſis genitus. *Quamobrem egregiè canit poëta*

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodò tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſcas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

NOBILES, immunes exiſtimantur. Quia nullum *Vectigal* pendent, obeundiſque muneribus vacant.

IMMVNITAS, eſt *Priuilegium*, ſeu remiſſio à Iure ad pendendum *Vectigal*, vel ſubeunda munera, oneraque publica.

NOBILITATIS Excellentia eſt *vitæ integritas*; ſiquidem per hanc peculiari ratione, *genus Dei ſumus*; ſicque propiùs accedimus ad eum, à quo omnis naturæ nobilitas, & præſtantia deriuatur; cum ipſe ſit ſubſiſtens perfectionis excellentia.

DE

DE RELIGIONE.

RELIGIO, *eſt* virtus quâ Deo ſummus exhibetur cultus in agnitionem ſupremæ illius maieſtatis, & excellentiæ.

A Philoſopho dicitur, cogniti numinis publica veneratio certis deuincta ritibus.

Religionis vt & amore virtutis, viri boni, ad actiones ſtudioſas incitantur, *praui*, religionis terrore, vt & formidine pœnæ, à vitiis deterrentur.

NON minùs homo eſt *Religionis* amans quàm *Societatis*; hæc enim ſine illâ fœliciter ſtare vllatenùs non poteſt; eſt enim *ſpiritale vinculum animorum.* Hinc *illud* Senecæ

— vbi non eſt pudor
Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides,
Inſtabile regnum eſt.

RELIGIONIS actus, ſunt *interni*, vel *externi*; homo quippe conſtat animâ, & corpore, quibus debet *Deo Opt. Max.* cultum exhibere.

ACTVS INTERNI *ſunt*

1. DEVOTIO, ſeu virtus, quâ prompta eſt voluntas exequi quæ ad Dei cultum conducunt.

2. ORATIO, quæ eſt familiare colloquium cum Deo. Item eſt petitio decentium à Deo. *Seu* mentis eleuatio quâ poſtulamus concedi bona quæ in nobis vult eminere.

ACTVS EXTERNI *ſunt*

1. ADORATIO, *ſeu* actus religionis, quo Deum, interiùs, exteriùſque, vt ſupremum omnium Dominum veneramur, noſque coram ipſo quaſi nihilum reputamus.

Sacrificare, eſt quaſi ſacra facere.

2. SACRIFICIVM, eſt actus religionis, quo quis offert,

Digitized by Google

& conſecrat res Deo vt primo principio,& vltimo fini

3. Oblatio, eſt actus quo quid Deo offertur, v. g. primitiæ.

4. Votvm, eſt actus religionis quo adultus, bonum in ſuâ poteſtate ſitum, Deo ſponte promittit.

5. Ivramentvm, eſt actus religionis quo quis Dei teſtimonium ad rei certæ neceſſariam confirmationem inuocat.

6. Adivratio, eſt actus religionis quo creatura Diuini nominis interpoſitione ad aliquid hortatur.

7. Lavs, ſeu hymnus; eſt actus religionis, quo Diuinum nomen publico cantu exaltamus.

Idololatria, eſt idolorum ſeruitus, quâ cultus Deo debitus exhibetur creaturæ.

Impietas, hic eſt vitium, quo Deus, Deique cultus ſpernitur.

Svperstitio, eſt vitium, quo vera Dei veneratio corrumpitur, religioniſque cultus deprauatur.

EPILOGVS.

DEVS vnus, vult vnâ religione venerari; vna quippe via eſt quæ ducit ad veritatem. Vnica igitur eſt vera Religio; eaque ſcilicet,quæ ſe verè vnicam eſſe profitetur; rectum enim eſt regula ſui, & obliqui: hæc autem eſt Romana Religio: cuius capitis cenſuræ,mea ſcripta lubens ſubjicio; etenim hoc, eſt petra ſupra quam *Chriſtus Dominus*,qui eſt ipſa *veritas*,ſuam fundauit *Eccleſiam*: hæc verò eſt *columna*, & *firmamentum Veritatis,aduerſus quam porta inferi non preualebunt.* Quamobrem ipsi

SIT AB OMNIBVS VBIQVE
FIDELIS, ET PERENNIS
Observantia.



INTRODVCTIO
IN VNIVERSAM LOGICAM.
PRÆFATIO.

NON MINVS *Logicæ*, quàm *Metaphyſicæ* Inſtitutio, ad ſcientias perfectè comparandas eſt ſummè neceſſaria; quia ſicut illa, omnes diſciplinas vniuerſaliſſimorum terminorum, tum etiam principiorum expoſitione fulcit, certitudine firmat; & claritate illuſtrat; ſimiliter eas *Logica*, ſuis benè diſſerendi regulis dirigit, & ordinat, iiſque formam ſubminiſtrat. Vnde hæc à *diuino philoſopho*, Meta-

phyſica nuncupatur; quia ſicut *hæc*, generatim res omnes, vt in ſe ſunt, contemplatur; ſic *Logica*, eaſdem, vt prædicantur, conſiderat.

LOGICA, dicitur à nomine λόγος, *Ratio*, *Sermo*; quòd ſit ſcientia *ſermonis*, & *rationis* directiua.

Dicitur etiam, Dialectica, à διαλέγεσθαι, *diſputare*; quòd ipſa doceat modum probabiliter diſputandi in vtramque partem. Eſtque

1. NATVRALIS, id eſt, ſolers *Criterium* Veritatis, *v.g.* in viris ſagacibus; *vel* mediocre mentis lumen ad diſſerendum ſolius Naturæ ductu; *quale eſt in vulgo hominum*.

2. ACQVISITA, eſt facilitas benè diſſerendi vſu, & aſſuetudine parta, *Eſtque* vel

a. *Experimentalis*, *ſeu* peritia logica, & definitur facilitas diſſerendi vſu, & aſſuetudine parta non afferens cauſas rectitudinis, aut prauitatis ſermonum.

b. *Dogmatica*, quæ dicitur facilitas benè diſſerendi, vſu, & aſſuetudine parta. reddens cauſas cur recti, *vel* praui ſint ſermones; *hac autem*

DEFINITVR *Scientia*, & *Ars* operationum mentis per regulas benè diſſerendi, ad veritatis illuſtrationem directiua. *Eſtque* vel

1. DOCENS *Actualis*, *ſeu* cognitio, & explicatio præceptorum benè diſſerendi, *putà* in eo qui, *v. g.* explicat regulas legitimæ definitionis.

HABITVALIS, *ſeu* facilitas præcepta jucundè, promptè, & ordinatè explicandi; *qualis* eſt in dormiente Logico.

2. VTENS *Actualis*, *ſeu* idonea applicatio præceptorum benè diſſerendi; *putà* in eo qui, v. g. actu diſcurrit iuxta *regulas* Logicæ.

HABITVALIS, eſt permanens habilitas, eadem præcepta facilè, promptè iucundè, ordinatèque ap-

plicandi frequenti actuum exercitatione parta.

Diſſerere, ſeu *ſermocinari*, eſt apprehendere, proponere, diſcurrere, & ea inter ſe aptè ad ſciendum ordinare.

Sermo, ſeu *locutio*, eſt manifeſtatio cogitationis, ſeu rei cogitatæ.

LOQVI, in *Diuinis*, ſeu DICERE, eſt Verbum generare.

In creatis, eſt ſuam cogitationem manifeſtare; ſic angeli, angelos; & homines, ſeipſos alloquuntur.

Loqui propriè in homine, eſt proferre voce quòd mente conceperis.

In hâc *Locutione*, ſunt *Res concepta*, *mentis conceptio*, *verbum*, intentio manifeſtandæ cogitationis, & ſignum externum conceptûs manifeſtatiuum. Sic *v. g.* dum quis de Sole loquitur, eſt SOL *cognitus*, tum illius *repræſentatio* in mente, *ſeu* VERBVM *Solis* expreſſiuum, *ſeu* imago Solis repræſentatiua, necnon *Deſiderium* manifeſtantæ cogitationis. Denique SIGNVM externum putà vox illa (*Sol*) prodens illius *Cogitationem*.

QVAPROPTER nec Pſittacus proferens ſuum *χαῖρε*, nec qui *vocabula* recitat, quæ non intelligit; aut in eo, qui inter ſomniandum erumpit in *voces*, eſt propriè LOCVTIO; nam hic, ſuam *cogitationem* manifeſtare non intendit, illi verò non concipiunt quid dicunt.

HINC LOCVTIO, ſeu quæuis mentis operatio, *ſumitur*

☞ 1. VOCALITER, quæ *ore* profertur, & *aure* percipitur, v. g. hæc *Vox*, equus.

2. MENTALITER, idque *vel*

a. *Formaliter*, ſeu ipſa *Conceptio*; vt eſt *productio verbi mentalis*; putà ſpeciei repræſentatiuæ equi.

Digitized by Google

b. *Terminatiuè*, eſtque *Rei ſpecies expreſſa à mente*, v. g. ipſa imago equi.

3. Obiectivè, ſeu prout eſt mentis obiectum. Idque *vel*

a. *Primò intentionaliter*, ſeu ratione primæ intentionis.

b. *Secundò intentionaliter*, ſeu ratione ſecundæ intentionis. Vnde hìc nobis agendum.

DE SECVNDIS INTENTIONIBVS Logicis.

Intentio moraliter, eſt actio voluntatis ad finem tendentis; vel *conſilium*; ſeu mentis propoſitum, voluntatiſque ſtatutum. Hinc illud

Quicquid agant homines intentio judicat omnes.

Physicè *Intentio*, eſt perfectio graduum qualitatis.

Logicè *Intentio*, eſt quæuis cognitio, ſic dicta quia eſt veluti *tendentia facultatis cognoſcentis in obiectum*, iuxta illud

Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.

Intentio tamen *Logicis*, ſtrictè eſt *ſola mentis operatio*, vt potè quæ ſit cognitionum potiſſima.

Dicitur quaſi *attentio*; quia ſolius eſt intellectus attendere, ſeu cognitionem ſuam reflexè cognoſcere.

Cognitio, ut plurimùm, transfertur ad obiectum cognitum; ſic res viſa *dicitur* Aſpectus; res imaginata, imaginatio; hinc legendo *Poëtas*, admirando, dicimus ô lepidam Poëtæ *Imaginationem*; id eſt ô *lepidǽ Imaginationis* obiectum.

Hinc intentio eſt, *vel*

1. Formalis (ſeu conceptus formalis) eſtque *Rei conceptio*, v. g. conceptio Solis.

2. Obiectiva, (ſeu conceptus obiectiuus) id eſt res concepta, putà Sol cognitus. Hæcque eſt *vel*

a. *Prima* intentio ſeu res cognita ſecundùm *eſſe* quod habet independenter à mente, vt dum homo *dicitur* bipes, veſtitus, pictus, &c.

b. *Secunda* intentio, ſeu res concepta ſecundùm formam ei dependenter à mente, cum aliquo fundamento aduenientem, v. g. dum animal dicitur genus, homo, *ſpecies*, Petrus, *indiuiduum*. Sicque homo ſumitur *ſecundò intentionaliter*; dum verò *dicitur* bipes, ſumitur *primò intentionaliter*.

Res cognita vt eſt in ſe independenter à mente, dicitur *prima intentio*; quia intendimus, primò cognoſcere res vt ſunt in ſe; res cognita ſecundùm eſſe quod habet à mente dicitur ſecunda *intentio*; quia poſtquam cognouimus eas vt in ſe ſunt, eaſdem volumus noſce prout ſunt in *noſtro intellectu*.

Indoctè nomina ſecundæ impoſitionis confunduntur cum ſecundis intentionibus; hæ enim cum rationis fundamento rebus, imponuntur; Petrus enim nequit eſſe *Species*, nec homo poteſt eſſe *Indiuiduum*: illa verò ex hominum arbitrio, vel ſaltem è leui fundamento. Vnde illa vox *homo*, quæ eſt tertiæ declinationis poterat eſſe ſecundæ, aut alterius.

DVPLEX præcipuè *ſermo* ſpectatur à *Logicâ*; putà

1. Interior, ſeu *Conceptio* rei nullo exteriori ſigno declarata, v. g. nuda *Solis* conceptio.

2. *Exterior*, ſeu *Conceptio* rei exteriori ſigno manifeſtata, putà *Voce*, *Geſtu*, *Picturâ*, *Scripturâ*.

VOX, eſt ad ſocietatis humanæ inter præſentes *ſolatium*; vinculum quippe ſocietatis eſt ratio & oratio.

Geſtus, eſt in defectum *Vocis*, vt patet in mutis; tum vbi ſilentium eſt obſeruandum.

Digitized by Google

Pictura, eſt vice *Scripturǽ*; vnde imagines in Eccleſiâ ſunt *Idiotarum*: libri; conducunt etiam, ad oblectamentum, ſenſibilioremque rei repræſentationem.

Scriptura, eſt ad memoriæ conſeruationem; res enim ne obliuione fugiant *literis* alligantur: ſunt & ad locutionem cum loco diſtantibus, & tempore abſentibus; ſic *Ariſtoteles* ſuis ſcriptis nobiſcum loquitur. Vnde eſt etiam ad ſcientiæ propagationem, juſtitiæ adminiſtrationem, &c.

Quadruplex erit Logicæ Tractatus, ſeu pars nempe.

apprehenſiua, enunciatiua, diſcurſiua, methodica,	in quâ agetur de	apprehenſione. enunciatione. diſcurſu. methodo.



TRACTATVS PRIMVS.

DE

PRIMA MENTIS OPERATIONE,

SIVE APPREHENSIONE.

APPREHENSIO, eſt ſimplex *mentis* intuitus, *dicitur* PRIMA *Mentis* OPERATIO; quia eſt *veluti* primus cognitionis gradus.

DEFINITVR, notitia mentis expers affirmationis, & negationis. v. g. nuda Solis conceptio.

Appellatur TERMINVS, quia poteſt eſſe propoſitionis extremum.

Præcipuè eſt INTERIOR, *vel* EXTERIOR. Hicque præſertim eſt *Vocalis*, qui quia eſt omnium notiſſimus, & ex cuius explicatione *Interior*, ſeu *mentalis* facilè percipitur, tum quia cæteros includit, hìc à nobis explicatur. *Eſtque*

1. *Simplex*, ſeu *vna dictio*, v. g. homo.

2. *Complexus*, ſeu multæ voces inter ſe debitè ordinatæ; *Vocaturque Oratio*, v. g. *animal rationale*.

IN *Termino* ſimplici, vt & in ſermone exteriori, eſt *vox*, *cogitatio*, *res cogitata*. Hinc ſumitur *vocaliter*, *mentaliter*, *obiectiue*, *Terminus* quippe *vocalis* ſignificat *res*, & *noſtros conceptus*, v. g. hæc *Vox*,

Digitized by Google

equus, ſignificat enim *naturam equinam*, & *Conceptum* ipſius equi *repræſentatiuum*; *Voces* quippe, ſunt ſigna *conceptuum*, hi verò ſunt *imagines* rerum.

HINC *Terminus*, diuiditur ratione *Vocis*, *Cogitationis*, & *Rei ſignificatæ*.

DE
TERMINO RATIONE VOCIS.

TERMINVS eiuſmodi eſt, *vel*

1. PRIMÆ *Impoſitionis*, ſeu nomen *rei veræ*, v, g. *homo*; vel *ficta*, v. g. *chymæra*.

2. SECVNDÆ *Impoſitionis*, eſtque *nomen Nominis*, vel *Orationis*, v. g. *termini* ſermocinalium artium, putà

Grammaticæ, declinatio, caſus.
Poëticæ, dactylus, ſpondeus. [&c.
Rethoricæ, tropus, exordium,
Logicæ, genus, ſubiectum, medium.

DE
TERMINO RATIONE COGITATIONIS.

TERMINVS, *ſic* ſpectatus, eſt *vel*

{ *abſtractus* / *concretus* } { *communis.* / *non* communis. } { categorematicus. / ſyncategorematicus. / mixtus. }

DE
TERMINO ABSTRACTO,
ET CONCRETO.

TERMINVS *abſtractus*, eſt is qui ſignificat formam abſtractam, ſeu ſeorſim à quouis alio, eamque vel *realiter*.

1. *Separabilem*, v. g. *anima* reſpectu animati; *albedo*, reſpectu albi.

2. *Inſeparabilem*, v. g. *humanitas* reſpectu hominis. Hoc abſtractum *dicitur* Metaphyſicum; illud Phyſicum, dum præſertim ſignificat *Formam* corpori naturali propriam, v. g. anima, quantitas, &c.

TERMINVS CONCRETVS, eſt is qui ſignificat *Formam* concretam ſubiecto; hancque *vel* REALITER.

1. *Inſeparabilem*, v. g. *homo*, humanitatem. Hocque *vocatur* Metaphyſicum.

2. *Separabilem*, v. g. *animatum*, animam; *nigrum*, nigredinem.

Si forma ſit propria corpori naturali dicitur concretum Phyſicum, v. g. in allatis exemplis; ſi *forma* conueniat etiam ſpiritalibus, v. g. *intellectio* reſpectu intelligentis, poterit, & vocari concretum Metaphyſicum.

Concretum ſi FORMA ſit

1. *Intrinſeca*, exponitur per *habens*; ſic *album* dicitur *id quod habet albedinem*.

2. *Extrinſeca*, exponitur per *terminans*; ſic *amatum*, dicitur id quod terminat amorem; *Pictum*, quod per picturam repræſentatur; *ædificatum*, quod terminauit ædificationem.

Concretum, à quo *formâ* eſt ſeparabilis, præter *abſtractum*, includit *ſubiectum* realiter à *formâ* diſtinctum, *v. g.* album, quod præter parietem, v. g. includit, & albedinem ab ipſo realiter diſtinctam; *animatum*, præter animam, ſignificat corpus. *Intelligens*, præter intellectionem, intellectum; nempe in homine, vel Angelo.

Concretum, quod ſignificat *formam* inſeparabilem. In creatis connotat *ſubiectum* realiter à *formâ* indiſtinctum, *v. g.* homo, dum dicitur id quod habet humanitatem. Licet enim ſublatâ *humanitate*, nihil remaneat realiter in homine; nihilominus connotat aliquid inſtar ſubiecti; *homo* enim non eſt ipſa ſubſiſtens *humanitas*. *Deus* autem eſt ipſa ſubſiſtens diuinitas. *Sapiens* in Deo, eſt *ipſa ſapientia ſubſiſtens*. Vnde *concretum*, ab abſtracto in diuinis, à nobis non diſtinguitur; aut ſi diſtinguatur, id fit ſecundùm noſtrum imperfectum concipiendi modum.

Concretum, diſtinctè ſignificat *formam*; confusè, *ſubiectum*; v. g. *album*, diſtinctè ſignificat albedinem, confusè, verò, parietem, vel gypſum, &c.

Ad multiplicationem abſtractorum, non multiplicantur concreta; nam præter Formas connotant ſubiecta, v. g. album præter albedinem, deſignat Subiectum; ad multiplicitatem Paternitatum, non multiplicatur Pater. Vnde *ſi quis habeat duos Filios, eſt bis Pater, non duo Patres; qui callet duas artes, eſt bis artifex, non duo artifices.*

Si tamen *abſtractum* ſit tota rei natura, putà humanitas, ad multiplicitatem eiuſmodi abſtracti multiplicatur *concretum*, v. g. ad multiplicitatem *humanitatis*, multiplicatur *homo*.

ABSTRACTIO, eſt *vel*

1. *Realis, ſeu Phyſica*, quæ fit nemine cogitante,

v. g. ſeparatio animæ, à corpore.

2. *Rationis*, ſeu *Logica*, quæ fit per mentis operam; *hęcque* eſt, *vel*

a. Simplex, *quę* eſt expers affirmationis, & negationis; quæ eſt vel

α. Comparatiua, *quâ* noſcitur vnum per ordinem ad aliud; v. g. cognitio hominis per ordinem ad Petrum, & Paulum.

β. Merè Præciſiua, ſeu cognitio vnius purè ſeorſim ab alio; *v. g.* notitia humanitatis purè ſeorſim à Petro, & Paulo.

b. Complexa, *ſeu* negatiuą, quæ eſt negatio vnius de alio, v. g. cum negatur albedo de coruo.

ABSTRACTIO Simplex, eſt *vel*

1. *Confuſa*, quâ vnum non diſtinctè concipitur. *Seu* quæ diuerſa repræſentat in diuerſis, v. g. dum concipitur SANVM, *id quod ordinatè ſe habet* ad ſanitatem; nam in *animali* ſignificat ſubiectum ſanitatis; in *Pharmaco*, principium; in vrinâ verò, *ſignum* SANITATIS.

2. *Diſtincta*, quâ quid diſtinctè repræſentatur ſeorſim ab alio. *Seu* cuius definitio idem ſignificat in diuerſis, v. g. ANIMAL RATIONALE *Reſpectu* Petri, & Pauli; nam in Petro ſignificat *principium vitę*, *ſensûs*, *&* *rationis*; idemque prorsùs ſignificat, & in Paulo.

3. *Confuſiua*, quâ cognoſcitur *ſubiectum* confusè cum *formâ*, v. g. homo; *vel* album ſecundùm ſe. *Homo* enim hoc pacto ſignificat id quod habet *humanitatem*; album verò *id quod habet* albedinem: at *id quod habet* eſt ſubiectum, *humanitas*, verò, vt & *albedo*, eſt forma.

☞ ABSTRAHI, *eſt* vnum concipi ſine alio, v. g. *hominem*, ſine Petro & Paulo; *album*, ſine *albedine*.

Digitized by Google

☞ INCLVDI, eſt vnum non poſſe concipi ſine alio, v. g. *homo*, ſine animalitate; *album* ſine albedine.

ι *Abſtrahentium* non eſt *Mendacium*; nam *mentiri* hìc, eſt dicere rem aliter quàm ſit: *at* id eſt affirmare, *vel* negare. *Abſtractio* autem ſimplex expers eſt affirmationis, & negationis.

DE

TERMINO CATEGOREMATICO, &c.

TERMINVS CATEGOREMATICVS. *Sic dicitur quia* poteſt eſſe *Categorema*, ſeu per ſe attribui.

Definitur, is qui ex ſe aliquid ſignificat, *v.g.* homo.

SYNCATEGOREMATICVS *definitur*, is qui de ſe nihil ſignificat, v. g. omnis, nullus, vtinam, videlicet, &c.

MIXTVS, *eſt* is qui ex *categoremate*, & *ſyncategoremate* conſtat, v. g. *nemo*, id eſt *nullus homo*; ſic *neuter*, & *nullus amborum*, &c.

DE

TERMINO COMMVNI,

ET NON COMMVNI.

TERMINVS non communis, eſt is qui de pluribus dici non poteſt, eſtque, *vel*

1. *Particularis*, qui de vno tantùm dici poteſt, ſed indeterminatè, v. g. *aliquis homo*; aliquod animal.

2. *Singularis*, qui clarè, & diſtinctè ſignificat rem pluribus incommunicabilem, v. g. *Gabriel*, Petrus, *Bucephalus*, hic lapis. *Diciturque vel*

a. *Per Antonomaſiam*, ſeu *excellentiam*, v.g. Philoſophus, qui Ariſtotelem ſignificat.

b. *Ex demonſtratione*, v. g. hic Philoſophus.

c. *Ex circunlocutione*, ſeu *periphraſi*, v. g. *Licęi princeps*.

d. *Ex hominum impoſitione*, v. g. *Ariſtoteles*.

TERMINVS COMMVNIS, eſt is qui de pluribus dici poteſt. *Eſtque vel*

COMMVNIS *indiuiſim*, qui dicitur de re indiuiſâ, v. g. Deus,de *Patre*, & *Verbo*; nec enim in iis eſt diuerſa, aut diuiſa *Diuinitas*.

Vnde eiuſmodi terminus, dicitur in ſingulari de quolibet, non in plurali de pluribus; *dicitur* enim *Pater* eſt Deus, *Verbum* eſt Deus; item & *Spiritus Sanctus*; non autem *Pater*, *Verbum*, & *Spiritus Sanctus*, ſunt Dij, ſed Deus.

2. COMMVNIS *diuiſim*, eſt is qui *dicitur* de multis diuiſis, v g. *homo*, de Petro & Paulo.

Hinc Terminus eiuſmodi prædicatur in ſingulari, de quolibet, & in plurali, de pluribus; dicitur enim Petrus eſt homo, Paulus eſt homo; Petrus, & Paulus ſunt homines.

TERMINVS COMMVNIS *diuiſim*, eſt *vel*

1. *Vniuocus*, qui *dicitur* de multis in eâdem planè ſignificatione, v. g. *homo*, de Petro & Paulo, &c. dicitur enim Petrus eſt *homo*, Paulus, eſt *homo*; & *homo*, in Petro,& Paulo, & aliis ſignificat *animalitatem*, & *rationalitatem*, ſeu principium vitæ ſenſûs, & ratiocinij, *ſeu* differendi dependenter à ſenſibus.

2. *Analogus*, qui dicitur de multis partim in eâ-

dem partim in diuerſâ ſignificatione; v. g. SANVM, reſpectu *Vrinæ*, *Pharmaci*, & *Animalis*.

3. *Æquiuocus*, qui *dicitur* de multis in diuerſâ planè ſignificatione, v. g. canis reſpectu *ſyderis*, & *animalis*.

4. *Denominatiuus*, qui differt *Caſu*, ſeu *termin-tione* à denominante, v. g. *Grammaticus* reſpectu Grammaticæ; nam hæc terminatur in -â, ille in -us.

Vniuoca ſunt, *vel*

1. *Vniuocantia*, ſeu termini multis communes in eâdem prorsùs ratione, v. g. *homo* reſpectu Petri, & Pauli,

2. *Vniuocata*, ſunt res quibus nomen eſt commune, & definitio nomini reſpondens planè eadem, v. g. Petrus & Paulus reſpectu *hominis*

ITERVM ſunt, *vel*

1. *Eſſentialia*, quæ habent idem nomen, & rationem nomine communi ſignificatam eſſentialiter eandem, v. g. *Petrus*, & *Paulus*, reſpectu hominis; nam Petrus, vt & Paulus *dicitur* homo, & hominis definitio eſt *definitio* Petri, tum Pauli.

2. *Accidentaria*, ſunt ea quæ habent idem nomen, & rationem nomine communi ſignificatam accidentariò eandem, v. g. nix, & lac reſpectu *albi*; nam *album* in lacte ſignificat *diſgregatiuum* visûs, *item* in niue: at eſſe *diſgregatiuum* visûs, neutri eſſentialiter conuenit.

ANALOGA, *dicuntur* quæ habent inter ſe *Analogiam*, ſeu proportionem.

PROPORTIO, eſt duplicata *Ratio*.

RATIO, hìc propriè eſt duarum quantitatum eiuſdem generis ſecundùm quantitatem habitudo; qualis eſt *ordo* ternarij, ad ſenarium, vt *dimidij* ad *duplum*; nam *ternarius* eſt de genere quantitatis diſcretæ,

ſicut & *ſenarius*, & ratione *quantitatis* inter ſe conferuntur.

Non eſt RATIO *trabis* ad *ſenarium*; non ſunt enim eiuſdem generis; nam *trabs* eſt ſubſtantia, *terna rius*, eſt quantitas.

Nec *ternarij* ad *extenſionem* trabis; ſiquidem *extenſio* eſt de genere *quantitatis* continuæ; *ternarius* verò eſt de genere *quantitatis* diſcretæ.

Non eſt RATIO *ſuperficiei*, ad aliam *ſuperficiem albam* ſpectatam ſecundùm *albedinem*; etenim non ſecundùm *quantitatem* conſideratur.

IN RATIONE *duo* ſunt tantùm *termini*.

IN PROPORTIONE verò *quatuor*; eſt enim *duplicata ratio*; putà *hac*, ſe habet *quaternarius* ad octonarium, vt *ternarius* ad ſenarium.

PROPORTIO eſt, vel

a. *Geometrica*, in quâ ſeruatur *ſimilis exceſſus*, ſicut videtur in præcedente analogiâ.

b. *Arithmetica*, in quâ ſeruatur *idem exceſſus*, v. g. analogia quinarii ad quaternarium, vt decennarii ad nouenarium; ſicut enim *quinarius*, quaternarium, vnitate ſuperat; ſic & *decennarius*, nouenarium, vnicâ vnitate, ſuperat.

ANALOGIA etiam, *dicitur* Metaphoricè, de quibuſuis entibus; ſic enim dicitur ſe habet *penna* ad Aues; vt *pinnâ* ad Piſces.

ANALOGA ſunt, *vel*

ANALOGANTIA, *ſeu* voces multis communes partim in eâdem, partim in diuerſâ ſignificatione, v. g. *Sanum* reſpectu *Pharmaci*, *vrinæ*, & *animalis*.

ANALOGATA, *ſunt* ea quorum nomen eſt commune, & ratio nomini communi accomodata, partim eadem, partim diuerſa.

ALIAQVE ſunt, *vel*

1. *Attributionis*, quorum nomen eſt commune, & ratio nomini reſpondens ſecundùm terminum eadem, & ſecundùm habitudinem ad terminum, diuerſa, v. g. *vrina*, *pharmacum*, & *animal* reſpectu ſani, nam vnumquodque ex illis tendit ad SANITATEM: at diuerſimodè; *Vrina* enim reſpicit; Sanitatem vt illius *ſignum*; *pharmacum*, vt *cauſa*, Animal, vt *ſubiectum*.

2. *Proportionis*, quorum nomen eſt commune ob *Similitudinem* ad varios terminos, v. g. PES reſpectu *infimæ partis montis*, *cathedræ*, & *animalis*.

IN ANALOGIS *Attributionis*, eſt idem TERMINVS, & *variæ* ad ipſum *habitudines*; ſic reſpectu *ſani*, eſt idem *terminus*, putà *Sanitas*, & *varia* ad ipſam *habitudines*; v. g. in animali, eſt *habitudo* ſubjecti, in vrinâ, *ratio* ſigni, in pharmaco, *ordo* cauſæ *Sanitatis*.

ANALOGA *Attributionis* ſunt, *vel* ab VNO, v. g. *Fabrilia*, ab arte fabrili, *vel* ad VNVM, v. g. *Fabrilia*, ad Fabrum.

IN ANALOGIS *Proportionis*, ſunt *Varij* TERMINI, *Eadem* HABITVDO; v. g. *Suſtinere*, reſpectu PEDIS, ad *infimam partem* hominis, montis, & cathedræ. Etenim *infima pars* hominis, hominem; montis, montem; cathedræ, cathedram *ſuſtinet*.

NEC plura ſunt analoga, nec pauciora; quia in ijs vel *Vnus* TERMINVS diuerſimodè ſpectatur, vel diuerſi TERMINI *eodem modo* reſpiciuntur: *hæc* ſunt analoga proportionis, *illa* verò, attributionis.

ANALOGA *inæqualitatis*, quorum nomen eſt commune, ratio nomini reſpondens eadem ob differentias eſſentiales diuerſimodè participatas, ſunt *analoga* quoad nomen, quoad rem autem ſunt *vniuoca*; v. g. *animal*, reſpectu hominis, & belluæ.

Analogum ſimpliciter *prolatum*, ſupponit *pro* præcipuo analogato.

Præcipuum analogatum, in analogis *attributionis*, eſt *illud* ad quod cætera tendunt; v. g. *animal* reſpectu SANI.

In analogis proportionis, eſt *illud* à quo cætera nomen ſortiuntur, v. g. *infima pars animalis* reſpectu cuiuſlibet pedis; organum viſûs, reſpectu cuiuſuis oculi.

In analogis attributionis *forma*, eſt intrinſeca *ſoli pracipuo analogato*, cæteris extrinſeca, v. g. *ſanitas* intrinſeca ſoli animali; pharmaco extrinſeca; eſt enim legitima *primarum* qualitatum temperies ad facilè, & promptè operationes vitales eliciendas: at hæc eſt intrinſeca ſoli animali.

IN *Analogis proportionis*, FORMA eſt omnibus *intrinſeca*, v. g. DIRIGERE reſpectu *viſûs*, *intellectûs*, *prudentiæ*; nam *Viſus* intrinſecè corpus, *Intellectus*, animam rationalem, & *Prudentia* intrinſecè virtutes *dirigit*.

ÆQVIVOCA, *ſunt*

1. *Æquiuocantia*, ſeu voces communes multis in diuerſâ planè ſignificatione, v. g. *Taurus*, reſpectu ſigni *cæleſtis*, *montis*, & *animalis*; nam in *hoc* ſignificat animal mugitiuum, in *monte*, ſignificatur lapidea moles, in Meſopotamiâ ad Indiam vergens, in Signo demùm cœleſti, *conſtellatio* in Zodiaco, quam Sol menſe Aprili decurrit.

2. *Æquiuocata*, *ſunt* res ambiguo nomine ſignificatæ, v. g. aliquod ſignum Zodiaci, mons, & animal reſpectu *Tauri*.

ALIA ſunt à *Caſu*, v. g. Ius *reſpectu* iuſculi, debiti, & fori.

ALIA, à conſilio, vel è leuiori cauſâ, v. g.

Cæſar, vel è grauiori, & ſunt ANALOGA. *De quibus modò dixi.*

DENOMINATIVA, ſunt ea quæ ab aliquo *denominationem* ſic habent, vt caſu ſeu *terminatione* differant. Putà *fortis*, & *fortitudo*, nam *fortis* deſinit in -IS, *fortitudo* in -DO; ea dicuntur *coniugata.*

IN Denominatiuis, eſt *Subiectum*, & *forma denominans.* Vnde *denominatiuum* ſpectari poteſt ſecundùm ſe totum, *vel* ratione *ſubjecti*, vel ratione *formæ*; Putà *album* prout eſt aliquod conſtans è ſubiecto, & albedine, vel ratione ſubiecti, ſeu materialiter, putà parietis, vel ratione formæ, ſeu formaliter, putà reſpectu albedinis.

Omne denominatiuum diſtinctè ſignificat formam, confusè, ſubiectum, v. g. album diſtinctè ſignificat albedinem: confusè, parietem.

Omne *denominatiuum* propriè, *ſeu* paronymum, eſt *adiectiuum*; ſiquidem ſignificat formam alteri adjacentem; & ab ipſo realiter ſeparabilem, v. g. *album*. Vnde prædicari *paronymè*, eſt adiectiuè non reciprocè prædicari.

Sanctum, juſtum, &c. in Deo non eſt quid *Paronymum*; quia non ſignificat *formam* Deo *adjacentem*, niſi ſecundùm noſtrum imperfectum concipiendi modum; quo balbutiendo vt poſſumus excelſa Dei reſonamus.

Omne paronymum, eſt *concretum*; ſignificat enim formam concretam ſubiecto: at non viciſſim; nam *homo* eſt *terminus concretus*: at ſignificat formam realiter inſeparabilem, putà humanitatem.

GRAMMATICIS, quia ſolùm *voces* ſpectant

FORMA *Denominans* deducitur à *denominatiuo*, v.g. *fortitudo*, à *forti*; nam ipſis nomen *compoſitum* deriuatur à *ſimplici*: at *denominatiuum* putà fortis, eſt

ſimplicius formâ denominante, putà *fortitudo.*

Philoſophis, quia ſolas res ſpectant

Denominatiuum fit à *Formâ Denominante*, v. g. *Fortis* à *Fortitudine*; Fortitudo enim Fortem, non *Fortis*, *Fortitudinem* facit.

Terminus *communis vniuocus diuiſim*, dicitur *vniuerſale*. Quare hìc agendum.

DE
VNIVERSALIBVS.

VNIVERSALE, dicitur quaſi *vnum versùs alia*; quapropter in quolibet *vniuerſali*, eſt vnum *reſpiciens* multa. Eſtque *vel*

1. *Complexum*, ſeu oratio vniuerſalis, v. g. *animal rationale.*

2. *Simplex*, ſeu *vniuerſale* vnâ voce ſignificatum, quod eſt quintuplex, nempe In

a. *Cauſando*, ſeu *cauſa vniuerſalis*, quæ ſcilicet vna, multos effectus diuerſæ rationis poteſt producere, v. g. *Sol*, aurum, gemmas, æs, ſtannum, &c.

b. *Significando*, ſeu Signum Vniuerſale, quod cum ſit vnum multa ſignificare poteſt, v. g. illa *vox*, homo, Petrum, Paulum, &c.

Sanum, vel *Canis*; quia *vniuocè* non ſignificant; non ſunt *vniuerſalia* in ſignificando.

c. *Repræſentando*, *ſeu* Imago Vniuerſalis, quæ cum vna ſit multa repræſentare poteſt; v. g. imago hominis in mente, omnes homines indiſcriminatim exhibere poteſt.

Speculum, non eſt *vniuerſale in repræſentando*; quia non *formaliter*, ſed *efficienter*; ſicut & *intellectus*, imagines exhibet. Item *ſpeculum* res diuerſæ

rationis, ſingulariter, & ſecundùm apparentias merè externas exprimit. *Vniuerſale* verò *in repræſentando*, res in communi, & vniuocè inter ſe conuenientes, manifeſtat.

d. *Eſſendo, eſt* Eſſentia Vniuerſalis, *ſeu* quæ cum vna ſit multis ineſſe poteſt *vniuocè*, & *diuiſim*, v.g. *humanitas*, Petro & Paulo.

e. *Prædicando, eſt* attributum commune multis vniuocè, & diuiſim; v. g. homo reſpectu Petri, & Pauli.

Hoc dicitur *vniuerſale Logicum*, ſeu *prædicabile*; quia Logica ſpectat res vt poſſunt attribui, putà *Angelum*, vt poteſt dici de SS. Gabriële; Raphaële, &c. *Vniuerſale* autem *in eſſendo* vocatur *Vniuerſale Metaphyſicum*; quia ipſa ſpectat res vt ſunt; putà *Angelum*, vt eſt *ſubſtantia ſpiritalis*. Hîc vtrumque *Vniuerſale*, propter ſummam vtriuſque connexionem, & eruditionis claritatem exponemus.

VNIVERSALE in cauſando, *eſt* omnino primum; eſt enim cæterorum cauſa; *Vniuerſale in ſignificando*; prius eſt *vniuerſali in repræſentando*; eſt enim eo vniuerſalius; vt *ſignum*, imagine; omnis enim *imago* eſt ſignum; quia illa facultati cognoſcenti aliud à ſe repræſentat: at non omne *ſignum* eſt imago; hæc enim includit ſimilitudinem cum ſuo exemplari; illud verò non item reſpectu rei ſignificatæ. *Vniuerſale in eſſendo*, eſt prius vniuerſali in prædicando; priùs enim eſt aliquid alteri ineſſe, quàm verè de ipſo poſſit prædicari; priùs enim eſt parietem eſſe *album*, quàm verè poſſit dici *albus*.

ITEM vniuerſale *eſt*, vel

1. *Platonicorum*, ſeu Idea æterna, ingenerabilis, incorruptibilis, ſingularium cauſa efficiens, & exem-

plaris, ad cuius ſimilitudinem ſingula efficerentur; vt à ſigillo, variæ in cerâ figuræ. Putà homo vniuerſim, Platoni erat Idea hominis ingenerabilis, incorruptibilis, ſingularium hominum cauſa efficiens, & exemplaris. Hinc ab ipſo appellabatur *ipſe homo*. Singulares autem homines, erant ſolùm quædam hominis participationes.

2. *Stoicorum*, *ſeu* conceptus plurium ſingularium inter ſe ſimilium promiſcuè repræſentatiuus. Putà homo vniuerſim, eſt imago hominis omnes ſingulares homines indiſcriminatim repræſentans.

3. *Nominalium*, eſtque vel *Vniuerſale*

a. *Naturale*, ſeu conceptus Stoicorum. Sic dictum; quia eiuſmodi conceptus, idem repræſentat apud omnes.

b. *Arbitrarium*, ſeu vox ex inſtituto ſignificans indiſcriminatim omnia ſingularia inter ſe ſimilia. & conceptum illorum repræſentatiuum. Sic Nominalibus *Homo uniuerſim*. eſt *imago* hominis in mente repræſentata, & *vox* illa homo, quæ omnes homines ſingulares exhibet indiſcriminatim.

4. *Peripateticorum*, *eſt* eſſentia apta ineſſe multis vniuocè, & diuiſim; v. g *humanitas*, Petro, & Paulo.

VNIVERSALE Platonicorum, eſt vniuerſale *ante multa*, *ſeu* ſingularia. *Idea* enim eſt ſingularium cauſa efficiens, & exemplaris. *Vniuerſale* Stoicorum, & Nominalium, eſt *vniuerſale poſt multa*; eſt enim *Conceptus*, eorum repræſentatiuus. & *vox*, eorum ſignificatiua: at tum *conceptus* (vt potè imago) tum *vox* (vt potè rei ſignum) eſt quid ipsâ poſterius. *Vniuerſale* Peripateticorum, eſt *in multis*; *eſſentia* quippe rei, eſt in ipſis ſingularibus; putà *humanitas*, in Petro, & Paulo.

Platonici, Stoici, & Nominales admittunt *Vniuerſale extra ſingularia*, negant verò *vniuerſale* quod ſit in multis, quale admittitur à Peripateticis. Platonici differunt à Stoicis, & Nominalibus; quòd illis *vniuerſale* ſit *ante*, his verò *poſt multa*; tum & à Peripateticis quibus *vniuerſale*, eſt in *multis*. Vniuerſale *ante multa*, exhibetur typo *ſigilli*; vniuerſale *in multis*, ipſius *ſigilli figuris* ceræ impreſſis; vniuerſale demum *poſt multa*, *familiâ*, quæ eiuſmodi *figurâ* ſignificatur.

Vniuerſale in *cauſando*, eſt Platonicorum; in *repræſentando*, eſt Stoicorum; in *ſignificando* eſt Nominalium; vniuerſale denique in eſſendo, & *prædicando*, eſt Peripateticorum, quod

☞ DEFINITVR vnum aptum ineſſe multis, & de ijs prædicari vniuocè & diuiſim. Putà *Humanitas*; eſt enim quid

Vnum, non *re*, ſed *conceptu*; non *indiuiſione*, ſed *conformitate*.

Aptum ineſſe multis; actu enim eſt in Petro, & Paulo.

Et de ijs Prædicari; prædicari enim ſequitur eſſe: at *humanitas* poteſt ineſſe multis; id enim non implicat contradictionem.

Ineſt vniuocè; ineſt enim eâdem ratione in Petro, & Paulo; *humanitas* enim in Petro eſt *animalitas*, & *rationalitas* ſeu principium *vitæ*, *ſensûs*, & *rationis*; item & in Paulo

Ineſt diuiſim; ineſt enim multis cum ſui multiplicatione, & diuiſione; etenim *Humanitas* multiplicatur in Petro, & Paulo; in iis enim *humanitas* eſt duplex, non vnica indiuiſione. Item & ſeparatur in Petro, & Paulo; cum *Humanitas* Petri ſeorſim exiſtat ab *humanitate* Pauli.

ITEM, Homo poteſt prædicari de multis *univocè*, ſeu ſecundùm idem nomen, & eandem rationem; nempe de Petro, & Paulo. De iis quoque poteſt prædicari *diviſim*; dicitur enim, Petrus eſt homo; Petrus & Paulus ſunt homines.

Canis, non eſt quid univerſale, reſpectu *cœleſtis*, *domeſtici* & *marini*; nec quodlibet *Æquivocum*; diverſas quippe naturas ſignificat.

Nec *Petrus*; quia nequit ineſſe multis.

Natura Solis, eſt vniverſalis; cùm poſſit ineſſe multis. Hinc *genus* poteſt conſervari in unicâ *Specie*, & *Species* in unico *Individuo*, cæteris poſſibilibus.

Sanum non eſt univerſale, reſpectu *Pharmaci*, *urinæ*, &c. De iis enim nequit univocè prædicari.

Natura Divina non eſt univerſalis in Patre, Verbo, & Spiritu Sancto; cùm iis non inſit *diviſim*.

Omne *Vniverſale* eſt *commune*, non viciſſim; nam eſſentia Divina eſt communis *Divinis Perſonis*: at eſt vniverſalis, cùm ſit eſſentialiter ſingularis.

MULTA, quæ *Vniverſale* reſpicit, ſunt INFERIORA, quibus *Genus* & *Species* poſſunt ineſſe: vel SUBJECTA, quibus differentia, proprium, & accidens commune poſſunt convenire.

Vniverſale, ineſt in *abſtracto*, & prædicatur in *concreto*; *ut patet ex hujus explicatione.*

Prædicta definitio, eſt Univerſalis in concreto, prout continet *univerſale*

1. MATERIALITER, ut eſt *natura communicabilis multis univocè, & diviſim.* Putà *equinitas*, Bucephalo, Sejano. Hinc *Petreitas*, cùm nequeat ineſſe multis; aut *ſanitas*; quia non univocè; vel Divinitas, quia diviſim non convenit, non ſunt univerſale materialiter.

2. FUNDAMENTALITER, ut eſt conformitas

ejuſmodi naturæ, v. g. convenientia equinitatis in Rebo, & Pegaſo; hæc enim eſt in iis eodem modo *principium vitæ*, *ſensûs* & *hinnitûs*.

3. Formaliter, ut eſt *univerſalitas* ipſa, *nempe* unitas, & aptitudo naturæ ut inſit multis univocè, & diviſim; *ſeu* unitas, aptitudo, univocatio, & diviſio naturæ communis; cùm ſint forma univerſalis; nam *unitas* eſt formaliter unum, & aptitudo, aptum, &c. ſicut albedo, eſt formaliter ipſum album.

Omne *individuum* eſt *particulare*, quià partem capit ſpeciei: at non viciſſim; homo enim eſt particulare animal, ipſum enim participat: at non eſt aliquod individuum; non eſt enim quid infimum.

Individuum, cum *ſingulari* non reciprocatur; nam anima S. Petri, eſt ſingularis, nec eſt *individuum*, non enim directè ſubjicitur ſpeciei infimæ; implicitè enim tantùm in categoriâ reponitur.

Deinde nullum *individuum* poteſt eſſe commune pluribus perſonis: aliquod *ſingulare*, putà Natura Divina, eſt ejuſmodi.

Individuatio, eſt primò per ſe ſingularis; v. g. Petreitas: *individuum* autem eſt formaliter ſingulare, v. g. Petrus.

GRADUS Metaphysici, ſunt perfectiones eſſentiales cujuſque individui; putà *genera*, *ſpecies*, *differentiæ*, v. g. animalitas, humanitas, *rationalitas*, Petreitas, reſpectu Petri.

Dicuntur Gradus, quia iis veluti gradibus aſcendimus ab individuis ad ſupremum genus, & ab hoc deſcendimus ad individua. Dicitur enim, *Petrus* eſt homo, &c. Tumque ſic deſcendimus, *ſubſtantia* eſt corporea, vel incorporea, &c.

Metaphysici, quia efficiunt compoſitionem (putà è genere, & differentiâ) quæ convenit rebus ab omni materiâ abſtractis. DE

DE
CAVSIS VNIVERSALIVM.

FINIS VNIVERSALIVM

1. *Ad mentem* Porphyrij, eſt *notitia Categoriarum Ariſtotelis*. Earum enim notitiæ gratiâ *Iſagogen* ſuam inſtituit.

2. *Reſpectu Logicæ*, eſt confectio orationis Logicæ; *putà* definitionis, diuiſionis, &c. Beneficio enim vniuerſalium cognoſcimus *genus*, & *differentiam*,&c.

3. *Secundùm ſe*, eſt ſcientiæ adeptio; ſcientia enim eſt vniuerſalium, non indiuiduorum.

OPIFEX, NATVRA & INTELLECTVS; *Vniuerſale* enim materialiter, & fundamentaliter eſt *à parte rei*, ſeu *reale*; illud enim eſt *Naturà communis*, putà *humanitas*; hoc autem eſt *Naturæ conformitas*, putà *conuenientia* quæ eſt inter *humanitatem* Petri, & Pauli: at vtraque eſt realis, ſeu à naturâ. *Vniuerſale* verò *formaliter*; putà *naturæ vnitas*, ſeu *indiuiſio*, eſt à mente; humanitas *enim* Petri, *cum ſit* diuiſa ab humanitate Pauli, nequit eſſe indiuiſa in vtroque; ineſt enim cum ſui diuiſione. Vnde prædicatur *diuiſim*.

CAVSA EXEMPLARIS *Vniuerſalium*, ſunt *Ideæ Diuinæ*, puta exemplar humanitatis, eſt ipſius idea in *mente Diuinâ*.

MATERIA, *eſt Vniuerſale* MATERIALITER.

FORMA, eſt *Vniuerſale* FORMALITER. *De quibus modò dixi.*

Digitized by Google

DE
AFFECTIONIBVS VNIVERSALIVM.

VNIVERSALIA ſunt

ÆTERNA *Logicè*, quia de ijs fieri poſſunt propoſitiones æternæ veritatis, v. g. *homo eſt animal*; hæc enim ita eſt vera, vt nequeat eſſe falſa.

Negatiuè; quia nulli certæ addicta ſunt temporis differentiæ; *homo enim, & priùs, & priùs in infinitum potuit produci*, & poſteriùs, & poſteriùs in infinitum, poteſt conſeruari.

Non poſitiuè; nihil enim (excepto Deo) eſt *actu* ab æterno.

INGENERABILIA, & *incorruptibilia*; nec enim per ſe generantur nec corrumpuntur, *v. g. homo*; ſed per Petrum, aut Paulum. *Vid.* p. 123. *tom. pri.*

VNIVERSALE FORMALITER, cum non ſit quid *reale*; nec *ſpiritale* eſt, nec *corporeum*.

CVM VNIVERSALE *Materialiter*, putà *Natura communis*, aut ſit *eſſentia* ſuorum inferiorum, aut ſaltem ad eorum *eſſentiam* pertineat, tale eſt, qualia ſunt eius inferiora Vnde *Vniuerſale* cuius *inferiora* ſunt

SPIRITALIA, vel CORPOREA, v. g. ſubſtantia, eſt *indifferens*.

PVRE *Spiritalia*, v. g. Angelus, eſt *purè Spiritale*.

MERE *Materialia*, v. g. equus, eſtque *Purè materiale*.

PARTIM *corporea*, & *partim ſpiritalia*, v. g. homo; eſt enim materialis corpore, ſpiritalis verò animâ, eſt *Mixtum*.

ITEM Vniuerſale, eſt *vel*

1. ESSENTIALE, *putà* Genus, Species, differentia.

2. ACCIDENTARIVM, *v.g.* Proprium, & Accidens commune.

PRÆTEREA eſt, *vel*

1. NECESSARIVM, *putà* Genus, Species, Differentia, Proprium.

2. CONTINGENS, *nempe*, accidens commune.

VNIVERSALE in prædicando, *ſeu* prædicabile; *vel* prædicatur *in*

a. QVID, *putà* Genus, & Species.

b. QVALE *quid*, nempe Differentia.

c. QVALE *Simpliciter*, v. g. Proprium, & Accidens commune.

VNIVERSALE *mediatè*, & ad praxim *accommodatè*, eſt *Genus*, *Species* Infima, *Differentia* eſſentialis, *Proprium*, & *Accidens Commune*. Quod ſic

PROBATVR, totuplex enim eſt vniuerſale, quotuplex eſt *modus quo quid alteri ineſt*, *& de eo prædicatur vniuocè*, *& diuiſim*; *Vniuerſale* enim eſt vnum aptum ineſſe multis vniuocè, & diuiſim: at ſunt quinque *modi* quibus vnum poteſt

1. *Ineſſe multis*, quodlibet enim ineſt *eſſentialiter*, vel *accidentariò*

Quod ineſt *eſſentialiter*, vel ineſt vt tota communis indiuiduorum *eſſentia*, v. g. *Humanitas*, Petro, & Paulo; vel vt Pars *eſſentiæ*: quod ineſt vt *tota communis indiuiduorum eſſentia*; eſt *Species Infima*: quod ineſt vt *pars eſſentiæ*; vel ineſt pluribus ſpecie, & numero differentibus vt *pars eſſentiæ communior*, v. g animalitas, homini, & belluæ, & eſt *Genus*. vel ineſt vt *pars eſſentiæ minùs communis*, v. g. ratio-

nalitas homini, & eſt *differentia Eſſentialis*.

Quod ineſt *accidentario*, vel ineſt *Neceſſariò*, v. g. *vis admirandi homini*, & eſt *Proprium*. Vel *Contingenter*, v. g. albedo, parieti, eſtque *Accidens Commune*.

2. *Poteſt de multis prædicari*. Quicquid enim *poteſt prædicari*, vel poteſt *prædicari In*

a. *Quid*, hocque vel prædicari poteſt *in quid completè*. *De multis ſolo numero differentibus*, v. g homo de Petro, & Paulo, & eſt *Species*. Vel *in quid incomplete*, v. g. animal de homine, & belluâ, & eſt *Genus*.

b. *Quale quid*, v. g. rationale, de homine, & eſt *Differentia Eſſentialis*.

c. *Quale ſimpliciter*, hocque vel prædicatur *in quale reciprocè*, v. g. riſiuum de homine, & eſt proprium, Vel in quale non reciprocè, v. g. album de niue, & gypſo, & eſt *Accidens Commune*. *De quibus hic ſigillatim agimus ac primò quidem*.

DE GENERE.

PRIVS agimus de *Genere*, *Specie*, & *Differentiâ*, quàm de *Proprio*, & *Accidente communi*; eſſentialia enim *priora* ſunt accidentariis. Priùs verò de *Genere*, quàm de *Specie*; quia eſt quid *eâ* ſimplicius, & generalius. De *Specie* autem priùs, quàm de *Differentiâ*; ſiquidem *ſpecies* eſt correlatum *generis*; correlatorum autem notitia eſt coniungenda. Priùs de *Differentiâ*, quàm de *Proprio*, quòd *illa*, non autem *hoc* ad eſſentiam pertineat. Denique priùs

agimus de *Proprio* quàm de *Accidente communi*; quoniam *Proprium* neceſſariò ſequitur eſſentiam; non item *Accidens commune*.

GENVS, eſt vnum aptum ineſſe multis ſpecie, & numero differentibus, vt pars eſſentiæ magis communis materiæ reſpondens, & de ijs prædicari in quid incompletè, vniuocè & diuiſim.

V. g. ANIMALITAS. *Eſt enim quid aptum ineſſe multis, & de ijs prædicari vniuocè, & diuiſim:* Quia eſt quid vniuerſale.

Poteſt ineſſe multis ſpecie, & numero differentibus; putà homini, & belluæ; Petro, & Bucephalo.

SPECIE *Differre* dicuntur quæ ſub eodem genere immediatè poſita, diuerſas habent eſſentias completas, v.g. homo, & bellua.

Subſtantia, & quantitas, *ſpecie non differunt*; quia nulli ſubjacent generi.

homo, & equus, non modo *ſpecie*: ſed & *genere* differunt; non enim immediatè diuidunt animal; vnde equus eſt, de genere quadrupedum, non item *homo*.

Anima hominis non niſi analogicè differt *ſpecie*, ab animâ belluâ; quia non ſunt entia completa; imò nec explicitè ſub animali conſtituuntur. *Item* nec rationale, & irrationale ſpecie differunt, nec directè generi ſubjiciuntur ob eandem cauſam.

Specie, & numerò differunt indiuidua prædictarum ſpecierum; putà Petrus, & Bucephalus.

ANIMALITAS *ineſt vt pars ſpeciei*; putà hominis: eſt enim in homine, & præter ipſam, eſt rationalitas.

Eſt pars eſſentiæ; quia non poteſt concipi homo, v. g. ſine animalitate.

Eſt pars magìs communis; latiùs enim patet quàm differentia: putà quàm rationalitas hominis.

Materiç reſpondet; ſicut enim Materia eſt *indifferens* ad varias Formas, per quas determinatur ad *diuerſa compoſita*; putà Lapis ad figuram Mercurij, Iouis, Saturni, & per figuram Mercurij determinatur ad eius *Statuam*, &c. ſic *corpus* eſt indifferens ad *Animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem*, & per ſenſitiuam, ad belluam, per vegetatiuam ad plantam: ſic animalitas, vt & quodlibet genus eſt indifferens ad rationalitatem per quam contrahitur ad hominem.& ad irrationalitatem per quam reſtringitur ad belluam.

Animal prædicatur in quid: quia reſpondetur dum quæritur quid ſit homo.

Prædicatur incompletè: quia animalitas eſt quid *incompletum*: at prædicari ſequitur eſſe.

PRÆDICARI IN QVID, eſt *dici in recto per modum per ſe ſtantis*: id autem nec accidentariò conuenit, nec inſtar formæ adjacentis: qualis eſt ſpecies, vel genus. Eſſentia enim, vt & definitio quæ prædicantur in quid reuocantur ad ſpeciem.

RES ATTRIBVVNTVR, vt à nobis concipiuntur: in indiuiduis autem concipimus

1. GENVS, veluti fulcrum omnium; putâ animalitatem, in Petro, vt baſim cæterorum, & vt quid ſubſtans cæteris, ſicut marmor reſpectu ſtatuæ.

2. SPECIEM, veluti per ſe ſtantem: putà humanitatem: ſicut STATVA, quæ fulcro non indiget, vt ſuſtineatur.

HINC GENVS, & Species prædicantur in quid, ſeu in recto ſubſtantiuè, id eſt ad modum per ſtantis.

3. DIF-

3. DIFFERENTIAM, vt quid adiacens generi; ſicut *figura*, marmori. Hinc prædicatur *adiectiuè*, ſeu per *modum adiacentis*.

4. PROPRIVM, velut neceſſariò adiacens naturæ ſpecificæ, v.g. vis ridendi homini; ſicut repræſentatio, ſtatuæ. Et ſic *prædicatur in quale reciprocè*.

5. ACCIDENS, commune vt adiacens contingenter toti integranti; velut quantitas, *ſtatua*. Et ſic prædicatur *in quale* non reciprocè.

GENVS, eſt *vel*

1 SVPREMVM, ſeu *generaliſſimum*; quod ita genus eſt, vt nequeat eſſe SPECIES; putà *ſubſtantia*; quia non poteſt habere *genus* ſupra ſe.

2. SVBALTERNVM, *interiectum*, ſeu *intermedium*, quod reſpectu inferioris, eſt *genus*, ratione verò *ſuperioris*, eſt ſpecies. Sic *animal*, eſt *genus* hominis, *ſpecies* viuentis.

SVPERIVS, eſt *vniuerſalius* lineæ rectæ; v. g. *viuens* reſpectu *animalis*. Vnde ſupremum, eſt vniuerſaliſſimum.

INFERIVS, eſt *particulare* directè ſubiectum ſuperiori, v. g. *animal*, homini; *homo*, animali; *Petrus*, homini.

Superiora, ſunt ſimpliciora; v. g. *animal*, homine. *Suprema* ſunt ſimpliciſſima, v. g. *ſubſtantia*. Hinc inferiora ſunt magìs compoſita. Quapropter cum *indiuiduum*; putà *Petrus*, ſit quid infimum in Categorià, eſt omnium quid maximè compoſitum, omnes enim ſubſtantiæ gradus actu ſunt in ipſo.

Superiora, ſunt actu in *inferioribus*; putà *humanitas*, *animalitas*, rationalitas, &c. in Petro. Inferiora verò ſunt poteſtate, in ſuperioribus, v. g. Pe-


trus, in *homine*; homo, & bellua, in *animali*. Superius enim diuiditur in inferiora, v. g. animal, in hominem, & belluam. *Hac, & ſequentia intelliges è ſequenti tabulâ.*

Item genvs eſt, *vel*

1. Proximvm, *ſeu* quod immediatè de *ſpeciebus* poteſt prædicari, v. g. *animal*, de homine, & belluâ.

2. Remotvm, *quod* alio mediante poteſt prædicari, v.g. *viuens*, de homine, mediante animali.

Digitized by Google



Genus Supremum
SUBSTANTIA
Differentiæ
Differentiæ
Diuiſiua
Diuiſiua
Genus ſubalternum vel ſpecies ſubalterna
Corporea
Incorporea
Conſtitutiua
Repugnans
CORPUS
Diuiſiua
Diuiſiua
Linea
Linea directa
Indirecta, Seu Colla=teralis.
Animatum
Inanimatum
Conſtitutiua
Genus Remotum Hominis
Repugnans
VIUENS
Diuiſiua
Diuiſiua
Indirec=ta,Seu Col=lateralis.
Differentia generica
Senſitiuum
Inſenſitiuū
Conſtitutiua
Genus Proximum
Repugnans
ANIMAL
Diuiſiua
Diuiſiua
Specifica
Rationale
Irrationale
Conſtitutiua
Species Infima
Repugnans
HOMO
Determinatiua
Numerica
Petreitas
Conſtitutiua
Indiuiduum
PETRUS

DE SPECIE.

SPECIES *Grammaticis*, eſt pulchritudo. Vnde pulcher, dicitur formoſus. Item apparentia rei; ſic vitium fallit *ſpecie* virtutis. Sic apparentia vultûs in ſpeculo, dicitur *ſpecies*.

QVOD Platoni, Idea; Tullio, *Forma*; id Logicis eſt *Species*, hæcque dicitur VNIVERSALE *directè ſubiectum generi*, v. g. animal, *viuenti*.

Petrus non eſt *ſpecies*; non enim eſt quid *vniuerſale* Item nec ſubſtantia, quia hæc generi non ſubjicitur; nec etiam rationale eſt ſpecies; ſiquidem non directè ſubjicitur generi.

SPECIES, eſt, *vel*

1. SVBIICIBILIS, quæ generi ſubjicitur, v. g. *homo*, animali.

2. PRÆDICABILIS, quæ de ſolo numero differentibus poteſt prædicari in quid, v g. homo, de Petro, & Paulo.

Omnis *ſpecies prædicabilis*, quia generi ſubjicitur, eſt ſubjicibilis, non viciſſim; nam *animal*, eſt ſpecies *ſubjicibilis*; non item eſt prædicabilis; non enim poteſt ſolùm prædicari de multis ſolo numero differentibus.

ITEM SPECIES, eſt *vel*

1. SVBALTERNA, *Intermedia*, ſeu *Interiecta*, quæ ita eſt *ſpecies*, vt poſſit euadere *genus*, v. g. animal, quod reſpectu *ſuperioris*, putà *viuentis*, eſt *ſpecies*; ratione *inferioris*, v. g. *hominis*, eſt *genus*.

Hinc ſpecies *ſubalterna*, & genus *intermedium* differunt *reſpectu*, non *gradu*. Sic idem *animal*, eſt *ſpe-*

Digitized by Google

cies ſubalterna reſpectu viuentis, & *genus* ſubalternum ratione *hominis*.

2. INFIMA, *Atoma*, ſeu *Specialiſſima*, eſt ea quæ ita *ſpecies* eſt, vt nequeat euadere *genus*; etenim eſt indiuiſibilis in alias ſpecies. Hæcque

☞ *Definitur* vnum aptum ineſſe multis ſolo numero differentibus, vt tota communis eorum eſſentia, compoſito Phyſico reſpondens, & de iis prædicari in quid completè, vniuocè, & diuiſim, v. g. humanitas *reſpectu* Petri, & Pauli.

Solo numero differunt, ea quæ conueniunt inter ſe *eſſentiâ*, & *definitione*, nimirùm *indiuidua* eiuſdem ſpeciei, v. g. Petrus, & Paulus, ſolâ enim differentiâ *numerica* ab inuicem diſcrepant.

INDIVIDVVM, eſt ſingulare directè ſubiectum ſpeciei infimæ, v. g. Petrus; eſt enim vnum in vno. Vnde poteſt de vno tantùm prædicari.

Omne *indiuiduum* eſt *ſingulare*, non viciſſim; nam illud exigit plura poſſibilia eiuſdem *ſpeciei*; quia *ſpeciem* participat, ſeu partem ſpeciei capit: at *ſingulare* non exigit plura eiuſdem ſpeciei; cum Deus ſit *Singulariſſimus*, & impoſſibiles ſunt plures Dij.

Indiuiduatio, eſt ratio conſtitutiua *indiuidui*. v. g. Petreïtas. Quâ ratione ab inuicem differant indiuiduatio, ſingularitas, ſubſiſtentia. *Item*, indiuiduum, ſingulare, ſuppoſitum, & perſona, *vide è locis vbi de ijs egimus*.

Species toti Phyſico reſpondet; nam ſicut hoc conſtat è *materiâ*, & *formâ*, v g, homo è corpore, & animâ rationali; ſic ſpecies conſtat è *genere*, & *differentiâ*; putà homo, ex animalitate, & rationalitate.

Species, eſt tota eſſentia communis indiuiduorum; putá *humanitas*, reſpectu Petri, nihil enim eſt eſ-

ſentiale commune in Petro præter humanitatem. Hinc ſpecies prædicatur completè

In Petro eſt *eſſentia communis*, putà *humanitas*, per quam conuenit cum aliis hominibus. Nempe cum Paulo, &c. & eſt etiam *eſſentia peculiaris* Petro, ſcilicet *Petreitas*, per quàm nimirum differt à Paulo.

De modo prædicandi ſpeciei, cæterorumque vniuerſalium dixi. Supra pag. 168.

DE DIFFERENTIA.

DIFFERENTIA *generaliſſimè*, eſt id per quod vnum ab alio differt, ſic *filiatio* dici poteſt differentia filij; ſiquidem per ipſam à quouis alio differt.

LATÈ, eſt id per quod vnum differt ab alio, vel à ſeipſo, ſicque eſt, *vel*

1. COMMVNIS, *ſeu* accidens ſeparabile quo quid differt ab alio, vel à ſeipſo, *v. g.* vigilia, quâ Petrus differt à ſeipſo, *vel* ab alio dormiente.

2. PROPRIA, *eſt* accidens inſeparabile, *vel*

a. Quidem diuinitùs, v. g. riſiuum ab homine, eſtque proprium, quarto modo.

b. Naturaliter, *v. g.* nigrum à pariete, eſtque accidens commune.

3. MAXIMÈ *Propria*, ſeu *Eſſentialis* (quæ cogitatur adiacere generi, vt proprium, toti eſſentiæ, vel vt accidens toti entitatiuo, ſeu integranti) *eſt* ea quâ vnum differt eſſentialiter ab alio. Hæcque

☞ Definitur vnum aptum ineſſe multis ſpecie, vel numero differentibus, vt pars eſſentiæ minùs communis formæ reſpondens, & de ijs prædicari in quale quid vniuocè, & diuiſim.

Dicitur *ineſſe multis ſpecie*, vel *numero differentibus* (idem dicas de proprio, & accidente communi) quia hoc loco definitur, tum differentia *generica* quæ poteſt ineſſe multis ſpecie differentibus, putà vis ſentiendi, tum differentia *ſpecifica*, quæ poteſt ineſſe multis ſolo numero differentibus, *v. g.* rationalitas.

Formæ reſpondet, ſicut enim *forma*, putà *figura* Iouis determinat *materiam*, v. g. *marmor*, ad certam *ſtatuam*, nempe *Iouis*; item quemadmodum *forma Phyſica*, nempe anima, determinat *corpus*, ad certum *compoſitum*, putà ad *viuens*, ſimiliter *differentia eſſentialis*, putà *rationalitas*, determinat *genus*, v.g. *animal*, ad certam *ſpeciem*, videlicet ad *hominem*. Cætera patent è dictis pag. 168.

DIFFERENTIA eſt, *vel*

1. Simplex, quæ vnâ voce exprimitur, v. g. animatum.

2. Complexa, quæ pluribus effertur vocabulis, *v. g.* impar primum, *reſpectu* ternarii.

ITEM, eſt *vel*

1. Reciproca, *quæ* cum ſpecie conuertitur, *ſeu* reciprocatur, *v. g.* ſenſitiuum *reſpectu* animalis.

Reciprocari, eſt de ſe inuicem generaliter affirmari, *v. g.* animal, & ſenſitiuum, omne enim *animal*, eſt *ſenſitiuum*, & viciſſim.

Homo, & *animal*, non reciprocantur, nam *animal* particulariter affirmatur de *homine*, dicitur enim aliquod *animal*, eſt *homo*, non verò omne animal eſt homo.

2. Non reciproca, *quæ* latiùs patet ſpecie, *v. g.* bipes, licet enim omnis *homo* ſit *bipes*, non tamen è conuerſo.

PRÆTEREA differentia, eſt *vel*

1. Generica, *quę* conſtituit eſſentialiter *genus*, v. g. *ſenſitiuum*, animal

2. Specifica, *quæ* conſtituit *ſpeciem infimam*, v. g. *rationale* hominem.

Specificari, eſt fieri talis ſpeciei; ſic auditus, eſt ſenſus talis ſpeciei, quia verſatur circa ſonos.

3. Nvmerica, *ſeu* indiuiduatio, *de qua vide* pag. 45. *tom. prim.*

DENIQVE differentia eſt, *vel*

1. Divisiva *generis*, quæ *genus* diuidit, v. g. *rationale*, quod diuidit *animal*.

2. Constitvtiva, quæ conſtituit ſpeciem, v. g. *rationale*, quod conſtituit hominem.

3. Distinctiva, quæ ſpeciem diſtinguit à cæteris, v. g. *rationale*, quod diſtinguit hominem à cæteris.

Eadem differentia eſt diuiſiua generis, conſtitutiua ſpeciei, & diſtinctiua illius à cæteris. *Vt conſtat è prędicto exemplo*.

DE PROPRIO.

PROPRIVM, quandoque dicitur id quod non eſt

1. Metaphoricvm, *ſic* homo dicitur propriè ridere, pratum verò Metaphoricè.

2. Essentiale, *ſic* riſiuum dicitur *proprium* hominis, non verò rationale.

3. Commvne, *ſic* ridere, eſt proprium homini, non eſſe *bipes*.

4. Alienvm, *ſic* frigus dicitur proprium aquæ; quia ei eſt conſentaneum; licet & terræ conueniat.

5. Commvni, nec alienum; ſicque eſt eſſentiale, v g rationale, vel accidentarium neceſſarium, v. g. riſiuum.

PROPRIVM eſt, *vel*

Primo modo, quod conuenit soli, non omni (*ſpeciei*) v, g. eſſe geometram, homini.

Secundo modo, quod conuenit omni, non soli, v. g. quadrupes, equo.

Tertio modo, quod conuenit omni, soli, & non semper, *v. g.* ferre glandes, quercui.

Quarto modo, quod conuenit omni soli, & semper, *v. g.* riſiuum, homini Hocque conſtituit quartum vniuerſale, eſt enim maximè proprium.

☞ *DEFINITVR*, vnum aptum ineſſe multis ſpecie, vel numero differentibus, accidentariò neceſſariò, & de iis prædicari in quale reciprocè, vniuocè, & diuiſim.

Proprietas, ineſt accidentariò; quia non eſt de eſſentiâ.

Ineſt neceſſariò, tum ex parte ſui, tum ex parte ſubiecti, v. g. vis ridendi, nec enim ea poteſt eſſe ſine homine, nec homo, ſine vi ridendi. *Vid. tom.* 1. pag. 99. Hinc proprium dicitur reciprocè de eo cuius eſt proprium; quia proprium, & eius ſubiectum de ſe inuicem generatim affirmantur.

PROPRIVM eſt, *vel*

1. Genericvm, quod omni generi, ſoli, & ſemper connenit, v. g. tactu præditum, animali.

2, Specificvm, quod conuenit omni ſpeciei infimæ. ſoli, & ſemper, v. g. admiratiuum, ſoli homini.

DE
ACCIDENTE COMMVNI.

ACCIDENS COMMVNE, *eſt* id quod poteſt adeſſe; & abeſſe ſine ſubiecti interitu, *v.* g. nigredo reſpectu Æthiopis; poteſt enim de ipſo affirmari, *vel* negari, ſaluâ illius eſſentiâ,

DEFINITVR, vnum aptum ineſſe multis ſpecie, vel numero differentibus accidentariò contingenter, & de ijs prædicari in quale non reciprocè, vniuocè, & diuiſim, *v. g.* albedo reſpectu parietis.

Cum accidens commune conueniat contingenter ſuo ſubiecto, de eo nequit dici reciprocè.

ACCIDENS, eſt *vel*

1 GENERICVM, quod conuenit pluribus ſpecie differentibus, *v. g.* album cretæ, & gypſo.

2. SPECIFICVM quod conuenit ſoli ſpeciei infimæ, *v. g.* ridere, homini.

ITEM eſt, *vel*

1. SEPARABILE, quod facilè Phyſicè ſeparari poteſt, *v. g.* ſeſſio à, ſedente.

2 INSEPARABILE, quod Phyſicè nequit ſeparari, *v. g.* cicatrix, à corpore vulnerato.

Hinc non omne Accidens eſt ſeparabile phyſicè, *ſeu* realiter; ſed ſolùm *Logicè*. ſeu mentaliter; nullum enim eſt accidens commune quod nequeat negari de ſuo ſubiecto ſaluâ illius eſſentiâ.

QVÆLIBET creaturæ perfectio, putà ridere, ſpectari poteſt.

☞ 1. ACTVALITER, tumque eſt actio ridendi, ſeu riſus actualis, & ſic eſt accidens commune.

2. Aptitudinaliter, prout eſt potentia ridendi, & ſic eſt proprium quarto modo.

3. Radicaliter, ſeu vt eſt radix ridendi. & ſic eſt rationalitas. Sicque ridere, eſt de hominis eſſentiâ.

Sic frigus actuale, eſt accidens commune aquæ; aptitudinale, eſt eius proprietas; frigus autem radicale, eſt de eius eſſentiâ, primum frigus poteſt abeſſe ab aquâ ſine illius interitu; non item ſecundum: at ſine frigore radicali, concipi non poteſt.

Genus, & *Species* prædicantur in *quid* de inferioribus: differentia verò proprium, vt & accidens commune in *quale* de ſuis ſubiectis. E ſingulorum vniuerſalium definitionibus facilè eorum conuenientia, & diſconuenientia dignoſci poteſt.

DE

TERMINO SIMPLICI

RATIONE REI SIGNIFICATÆ.

TERMINVS *ſimplex* ratione rei ſignificatæ eſt, *vel*

1. *Abſolutus*, qui ſignificat aliquid ſine ordine ad aliud, *v. g.* homo, naturam humanam ſecundùm ſe.

2. *Connotatiuus* qui ſignificat aliquid per ordinem ad aliud. Hicque eſt, *vel*

a. Merè relatiuus, *v. g.* filius; nequit enim concipi ſine ordine ad patrem

b. Non merè relatiuus, *v. g.* rationale, per ordinem ad animal; nequit enim concipi ſine connotatione ad animal, eſt enim principium ratiocinandi dependenter à ſenſibus; *hoc* autem dicitur connotatiuè ad animal.

Prædicari abſolutè, & ſimpliciter, eſt dici ſine ordine ad aliud, *v. g.* homo.

Dici connotatiué, eſt affirmari per ordinem ad aliud, *v. g.* diſcipulus dicitur de Ariſtotele, per ordinem ad Platonem, aut Socratem.

ITEM terminus *ſimplex* ratione rei ſignificatæ, eſt *vel*

1. *Finitus*, cuius ſignificatio eſt præfiniti, ſeu determinati ambitûs; ſeu qui aliquid certum ſignificat, *v. g.* lapis.

2, *Infinitus*, cui præficitur particula non, *v. g.* *non homo.* Dicitur infinitus; quia de quolibet affirmari poteſt, dempto eo cui particula non præfigitur; quodlibet enim (excepto homine) dici poteſt *non homo.*

PRÆTEREA, eſt *vel*

1. *Negatiuus*, qui ſignificat abſentiam perfectionis in ſubiecto inepto, *v. g.* non videns, in lapide.

2. *Priuatiuus*, qui ſignificat abſentiam perfectionis in ſubiecto ad eam idoneo, *v. g.* cæcitas in Appio.

Vterque, eſt *vel*

Nomine, non ſignificatione, *v. g.* infinitas

Significatione, non nomine, *v*, *g.* ſurditas

Nomine ſimul, & ſignificatione, *v. g.* infirmitas.

3. *Poſitiuus*, qui ſignificat aliquam perfectionem, *v. g.* videns, qui ſignificat viſionem.

POSITIVVM, dicitùr quid *actuale.*

TERMINVS poſitiuus eſt, *vel*

Tranſcendens, qui dicitur de pluribus Categoriis, *v. g.* vnum, verum, bonum; dicitur enim ſubſtantia, eſt vna; quantitas eſt vna; item qualitas, &c.

b *Categoricus*, qui proprius eſt vni Categoriæ, *v. g.* homo; coarctatur enim categoriâ ſubſtantiæ.

DE

ANTEPRÆDICAMENTIS.

ANTEPRÆDICAMENTA, ſunt prænotiones neceſſariæ ad *categoriarum* notitiam. Putà *definitiones*, & *diuiſiones* terminorum communium, tum & *diuiſiones* rerum, *regula attributionis*, & differentiarum.

TERMINI communes ſunt homonymi, ſeu *æquiuoci*; *analogici*, *Synonimi*, ſeu vniuoci; *Item* & *Paronymi* de quibus ſupra, pag. 151. *huius tom.*

ITEM de diuiſione terminorum dixi. ibid.

DIVISIONES RERVM.

Eorum quæ ſunt, QVÆDAM

1. SVNT *in ſubiecto, & de nullo ſubiecto dicuntur*; putà accidentia ſingularia; *v. g.* hæc *albedo*; inhæret, v. g. huic parieti, & dicitur de *inferiori*. putà de hâc albedine.

2. NON *ſunt in ſubiecto, & de ſubiecto aliquo dicuntur*; putà ſubſtantiæ vniuerſales, *v. g.* homo; dicitur enim de inferiori, nempe de Petro; nec alteri inhæret.

3. DICVNTVR *de ſubiecto*, & ſunt in *ſubiecto*; videlicet accidentia vniuerſalia, *v. g.* albedo; ineſt enim huic albedini, & inhæret, videlicet, huic parieti.

4. ALIA *nec ſunt in ſubiecto, nec de ſubiecto dicuntur*. Nimirùm *ſubſtantia ſingularis*; putà Petrus; non enim alteri inhæret; nec poteſt dici de inferiori.

Igitur dici *de ſubiecto*, eſt *dici de inferiori*, ſeu *de* ſubiecto attributionis, hoc enim eſt omne *inferius*,

reſpectu ſuperioris, *v. g.* animal reſpectu viuentis.

Esse in ſubiecto, eſt inhærere, ſeu eſſe in ſubiecto inhæſionis. *Vid.* pag. 143. *pr. tom.*

Divisio *rerum*, ſtrictiùs, & clariùs fieri poteſt. *Sic*

quoduis reale eſt { ſubſtantia { ſingularis. / vniuerſalis. } ; accidens { ſingulare. / vniuerſale. } }

REGVLÆ attributionis, cum alterum, alteri tribuitur vt ſubiecto quæcunque dicuntur de *attributo* eſſentialiter, aut reciprocè dicuntur de ſubiecto. Sic quia viuens dicitur eſſentialiter de *animali*, dicitur, & de *homine* contento ſub animali; ſic quia tactu præditum conuenit reciprocè animali, conuenit & belluæ ſub animali poſitæ.

Cvm *aliqua ſunt diuerſi generis; & unum ſub alio*, non collocatur, eorum differentiæ ſunt diuerſæ, & viciſſim. Sic animal, & ſcientia, ſunt diuerſi generis; quia eorum differentiæ (putà *Rationale*, vel *irrationale*; ſpeculatiua & practica) ſunt diuerſæ.

Generum ſubalternorum, nihil prohibet eaſdem eſſe differentias; Sic eædem ſunt differentiæ animalis, ac viuentis, & corporis; nam animal eſſentialiter, eſt corporeum, & animatum, quæ ſunt *differentiæ* corporis, & viuentis.

Differentiæ conſtitutiuæ *ſuperiorum*, ſunt *& inferiorum*, vt conſtat ex prædicto exemplo. Non vice verſâ; quia ſuperiora ſunt in inferioribus, non viciſſim; vnde ſenſitiuum quod conſtituit animal, non eſt de eſſentiâ viuentis.

Differentiæ diuiſiuæ inferiorum, ſunt *&* diuiſiuæ ſuperiorum. ſic viuens poteſt diuidi in rationale, *vel* irrationale: at differentiæ diuiſiuæ ſuperiorum,

non ſunt diuiſiuæ inferiorum: non enim animal poteſt diuidi in ſenſitiuum, *vel* inſenſitiuum, quæ ſunt differentiæ diuiſiuæ viuentis.

Philoſophus nobis ſubjicit has, & definitiones, & diuiſiones; vt nobis declaret quæ debeant, vel non debeant in categoriâ collocari.

Affert diuiſiones rerum, vt oſtendat quâ ratione debeant in varias claſſes diſtribui.

Affert regulas attributionis, vt doceat quænam, & quomodò debeat in lineâ collocari.

Tradit regulas differentiarum; vt & patefaciat quæ debeant collocari in lineâ indirectâ categoriæ.

DE CATEGORIIS.

ΚΑΤΗΓΟΡΙΑ accuſatio, è foro ad Lycæum tranſlata eſt, vt eſt ſeries attributorum; quia accuſator quæcunque poteſt accuſato crimina attribuit; ſic & in prædicamento ſunt omnia attributa quæ de quolibet indiuiduo dici poſſunt.

Duo ſunt ſcopuli ad quos Tyronum inſcitia impingit nimirùm *cognoſcere res diſſimiles, quaſi ſimillimas, & apprehendere res ſimiles, quaſi diſſimillimas.* Ad hos ruſticè alliſit ridicula Carteſii imaginatio; ille enim omnia meterialia accidentia, tum formas ſubſtantiales belluarum; temerè cum materiâ confudit. Sic principium operationum vegetatiuarum, quod eſt in plantis, & ſenſitiuarum, quod eſt in belluis, finxit diuerſum à principio vitæ, & ſensûs, quod eſt in homine; quamuis vniuocè inter ſe conueniant. Idque è defectu ſtudij Philoſophiæ, aciei mentis, & è nimiâ deluſæ imaginationis præſumptione.

Logica, beneficio categoriarum, tollit rerum confuſionem, ſcilicet in varias claſſes diſtribuendo res, quas natura in vnico indiuiduo confuderat; ope verò *vniuerſalium*, alterum remouet ſcientiarum obicem; *nimirùm res ſimillimas inter ſe adunando, quas natura ab inuicem diuiſerat*; putà omnes *humanitates* ad vnam *ſpeciem* reuocando, quas natura in variis hominibus longè ſeparauerat. Quapropter vterquè liber eſt ſimpliciter neceſſarius, & ad directionem operationum mentis, & ad ſcientiarum adeptionem. Vt ampliùs è dicendis patebit.

CATEGORIA definitur, ordo naturalis attributorum, *&* ſubiectorum ſub vno ſupremo genere conſtitutorum, *v. g.* ordo quo diſponuntur Petrus, homo, rationale, animal, ſub ſubſtantiâ. Sicque Categoria comprehendit Genera, Species, differentias, *&* indiuidua.

ALIIS *Categoria*, eſt ordo naturalis attributorum ſub ſupremo genere contentorum. Sicque excluduntur ſola indiuidua.

Quibuſdam dicitur, ordo naturalis Generum, Specierum, *&* Indiuiduorum ſub vno ſupremo genere comprehenſorum, *& ſic à* Categoriâ excluduntur Differentiæ.

A *nonnullis* dicitur, ordo naturalis generum, *&* ſpecierum ſub ſupremo genere comprehenſorum. Hique excludunt à Categoriâ differentias, *&* indiuidua. Porrò hæ omnes Categoriæ definitiones, ad idem referuntur; ideoque ſunt bonæ. CATEGORIA dicitur ordo; quia eſt diſpoſitio plurium ſecundùm prius, *&* poſterius; vt patet è præcedenti tabellâ, in quâ prius collocatur corpus, quàm viuens, *&* poſteriùs ponitur homo, quàm animal; quia ſicut corpus magìs accedit ad primum; putà ſubſtantiam, quàm

quàm viuens; ita homo magìs accedit ad *vltimum*, putà *Petrum*, quàm animal.

Ordo *Naturalis*; quia eſt ad vnum determinatus; nequit enim inuerti; non enim *homo* poteſt conſtitui ſupra *animal*; nec *rationale* directè ſub *animali*; vel *animal* indirectè ſub *viuente* collocari.

Attribvtorvm, *id eſt* generum ſpecierum, & differentiarum; nam hæc attribui poſſunt indiuiduis.

Svbiectorvm, *id eſt* indiuiduorum, quæ ſunt veluti baſes Categoriæ; ſemper verò *ſubiecta*, nunquam autem *attributa*.

Svb *ſupremo genere*. Debet in Categoriâ eſſe *ſupremum genus*. Hinc qui inciperet ordinem ſubſtantiarum à *corpore*; defectu ſupremi generis, is Categoriam ſubſtantiæ non teneret. Vnde *totuplex* eſt Categoria, *quotuplex* eſt ſupremum genus. Quapropter iis, quibus *Ens* eſt *genus*, vnica quoque eſt Categoria, & ijs, quibus *Accidens* eſt *genus*, duplex eſt Categoria, *putà* ſubſtantia, & accidens, &c.

ALIQVID ponitur in *Categoriâ*, vel

1. Implicitè, ſeu *reductitiè*, cuius nulla ſit diſtincta mentio in Categoriâ, *v. g.* pes.

2. Explicitè cuius expreſſa ſit mentio in Categoriâ, v. g. corporeum, animal.

IMPLICITE, ſeu reductitiè ponuntur in Categoriâ

1. Partes *eſſentiales Phyſica*, v. g. corpus, anima, *vel* integrantes, v. g. brachium, caput.

2. Proprietates, *v. g.* riſiuum, ad Categoriam ſubſtantiæ. Diuiſibile ad Prædicamentum quantitatis; *ita ſimiles proprietates ad eas Categorias, quarum ſunt proprietates.*

3. Modi, *v. g.* aduncitas naſi, gibboſitas, ad

Categoriam *ſubſtantiæ*, celeritas, tarditas motûs, ad Categoriam *quantitatis*.

Privationes, v. g. mors, ad Categoriam *ſubſtantiæ*; otium, ad Categoriam *actionis*.

Principia, *proprietates*, *modi*, & *priuationes* reducuntur ad Categorias, quarum ſunt principia, proprietates, modi, aut priuationes; *vt patet ex allatis exemplis*.

QVOD ponitur *explicè*, vel *ponitur*

1 *Directè*, id eſt, in lineâ rectâ, v. g. genera, ſpecies, indiuidua.

2. *Indirectè*, id eſt, in lineâ indirectâ, *ſiue* collaterali, v. g. ſolæ differentiæ eſſentiales.

Vt aliquid directè ponatur in Categoriâ requiritur vt ſit *Ens*

1. *Reale*, *Categoria* enim ſolùm eſt ad tollendam rerum confuſionem, Vnde Categoria eſt ſeries rerum, non autem figmentorum. Hinc ſolùm ens reale in eâ reponitur.

2. *Per ſe*; nam ens per accidens; *quia* confusè varia entium genera continet, non tollit *confuſionem*, v. g. hic mundus, exercitus, &c. Vnde non reponuntur in Categoriâ.

3. *Simplex*; *Ens* enim *complexum*, v. g. equus hinnit; denotat plura entium genera; *equus* enim ad ſubſtantiam; *hinnitus* verò ad actionem reuocatur.

4. *Completum*; *ens* enim *incompletum* non eſt ens, ſed pars entis, v. g. digitus: at Categoria eſt ordo rerum.

5. *Vniuocum eſſentiale*; nam Categoria eſt ordo præſertim ſuperiorum, & inferiorum. Hinc *album* non ponitur in Categoriâ *ſubſtantiæ*; quia de eâ paronymè, non ſynonymè, ſeu in quid, prædicatur; *albedo* enim huic accidentariò contingenter ineſt.

6. ***Finitum per eſſentiam***; quidquid enim ponitur in lineâ rectâ Categoriæ, eſt *potentia*, v. g. *genus*, vel ex *actu*, & *potentiâ* conſtans; v. g. *ſpecies*, quæ componitur è *genere*, & *differentia*: at ens eſſentialiter infinitum, *putà* DEUS, nec eſt *potentia*, nec ex *actu*, & *potentiâ* conſtat; cùm puriſſimæ ſimplicitatis apicem ſuperinfinitè, & ultra modum exuperet, quicquid Philoſophaſtri in contrarium reclamitent.

PRÆDICATUM eſt *Categoria*.

PRÆDICABILE, eſt *univerſale Logicum*.

PRÆDICAMENTALE, eſt quid ad *Categoriam* ſpectans; vnde ACCIDENS eſt, vel

1. *Prædicamentale*, quatenus reſpicit *inferiora*, ſeu *ſubjecta attributionis*, de quibus *ſynonymè*, ſeu in quid prædicatur, v. g. *color* reſpectu *albedinis*. Item, *albedo*, reſpectu hujus albedinis; ſicque accidens eſt Genus, vel Species,

2. *Prædicabile*, quatenùs habet ordinem ad ſubjecta inhæſionis, ſeu ad ſubjecta, quibus ineſt contingenter, & de quibus *paronymè*, ſeu in *quale non reciprocè* poteſt prædicari v. g. *albedo* per ordinem ad *marmor*; hoc enim dicitur *album*, non *albedo*. Sicque conſtituit quintum univerſale, nec ut ſic, habet locum in categoriis.

ACCIDENS ut *Prædicamentale*, dicitur *de ſubjecto*; ut *prædicabile* verò, eſt *in ſubjecto*.

AD praxim *Categoria*, eſt decuplex, nempe *Subſtantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Relatio*, *Actio*, *Paſſio*, *Vbi*, *Quando*, *Situs*, & *Habitus*: è quibus una eſt *ſubſtantiarum*, & novem *accidentium*. Item novem ſunt entium abſolutorum, putà ſubſtantia, quantitas, &c. una relativorum, nempe relatio. Sola ſubſtantia propriè eſt ens abſolutum, omne enim accidens eſſentialiter eſt ad ſubſtantiam, cùm ſit *entis ens*.

NUMERUS *Categoriarum* deſumitur è variis ſupremis entium generibus, horumque generibus ſubalternis, ſpeciebus, &c. primò intentionaliter: ſic SUBSTANTIA, ut *per ſe ſubſiſtens*, & QUANTITAS, ut extenſiva corporis, RELATIO, ut ordinat ad alterum, ſunt diſtinctæ Categoriæ

NUMERUS verò *Vniverſalium* repetitur è variis eſſendi & prædicandi modis ſecundò intentionaliter. Sic *Subſtantia*, ut & quantitas ad idem *Vniverſale*, putà *Genus*, revocantur, quia utraque ineſt *ut pars eſſentiæ communior*.

UNIVERSALE prædicatur *diſtributivè*, dicitur enim, *animal* eſt genus: CATEGORIA autem *collectivè*, de omnibus ſimul ſub ſe contentis.

In eâdem categoriâ, genus, ſpecies, & differentia reperiuntur: ad idem verò Univerſale, putà Genus, omnia Categoriarum genera, nimirum ſecundò intentionaliter, revocantur.

ENS eſt, vel

1. RATIONIS, ſubjectivum, effectivum, &c.

2. REALE, hocque eſt

Completum { *increatum* { *per ſe ſubſiſtens.*
Incompletum { *creatum* { *non per ſe ſubſiſtens.*

ENS *non per ſe ſubſiſtens*, eſt ACCIDENS, hocque eſt *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, &c.

ENS *per ſe ſubſiſtens*, eſt SUBSTANTIA, *vel*

1. SPIRITUALIS, ſeu SPIRITUS primæ Hierarchiæ.

2. CORPOREA, ſeu Corpus, quod eſt *vel*

a. *Simplex* { incorruptibile { putà { cœlum.
corruptibile { elementum.

b *Mixtum*, hocque eſt *vel*

IMPERFECTUM, ſeu Meteorum, ignitum, illuſtratum, &c.

PERFECTUM, quod eſt *vel*

Inani-

inanimatum
- ortum [à viuentibus
  - lana
  - *foſſile*
    - *ſuccus cõcret'.*
    - *metallum.*
- *non ortũ*

animatum eſtque, *vel*

Vegetatiuum, *putà* Herba, Suffrutex, Frutex, Arbor.

Senſitiuum, *ſeu* Animal, hocque eſt rationale, putà *homo*; vel irrationale, nempe *bellua*.

DE SVBSTANTIA.

SVBSTANTIA dicitur à ſubſtando, & ſubſiſtendo. *Vid.* pag. 145 *tom. prim.*

Svbstantia *eſt*, ens per ſe ſubſiſtens. Eſtque *vel*

Prima, *ſeu* ſingularis, quæ nec eſt in ſubiecto, nec dicitur de ſubiecto, v. g. Petrus. Hæc dicitur *maximè ſubſtantia*; eſt enim *ſubiectum* attributionis omnium graduum ſuperiorum categoriæ ſubſtantiæ, & denominationis omnium accidentium, &c. *Vid.* pag. 149. *prim. tom.*

Segvnda, *ſeu* vniuerſalis, quæ dicitur de ſubiecto, nec eſt in ſubiecto, v. g. homo. *Vid.* Categoriam ſubſtantiæ. pag. 83. huius tom.

DE
PROPRIETATIBVS SVBSTANTIÆ.

PROPRIETATES vel, rebus conueniunt ſecundùm ſe *putà* ſubſiſtentia reſpectu ſubſtantiæ;

mobilitas reſpectu corporis, &c. Et hæ ſpectant ad diſciplinas quarum ſunt obiecta. *Vel* iis conueniunt vt ſunt in Categoriâ collatæ; hæque pertinent ad Logicam, quæ ruditer debet *ſuum obiectum materiale remotum*, nempe *res omnes*, cognoſcere. *De quibus hic agimus.*

1. NVLLI *ſubſtantiæ conuenit inhærere*; quicquid enim poteſt inhærere eſt accidens: nulla ſubſtantia poteſt eſſe accidens: Deinde omnis ſubſtantia eſt *completa* vel *partialis*: neutra poteſt inhærere.

a. *Non completa*; quia nequit eſſe in ſubiecto inhæſionis, v. g *humanitas* reſpectu Petri.

b. *Nec partialis*; hæc enim eſt in alio vt pars in toto: at nullum accidens poteſt alteri ineſſe vt pars in toto: Deinde è non ſubſtantiis, non fit ſuſtantia: è ſubſtantiâ partiali fit ſubſtantia.

2. SECVNDA *ſubſtantia, prædicatur ſynonymè eſſentialiter de primâ ſubſtantiâ*, v, g. *homo* de Petro; definitio enim *hominis* eſt definitio *Petri.*

3. OMNIS *ſubſtantia videtur ſignificare hoc aliquid*; ſubſtantia enim prima ex ſe ſignificat quid digito demonſtrabile; ſubſtantia verò ſecunda, quia nomine ſingulari exponitur, v. g. *homo*; videtur ſignificare quid certum, & determinatum.

4. SVBSTANTIÆ *nihil propriè contrariatur*. Rationale enim, & irrationale, nequeunt eidem ſubiecto viciſſim ineſſe; nec ignis. aquæ per ſe contrariatur, ſed per calorem, frigori aquæ opponitur.

5. SVBSTANTIA *non ſuſcipit propriè magis, & minùs*; quia nulla ſubſtantia ſuſcipit plures gradus homogeneos ſubſtantiæ in eâdem parte ſubiecti; Petrus habet plures gradus etherogeneos ſubſtantiæ quàm homo: at non homogeneos.

b. SVBSTANTIA *eadem numero manens poteſt*

ſuſcipere contraria tum internâ ſui mutatione, v. g. Petrus ſuſcipiens calorem, tum frigus.

DE QVANTITATE.

QVANTITAS eſt poſitio partium extra partes. *Hæcque* eſt, *vel*

1. DISCRETA, ſeu numerus.

2. CONTINVA, hæcque eſt, *vel*

a. *Succeſſiua*, putà *tempus*.

b. *Permanens*, ſeu *magnitudo* quæ eſt vel { Linea. / Superficies. / Solidum. }

PROPRIETATES *Quantitatis.*

1. QVANTITATI *nihil contrariatur*; tam enim ſuperficies diſtat à lineâ, quàm à ſolido; tum etiam poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto.

2. QVANTITAS *non ſuſcipit magìs, & minùs*; linea magìs extenſa, eſt maior, alterâ; non magìs linea; non enim exigit habere partes intra, ſed extra ſe.

3. MAXIMÈ *proprium eſt*, quòd ſecundùm eam res dicantur *æquales*, vel *inæquales*.

DE RELATIONE.

RELATIO, eſt ordo, *habitudo*, ſeu *reſpectus* ſubiecti ad terminum; ſic paternitas eſt *habitudo* patris ad filium.

PHILOSOPHO, *eſt* accidens cuius totum eſſe, eſt ad aliud quodammodo ſe habere; ſic totum eſſe

patris vt pater eſt; eſt patrem ad filium referre.

TRIPLEX *eſt* relationis *Principium*. Putà

1. SVBIECTVM, *ſeu* id cui ineſt relatio, v. g. homo genitus, cui ineſt filiatio.

2. TERMINVS, *ſeu* id ad quod relatio ſuum ſubiectum refert, v. g. filiatio, ad quam paternitas refert patrem.

3. FVNDAMENTVM, *ſeu* cauſa cur relatio inſit ſubiecto. Illudque eſt, *vel*

a. *Proximum*, ſeu immediata ratio cur relatio inſit ſubiecto.

b. *Remotum*, ſeu mediata ratio cur relatio inſit ſubiecto.

VTRVMQVE, *eſt* relationis categoricæ, *vel* tranſcendentalis.

FVNDAMENTVM, relationis tranſcendentalis tum *proximum*, tum *remotum*, eſt MENSVRA, & MENSVRABILITAS, quæ fundant relationes *perfectiui* ad *perfectibile*, & viciſſim; *putà* relationes

α. *Primi*, ad ea quæ ſunt à primo, *v. g.* Creatoris, ad creaturas.

β. *Potentiæ*, & *habitûs*, ad obiecta; putà viſûs, ad viſibile.

γ. *Mediorum*, ad *finem*; putà remediorum, ad ſanitatem; vnde media non ſunt meliora quò maiora, ſed quò fini aſſequendo ſunt conuenientiora.

FVNDAMENTVM relationis categoricæ

1. PROXIMVM eſt, *vel*

a. VNITAS quæ fundat

α. *Identitatem*; eadem enim dicuntur quorum eſſentia *eſt* vna (ſcilicet vnitate conformitatis) ſic Petrus, & Paulus ſunt ijdem in *humanitate*; quia eorum humanitas *eſt* vna, *ſeu* conformis.

β. *Æqualitatem*; æqualia enim dicuntur quorum

quantitas eſt *vna*; ſic duo gigantes; dicuntur *aquales*; quia eorum *quantitas* eſt *vna*, ſeu *conformis*.

γ. *Similitudinem*; ſimilia quippe dicuntur quorum *qualitas* eſt *vna*; v. g. duo parietes albi.

b NVMERVS, qui fundat

α. *Diuerſitatem*; diuerſa enim dicuntur, quorum *eſſentia* non eſt *vna*: ſic Petrus, & Bucephalus ſunt diuerſi; ſiquidem eſſentia Petri eſt *humanitas*; eſſentia verò Bucephali eſt *equinitas*.

β *Inaqualitatem*; etenim inæqualia dicuntur quorum *quantitas* non eſt *vna*. Sic pygmæus, & gigas dicuntur *inaquales* ratione ſuæ quantitatis.

γ. *Diſſimilitudinem*; nam diſſimilia dicuntur quorum *qualitas* non eſt *vna*, ſic Gallus vt albus eſt diſſimilis Æthiopi vt nigro.

c. ACTIO & PASSIO, quæ fundant relationes dantis, ad recipiens; agentis, ad patiens; producentis, ad productum; cauſæ, ad effectum. Puta Solis, ad aërem; filij, ad patrem & viciſſim.

FVNDAMENTVM REMOTVM, eſt *quadruplex*, nempe

1. ESSENTIA, quæ fundat *identitatem*, & *diuerſitatem*; illam autem cùm fundamentum proximum eſt *vnitas*; diuerſitatem verò cum eſt *numerus*.

2. QVANTITAS, *aqualitatem*, & *inaqualitatem*.

3 QVALITAS, *ſimilitudinem*, & *diſſimilitudinem*.

4. POTENTIA, fundat eaſdem relationes quas fundant actio, & paſſio.

SVBIECTVM *inaqualitatis* Pygmæi ad Gigantem, eſt Pygmæus.

TERMINVS, eſt *quantitas*, & *inaqualitas* gigantis; cum enim reſpicit vt *quantum*, & vt *inaqualem*.

FVNDAMENTVM *proximum*, eſt vtriuſque quantitatis *numerus*, ſeu difformitas: *remotum* verò eſt quantitas.

SVBIECTVM *filiationis* eſt homo genitus.

TERMINVS, eſt pater, vel homo generans.

FVNDAMENTVM *proximum* eſt generatio paſſiua, *remotum* verò eſt capacitas quâ filius potuit gigni.

DIVISIO RELATIONIS.

RELATIO eſt, *vel*

1. RATIONIS, quæ pendet ab operatione mentis, v. g. paternitas putatiua; relatio conſulatûs, &c.

2. REALIS, quæ eſt independenter à mente. Hæcquæ eſt *vel*

a. *Diuina*, quæ eſt in Deo; putà paternitas, filiatio, ſpiratio.

b. *Creata*, quæ eſt in creaturâ; eſtque

α. Tranſcendens, quæ vagatur per omnes categorias. De quâ *tom. prim.* pag. 125.

β. Categorica, quæ vnius categoriæ ambitu coarctatur, v. g. paternitas. *Vid. Loc. cit.*

ITEM, relatio eſt.

ÆQVIPARANTIÆ, ſeu æqualis comparationis id eſt eiuſdem nominis, & rationis cum oppoſitâ relatione, v. g. *identitas* Petri cum *identitate* Pauli.

2. DISQVIPARANTIÆ, *ſeu* inæqualis, comparationis, quæ eſt diuerſi nominis, & rationis in vtroque extremo; hæcque, eſt Excellentiæ, *ſeu* ſuperpoſitionis. *vel* Imminutæ dignitatis.

Vtraque eſt, *vel*

A Naturâ, v. g. paternitas, filiatio.

Ab Arte, v. g. relatio magiſtri, ad diſcipulum.

A Caſu, v. g. Dominium, ſeruitus.

Ab Electione, v. g. relatio Præſidis ad Senatores.

AFFECTIONES RELATORVM.

RELATA Categorica ſunt ſimul naturà, & cognitione. Vt clariùs patebit infra.

RELATA tum ſecundùm eſſe, tum ſecundùm dici, conuertuntur in obliquo; ſic dimidium *dicitur* dupli, & duplum dimidij : ſenſibile, dicitur ſenſu ſenſibile, & ſenſus, dicitur ſenſibilis ſenſus.

AD *conuertentiam* relatorum, correlatum debet rectè aſſignari.

Correlatum, eſt id quod relatum eſt cum alio, v. g. filius, reſpectu patris.

Verum correlatum, eſt id quo manente, licet cætera mente ſeparentur, adhuc ad ipſius correlatum refertur; *puta* Dominus reſpectu ſerui ; nam manente Domino, cæteris ſublatis, *putà* quòd ſit homo, ciuis, Philoſophus, &c. adhuc ſeruus ad Dominum refertur; ſeruus enim dicitur Domini ſeruus; poſitis omnibus in illo, excepto quòd ſit Dominus, ſeruus ad hunc non refertur ; ſeruus enim non eſt ciuis ſeruus, &c.

RELATA quorum fundamenta ſunt contraria, contrariè opponuntur, v. g. relatio virtutis ad vitium. Non tamen ſemper contrariantur; v. g. ſimilitudo & diſſimilitudo; poſſunt enim eidem ineſſe ; idem enim paries albus, per eandem albedinem, ſimilis eſt alteri parieti albo, & diſſimilis eſt nigro.

RELATA, quorum fundamenta ſuſcipiunt magìs, & minùs, intenduntur, & remittuntur; ſin minùs, relata non ſuſcipiunt magìs, & minùs, v.g.

æqualia. Aliquid eſt magis inæquale alteri, ſicut vna propoſitio eſt magis falſa, quàm altera.

Relata diſtinguuntur realiter, & eorum fundamenta; vnius enim ad ſeipſum nulla eſt realis relatio; hæc quippe eſt habitudo vnius ad alterum.

Svbiectvm, fundamentum, & terminus relationis categoricæ, ſint quid actuale.

DE QVALITATE.

QVALITAS eſt accidens à quo denominamur quales ſimpliciter; ſi enim quæratur qualis ſit Petrus, rectè reſpondebitur, eſt philoſophus, ſagax, albus, ſtaturâ præſtans.

Non item rectè reſpondebitur eſt magnus, filius, &c. magnitudo enim reſpondetur, dum quæritur, quanta res ſit; filiatio verò dum quæritur Cuius ſit, &c.

☞ Dicitur accidens abſolutum inſtar habitûs ſequax formæ ſubſtantialis, benè, vel manè diſponens ſubſtantiam, reſpectu ſui, vel operationis, termini actionis, aut quantitatis. Dicitur

Accidens; quia non eſt de eſſentiâ rei; hinc licet differentia eſſentialis reſpondeatur dum quæritur qualis res ſit, v. g. ſi quæratur qualis, ſit homo rectè reſpondetur, eſt rationalis; ipſa tamen non eſt ſimpliciter qualitas.

Abſolutum; eſt enim extra categoriam relationis.

Inſtar habitûs; eſt enim inſtar formæ permanentis. Vnde differt ab actione, & paſſione.

Sequax formæ ſubſtantialis; quia deriuatur à formâ ſubſtantiali, v. g. calor ab igne. Cætera autem

prædicamenta ab aliis deriuantur; nempe *vbi*, a loco; *quando*, à tempore; *ſitus* à partium diſpoſitione, & earum quantitate. *Habitus*, à veſte, armaturâ, vel ornamento.

Benè vel *malè* diſponens *ſubſtantiam* reſpectu ſui, v. g. *habitus*, & *diſpoſitio*.

Benè vel *malè* diſponens *ſubſtantiam* reſpectu operationis, ſcilicet, *potentia*, & *impotentia*.

Vel diſponens eiuſmodi *ſubſtantiam* reſpectu termini actionis; nempe *patibilis qualitas*, & *paſſio*.

Vel diſponens ratione quantitatis, putà *formâ*, & *figura*.

Hinc quadruplex eſt bimembris ſpecies qualitatis *nimirùm*

habitus, & diſpoſitio, } patibilis qualitas, & paſſio.
potentia, & impotentia. } forma, & figura.

DE

HABITV, ET *DISPOSITIONE*.

HABITVS, eſt qualitas, quâ res benè, vel malè ſe habet in ſe; vel in ordine ad aliud.

Sic ſanitas, & pulchritudo ſunt *habitus*; quia per vtramque res benè ſe habet in ſe; per *difformitatem* verò, & *morbum*, malè.

Per *ſcientiam* intellectus, benè ſe habet ad aliud; *putà* ad *verum*; per *virtutem*, voluntas benè ſe habet ad *honeſtum*, per *errorem* verò, & vitium, malè ad vtrumque.

Dispositio differt ab *Habitu*, quòd ſit *facilè mobilis* à ſubiecto; v. g. *Fortitudo* in tyrone Mili-

tiæ habitus autem ſit *difficulter mobilis*, v. g. *fortitudo*, à veterano milite.

HABITVS eſt, *vel*

1. NATVRALIS, qui habetur à naturâ, v. g. ſanitas, pulchritudo, eſtque qualitas quâ res benè ſe habet in ſe.

2. PRÆTERNATVRALIS, hicque eſt *vel*

a. *Congenitus*, v. g. *difformitas*, putà *gibboſitas*, è malâ conformatione.

b. *Acquiſitus*, qui exercitio comparatur; eſtque *facilitas agendi actuum repetitione*, quæ

Definitur qualitas inſenſibilis actuum frequentatione ſuccreſcens potentiæ, eamque iuuans, & determinans ad faciliùs, promptiùs, & iucundiùs operandum; v. g. *Ars Cithariſtica*.

Hic habitus, eſt altera Natura; quia *ille*, ſicut *hæc* dat facilè, promptè, & iucundè agere.

3. SVPERNATVRALIS, qui ſuperat naturæ vires. Hicque eſt vel ſupernaturalis *quoad*

a. *Modum*, qui videlicet modo ſuperante naturæ vires (ſcilicet *infuſione*) producitur; vocaturque infuſus per accidens; quia poteſt aliter acquiri quàm infuſione, v. g. *Philoſophia Adami*.

b. *Entitatem*, qui eſt entitas ſuperans naturæ vires; diciturque infuſus per ſe; quia nequit aliter haberi quàm infuſione, v. g. *ſanctitas animæ*.

Habitus infuſus per ſe, dat agere ſimpliciter, v.g. lumen gloriæ; non enim dat faciliùs videre Deum; ſed dat Deum *videre ſimpliciter*. Nequit enim dari creatura quæ naturaliter poſſit Deum intuitiuè videre.

Habitus acquiſitus, vel infuſus per accidens, dat tantùm agere faciliùs, non verò ſimpliciter, v. g.

Digitized by Google

ſcientia, non dat *intelligere ſimpliciter*; ſed dat ſolùm intelligere certiùs, & euidentiùs.

HABITVS iterum eſt, vel PARTIS

1. RATIONALIS, iſque, vel partis

a. *Per ſe rationalis*, ſeu mentis, qui vocatur habitus dianoëticus, qui eſt laudabilis, vel non laudabilis, de quo in moral. pag. 40.

b. *Participatiuè rationalis*; ſeu voluntatis, eſtque *vel*

Supernaturalis, putà fides, ſpes, charitas.

Acquiſitus; nempe virtus moralis, & vitium. *De quibus* in moral. pag. 43. &c.

2. RATIONIS *expers*; qui & dicitur habitus miniſter; *putà* habitus imaginationis, & appetitus ſenſitiui.

Quibuſdam etiam ſunt habitus in facultate motrice membrorum externorum; *putà* dexteritas pulſandi harmonicè citharæ fides, reſidens in neruis manûs citharedi.

DE

POTENTIA, ET *IMPOTENTIA*.

POTENTIA, eſt vis, quâ res facilè operatur, aut reſiſtit, difficulter patitur, v. g. *viſus Aquilæ*; cuius vi facilè ſuſtinet lucis ſolaris ſplendorem, & ab eo difficulter patitur.

IMPOTENTIA, *hìc* eſt debilitas potentiæ, non verò priuatio huius, v. g. cæcitas.

DEFINITVR, qualitas quâ res difficulter agit, aut reſiſtit, facilè patitur, aut cedit, v. g. viſus ſenis.

Habitus eſt ad benè tantùm, putà Virtus; vel ad malè, v g. Vitium.

Potentia eſt indifferens ad benè vel malè, v. g. intellectus, ad ſcientiam, vel errorem.

Hinc ea, quibus poſſumus benè, vel malè vti à Philoſopho δύναμις, facultates appellantur. Putà Rhetorica, Topica; Item & bona naturæ, & fortunæ. Potentia dat agere ſimpliciter, eſtque inſita à naturâ, v. g. intellectus dat intelligere. Hinc differt ab habitu ſupernaturali; quippe qui à Deo infundatur.

POTENTIA, eſt vel

1. Non *vitalis*; quæ conuenit rebus vitâ deſtitutis, v. g. Potentia illuminandi in ſole, calefaciendi in igne, &c. Hæcque ferè varia eſt pro varietate corporum.

2. VITALIS, quæ conuenit viuenti vt viuens eſt; hæcque, eſtque *vel*

a. SPIRITALIS, putà

cognoſcitiua, *appetitiua*, { nempe { intellectus { ſpeculatiuus. / practicus. — voluntas

motiua, hæcque in Deo eſt *vel* { ordinaria. / extraordinaria. / abſoluta.

b. MATERIALIS, quæ vel *eſt*

Propria animali, eſtque vel

1. ſenſus { internus. / externus.

2. appetitus { concupiſcens. / iraſcens.

3. facultas

facultas motrix nempe { progreſſiua. volatiua. natatiua, &c.

Communis plantis, eſtque vel { nutritiua. augmentatiua. generatiua.

Vide in Metaphyſic. pag. 28. *Et de aliis* potentiis ſpeciatim *ſuo in loco.*

DE

PATIBILI QVALITATE,

ET FORMA.

PATIBILIS QVALITAS, vt & PASSIO *hic*, eſt qualitas ſenſu externo præſertim vnico perceptibilis, v. g. *color*, *ſonus*, &c.

PASSIO quandoque, idem eſt ac affectio, ſeu proprietas.

Populariter, eſt receptio effectûs, vel affectûs nociui; ſic dicitur pati, qui infirmatur, non qui ſanatur.

Item PASSIO opponitur actioni; de quâ Paulò infra.

Præterea *paſſio*, dicitur etiam motus appetitûs ſenſitiui.

Hic, eſt qualitas vnico ſenſu perceptibilis orta ex alteratione fluxâ, v. g. *rubor* è verecundiâ; *pallor*, è metu.

PATIBILIS *qualitas*, eſt qualitas vnico ſenſu externo perceptibilis ex alteratione firmiter inhæ-

rente, v.g. pallor, è diuturnâ ſtudij aſſiduitate; *vel* rubor, è pulmonis inflammatione.

PATIBILIS *qualitas* differt, à paſſione, quòd *hæc* ſit facilè mobilis; *illa* verò difficulter mobilis à ſubiecto; vt *patet è prædictis*. Hinc ſpecies viſibiles, & ſimiles, quia citò tranſeunt, ſunt paſſiones, non patibiles qualitates.

FORMA hic, vel *figura*, eſt qualitas exteriùs determinans quantitatem, v.g. exterior lineamentorum diſpoſitio in ſtatuâ, & illa vocatur *forma*. Exterior autem diſpoſitio, in rebus naturalibus, v.g. in homine; Item, & in Geometricis vocatur *figura*.

Hæcque eſt, *vel*

plana	[v.g.	circulus
ſolida		cubus

item vel	habet angulos	[v.g.	triangulus.
	caret angulis		globus.

Qualitas ſuſcipit magìs, & minùs, v.g. calor.

Qualitas, qualitati propriè contrariatur, v.g. *albedo*, nigredini.

Omnis qualitas eſt fundamentum ſimilitudinis, & diſſimilitudinis.

DE

ACTIONE, ET *PASSIONE*.

ACTIO, eſt actus à quo quid denominatur agens. *Hinc* dicitur actus agentis vt agens. *Sic*

calefactio, eſt actus calefacientis, vt calefaciens eſt, v. g. eſt actus ignis vt calefaciens eſt, non verò vt eſt ignis, aut quid aliud.

Passio, eſt accidens à quo ſubiectum denominatur formaliter patiens, v. g. calefactio manûs, vnde hæc habet vt ſit formaliter calefacta.

Paſſio, eſt termini receptio, v. g receptio caloris in manu.

In actione, & paſſione ſunt

1. *Motor*, ſeu principium effectiuum motus.
2. *Potentia actiua*.
3. *Mobile*, ſeu ſubiectum motûs.
4. *Idoneïtas* ſubiecti ad formam recipiendam.
5. *Termini* à quo, & ad quem.
6. *Relatio* agentis ad patiens, & viciſſim.

Sic in calefactione manûs; ab igne, eſt calefaciens, *putà* ignis; virtus productiua caloris; priuatio caloris in igne, à quâ incipit calefactio; tum calor qui per hanc producitur; eſt & manus quæ recipit calorem ab igne; eſt & relatio ignis ad manum calefactam.

Actio, v. g. calefactio actiua, non eſt ignis, vis productiua caloris, calor productus, capacitas caloris in manu, ipſa manus, nec ipſa relatio manûs ad ignem, aut viciſſim; ſed eſt via caloris ab igne; eſt enim tranſitus à non eſſe caloris, ad eſſe caloris in ſubiecto.

ITEM, calefactio paſſiua, non eſt ſubiectum, putà manus; vel idoneïtas manûs ad recipiendum calorem; nec relatio manûs, ad ignem; ſed eſt receptio caloris in manu, ab igne. *Vid. in Methaphyſicâ*. pag. 64.

Hinc actio generatim ſpectatur, *vel*

principiatiuè		principium productiuũ actionis.
formaliter		ipſamet actio
obiectiuè	[vt eſt	obiectum
ſubiectiuè		ſubiectum [actionis
terminatiuè		terminus.

ACTIO eſt multiplex, *putà* ratione

1. *Principij*, eſtque vel

a Vitalis, quæ eſſentialiter eſt à potentiâ vitali, v. g. nutritio, viſio, intellectio.

b Non vitalis, quæ producitur vitâ non concurrente, v. g. calefactio ignis.

Item, eſt *vel*

a *Naturalis*, quæ ſit à principio ſecundùm inclinationem agentis, v. g. deſcenſus lapidis.

b. *Violenta*, quæ eſt à principio extrinſeco contra inclinationem patientis, v. g. proiectio lapidis ſurſum.

c. *Artificialis*, quæ producitur ab arte, v. g. ædificatio.

d. *Fortuita*, quæ ſit præter intentionem, v. g. occiſio hominis à tegulâ decidente.

Præterea ACTIO ſic eſt *vel*

a. *Neceſſaria*, quæ eſt ab agente ad vnum determinato, v g. illuminatio aëris à Sole.

b. *Libera*, quæ eſt ab agente actiuè ad oppoſita indifferente, v. g. locutio Petri.

2. SVBIECTI, eſt *vel*

a. *Immanens*, cuius terminus manet in principio à quo manat; v g. intellectio; verbum enim mentis quod ab ipsâ producitur, in ipsâ recipitur.

b *Tranſiens*, ea eſt cuius terminus tranſit extra agens, v. g. calefactio; nam calor, qui ab igne calefaciente producitur, in manu recipitur.

3. Termini, eſt vel

a. *Subſtantialis*, cuius terminus eſt ſubſtantia, v. g. creatio Angeli.

b. *Accidentaria*, cuius terminus eſt accidens, v. g. calefactio; huius enim terminus eſt calor.

4. Modi, eſt *vel*

a. *Inſtantanea*, quæ ſuum effectum producit in inſtanti, v g. illuminatio.

b. *Succeſſiua*, quæ ſuum terminum producit temporis morâ; v. g. refrigeratio aquæ. Hæcque eſt, *vel*

Tarda, quæ temporis morâ parùm promouetur, v. g. motus Teſtudinis.

Velox, quæ multùm paucâ temporis morâ promouetur, v. g. motùs Achillis.

Actio, *actioni* contrariatur, v. g. calefactio, refrigerationi. Idem dicas de paſſione.

Actio, & *paſſio* ſuſcipiunt magìs, & minùs, v. g. calefactio; etenim calor ſuſcipit magìs, & minùs.

DE

VBI, ET *QVANDO*.

VBI eſt accidens per quod res eſt formaliter in loco. Seu præſentia rei in loco; *putà* præſentia Petri in templo.

Alicubi, eſt præſentia in aliquo loco. Hinc primum Cœlum non eſt *alicubi*, ſed *nullibi*; cum in nullo ſit loco, capit enim omnia, & nullo ſpatio continetur.

V B I eſt, *vel*

1 *Fluens*, ſeu *vbi* rei quæ mouetur, v. g. vbi auis volantis.

2. *Permanens*, ſeu *vbi* rei quieſcentis, putà vbi ſcopuli.

ITERVM vbi eſt, *vel*

1. *Circunſcriptiuum*, ſeu id quo res eſt tota in toto loco ita vt ſingulæ illius partes ſingulis loci partibus correſpondeant, v. g. circunſcriptio Petri à ſuo loco; per eam enim eſt totus in toto loco, & ſingulæ illius partes diuerſis loci differentiis correſpondent; putà caput ſurſum, pedes deorſum, &c.

2. *Definitiuum*, quo res eſt tota in toto loco, & tota in ſingulis loci partibus, v. g. vbi Angelicum; Angelus enim eſt in loco ferè, velut anima rationalis, eſt in corpore.

3. *Sacramentale*, per quod corpus eſt totum in toto ſpatio, & totum in ſingulis ſpatii partibus ita vt connaturaliter, poſſit eſſe alibi, v. g. vbi corporis Chriſti Saluatoris ſub Euchariſticis Speciebus, per quod Chriſtus Dominus ita eſt Romæ, vt poſſit etiam eſſe Pariſijs.

Deus nullum habet *vbi* propriè; abſurdum enim eſt quærere vbi Deus ſit; cùm ſit *vbique*.

QVANDO, *eſt* accidens per quod res eſt formaliter in aliquâ temporis differentiâ.

E s t continentia rei à tempore durationem eius menſurante, v. g. fuiſſe heri; eſſe hodie; fore cras.

Q V A N D O non eſt *duratio* creata; nam prima luminis productio habet quando; poteſt enim quæri quandonam contigerit: at non habet durationem; fuit enim inſtantanea. Nec Angeli duratio eſt quando; quia Angelus non patitur à tempore.

Pati à tempore, eſt conſummari, & conſumi temporis ſucceſſu; qualia omnia corruptibilia. Hinc Poëtis *Saturnus* natos deuorabat, quos in lucem edebat. Eleganter Nazo, quâ ratione ſublunaria interirent, his expreſſit verſibus

Tempus edax rerum, tuque inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus aui
Paulatim lentâ conſumitis omnia morte.

QVANDO, nec contrarietatem habet; nec ſuſcipit magìs, & minùs.

DE

SITV, ET *HABITV*.

SITVS, eſt diſpoſitio partium viuentis in ordine ad ſe, & ad locum.

SIC *Stare*, eſt habere caput ſursùm, pedes deorsùm, & medias corporis partes erectas.

SITVS differt à *quantitate*, & *figurâ*; illa enim extendit præſertim materiam; hæc verò diſponit extremitatem quantitatis in ſe, conuenitque rebus tum animatis, tum inanimatis: at *Situs* propriè, eſt diſpoſitio partium integrantium ſolius viuentis, præſertim hominis, non ſolùm in ſe, ſed etiam in ordine ad locum. Sic eſſe pronum, eſt habere pedes deorsùm, & reliquum corpus inclinatum.

SITVS dicitur Metaphoricè de regnis, Prouintiis, & vrbibus.

SITVS eſt, *vel*

1. *Naturalis*, qui congruit viuenti, v. g. homini habere caput ſurſum, & arbori radices deorſum.
2. *Violentus*, qui repugnat naturali viuentis pro-

penſioni, v. g. homini, habere pedes ſurſum, & arbori, radices.

3. *Arbitrarius*, qui conuenit ad libitum, v. g homini, ſedere.

SITVS propriè non ſuſcipit magìs, & minùs; nec vnus alteri contrariatur.

HABITVS, eſt adiacentia indumenti, ornamenti, vel armamenti circa corpus, vel corporis partes, v. g circumpoſitio veſtis, *vel* togæ circa corpus; pilei, vel galeæ circa caput.

HABITVS eſt, *vel* ad

neceßitatem, aut commodũ	[v. g. circumpoſitio	veſtis.
defenſionem		enſis.
ornatum		annuli.
dignitatem, & officium		thiaræ.

Manicæ, & vincula non ſunt habitus propriè; ſunt enim ad deterius, & ad naturæ incommodum.

NATVRA non fuit homini Nouerca, licet eum non inſtruxerit ad defenſionem neceſſariis aduersùs externa incommoda; dedit enim ipſi inſtar omnium *mentem*, quâ ſibi neceſſaria præuideret, & prouideret, & *manum*, quâ ea ſibi facilè prępararet, eſt enim ὄργανον τῶν ὀργάνων, inſtrumentum inſtrumentorum.

NATVRA, belluis lanas, pilos, ſquammas conceſſit, & plumas, quibus eas aduersùs temporis iniurias ſeruaret; aduersùs autem inimicos, eas dentibus, cornibus, vel roſtris armauit; non ita ſe potuit erga hominem gerere; propter ſubtilitatem ipſius temperamenti, ipſiuſque naturæ indifferentiam ad oppoſita.

AD HABITVM requiritur vt

1. *Actu* corpori circumponatur; vnde veſtis in arcâ non eſt actu *Habitus*.

2. *Vt* non ſit pars habentis, vel quid ei cohærens; vnde nec vngues, vel vngulæ vllatenus ſunt habitus.

3. *Sit* corpus transferibile; vnde Angelus hominem circundans non eſt ipſius habitus: nec nauis, non enim geſtatur, ſed hominem deportat.

4. *Sit* eius gratiâ cuius eſt habitus. *Hinc* phaleræ non ſunt habitus equi, non enim ſunt huius, ſed hominis gratiâ. Quapropter habitus ſoli homini eſt proprius,

---

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

POSTPRÆDICAMENTA, ſunt termini generaliores prædicamentis, quorum in ijs eſt mentio, non explicatio. Eaque ſunt

1. modi { prioris, & poſterioris. / ſimul. / habendi, hiq; dicũtur de omnibus categorijs. }

2. ſpecies motus, v. g. { generatio, corruptio. / accretio, decretio. / alteratio. / latio. *De quibus in Phyſ.* 198. }

3. oppoſita, hæcque *vel*

incomplexa putà { relatiua. / contraria. / priuatiua. / contradictoria. }

Complexa. *De quibus infra.*

4. *Intendi*, & remitti; ſeu ſuſcipere magis, & minùs.

INTENDI propriè eſt acquirere plures homoge-

inter ſe pugnant vt ſimili modo, cum aliis pugnare non poſſint.

Oppoſita abſoluta; non enim calor, & frigus per ſe inuicem definiuntur.

Calor, & *frigus* ſunt ſub eodem genere, *putà* ſub tactili qualitate.

Maximè diſtant; nihil enim inter qualitates tactiles reperire eſt quod æqualiter pugnet cum calore, quàm frigus.

Ignis, & aqua per aliud, v. g. per calorem, & frigus; non verò per ſe, & formaliter pugnant.

Fieri poteſt vt contrarium à naturà nequeat è ſuo ſubiecto expelli, v. g. *durities*, è marmore.

Rationale, & irrationale non propriè contrariantur; quia non ſunt ſpecies eiuſdem generis; nec vnquam fieri poteſt vt *rationale*, poſſit eidem ſubiecto ineſſe, cui poteſt rationale; idem dicas de ſimilibus differentiis: at contraria poſſunt alicui ſubiecto eidem viciſſim ineſſe, v. g. durities, & mollities, eidem cæræ.

Idem eſt ſubiectum contrariorum. Putà ſcientiæ, & erroris, idem intellectus. Virtutis, & vitij, eadem voluntas.

Scientia eſt contrariorum; cum enim hæc, vt & quæuis oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcant, & ſcientia ſit euidentiæ parens; ideoque eiuſdem eſt ſcientiæ agere de oppoſitis; ſic Moralis de virtute, & vitio tractat; Logica de ſcientiâ, & errore, &c.

Datur vt plurimùm mutua contrariorum tranſmutatio; paries enim de albo poteſt fieri niger, & viciſſim. *Sic* pilus niger poteſt fieri canus, & rurſùs arte, infici nigro colore.

CONTRARIA ſunt *vel*

1. IMMEDIATA, quæ carent medio, v. g. veritas, & falſitas.

2. MEDIATA, quæ habent medium; vel per

a. *Participationem* extremorum, v g. calor, & frigus, teporem; tepor enim fit è calore partim, & frigore.

b. *Negationem* extremorum, v. g. virtus, & vitium; infantis enim *voluntas*, nec virtute, nec vitio afficitur.

PRIVATIVA, ſunt oppoſita inter ſe, vt habitus (*ſeu* forma,) & eius priuatio, v. g. viſiuum, & cœcum.

OPPOSITIO *priuatiua*; eſt pugna inter habitum, *ſeu* formam, & eius priuationem. *Putà* oppoſitio viſûs cum cœcitate.

PRIVATA diſtinguuntur A

RELATIS; non enim dicuntur reciprocè de ſe inuicem; viſus enim non dicitur cœcitatis.

CONTRARIIS *immediatis*; quia non eſt neceſſe alterum priuatiuorum ſemper ineſſe ſuo ſubiecto, v. g. viſum, aut cœcitatem oculo; nec enim in oculo catuli ante nonum diem eſt viſus, aut cœcitas: at propoſitioni ſemper ineſt veritas, aut falſitas.

CONTRARIIS *mediatis*; quia neceſſe eſt poſt certum tempus alterutrum priuantium ineſſe ſubjecto capaci: at non eſt neceſſe alterutrum contrariorum mediatorum; non enim eſt neceſſe aquam eſſe frigidam, aut calidam; poteſt enim eſſe tepida.

A *priuatione*, ad habitum inſitum non datur regreſſus; putà à morte, ad vitam.

CONTRADICTORIA, ſunt ea quæ opponuntur vt ens, & non ens ſimpliciter, v. g. loqui.

Digitized by Google

Suntque ea quæ ſub eandem penitùs affirmationem, & negationem cadunt.

Contradicentia, maximè omnium oppoſitorum inter ſe pugnant; cætera enim aliquâ ratione inter ſe conueniunt; *Relatiua genere*; ſunt enim eiuſdem categoriæ, v. g. pater, & filius; *Priuatiua*, *ſubiecto*; viſus enim, vel cœcitas poſſunt eſſe in eodem oculo. *Contraria*, *ſubiecto*, ſimul, & *genere* conueniunt, albedo enim, & nigredo ſunt eiuſdem generis; putà coloris; poſſuntque eidem ſubiecto ſucceſſiuè ineſſe; *putà* parieti: at *contradictoria*, nec *ſubiecto*, nec *genere* conueniunt; enti enim, & non enti nec *genus* eſt commune, nec *ſubiectum*.

Quamobrem neceſſe eſt alterum contradicentium eſſe verum, alterum eſſe falſum; de quolibet enim vera eſt affirmatio, vel negatio; nullum enim medium eſt inter ens, & non ens; ſic verum eſt quod Socrates ſit Philoſophus, vel non ſit Philoſophus; ſiue Socrates exiſtat, ſiue non exiſtat.

DE MODIS

PRIORIS, ET *POSTERIORIS*,

TVM MODIS SIMVL.

PRIVS dicitur altero, quod ipſum antecedit. Hocque *vel*

1. TEMPORE, quod eſt altero antiquius, v. g. *Imperium* Aſſyriorum, Imperio Perſarum; hoc, Imperio Græcorum: *hoc* demùm, Imperio Romanorum, in quo priùs Reges quàm Populus; hic, autem quàm Imperatores, Regnauit.

2. Ordine, ſeu diſpoſitione, quo vnum priùs ponitur altero, v. g. exordium, narratione, narratio, confirmatione, hæc demùm peroratione.

3. Dignitate, quod alterum excellentiâ præcedit, v. g. qui alium ſapientiâ antecellit putà doctus, ignarum; vel qui virtute, nimirùm probus, impium; Vel denique authoritate, ſicut Magiſtratus, ciues, ſuperat.

4. Existendi *conſequentiâ*; ſeu id vnde non valet conſecutio, ſeu quo poſito aliud non ſequitur, v. g. animal reſpectu hominis, nequit enim rectè inferri homo ex animali.

5. Origine, eſt is qui priùs altero debet enumerari, v. g. Pater Diuinus, Filio; quia Verbum à Patre oritur, non vice verſâ.

6. Causalitate, *ſeu* naturâ, cum vnum dependet ab alio, non viciſſim: putà cauſa actualis reſpectu ſui effectûs, v. g. Sol, lumine; vel cauſa virtualis, v. g. rationalitas, virtute ridendi. Licet hæc cauſa cum ſuo effectu reciprocetur.

TOT modis dicitur *Poſterius*, quot modis dicitur *Prius*, v. g. Imperium Perſarum, Imperio Aſſyriorum; narratio, exordio; Ignarus, docto; homo, animali; Verbum Æternum, Patre Diuino; lumen, Sole.

SIMVL, ea dicuntur quorum nullum alio prius eſt, vel poſterius. Hocque dicitur præſertim

1. Duratione, quorum vnum nec fuit ante, nec poſt aliud, v. g. Pater Diuinus reſpectu Filij Æterni.

2. Naturâ, quorum vno poſito alterum poni, vel ſublato ſtatim tolli neceſſe eſt, v. g. Paternitas, reſpectu filiationis.

3 Definitione, quæ per ſe ſe inuicem definiuntur; qualia ſunt relata.

4 Divisione, quæ eodem inſtanti diuiduntur, v. g. membra idem totum immediatè diuidentia, v. g rationale, vel irrationale, reſpectu animalis.

DE

SIMPLICIBVS TERMINIS

INTER SE COMPARATIS.

TERMINI ſimplices inter ſe comparati (è quorum notitiâ tota pendet diſcurrendi ratio.) Sunt vel

1. *IMPERTINENTES*, ſeu *diſparati*, qui neque *connexi* ſunt, neque *repugnantes*, v. g. ſtatuarius, & medicus.

2. *PERTINENTES*, ſunt vel { connexi. repugnantes.

a. Connexi, hique ſunt qui habent inter ſe connexionem, ſuntque *vel*

α. *Reciproci*, qui de ſe inuicem generaliter affirmari poſſunt, v. g. homo, & rationale.

Reciprocari, *ſeu* dici ad conuertentiam, eſt de ſe mutuò vniuerſaliter poſſe affirmari, v. g. ens, & verum, omne enim ens eſt verum. & viciſſim.

Homo, & animal, non reciprocantur, nam licet omnis homo ſit animal, non tamen omne animal eſt homo.

β. *Non reciproci*, qui de ſe inuicem generatim dici nequeunt, v. g homo, & animal.

Terminvs tum *reciprocus*, tum non reciprocus eſt *antecedens*, vel *conſequens*.

Conseqvens, eſt is quo poſito non ſequitur alius; tale eſt omne *Superius* reſpectu *Inferioris*, v. g. *viuens* reſpectu *animalis*; ſiquidem *inferiora* ſunt eſſentialiter *ſuperiora*; *putà* homo eſt eſſentialiter animal, *ſuperiora* ſunt accidentariò *inferiora*; v. g. animal eſt accidentariò homo; illud enim poteſt eſſe ſine homine.

Item *pars* eſt conſequens reſpectu *totius*, v. g. *vnitas* reſpectu *dualitatis*. Cauſa *reſpectu* effectûs; Deus reſpectu creaturæ. Item potentia eſt *conſequens* reſpectu actûs, à potentiâ enim ad actum non valet conſequentia.

Antecedens, eſt is quo poſito ſequitur alius; tale eſt inferius, ad *ſuperius*; totum, ad *partem*; effectus, ad *cauſam*; actus ad *potentiam*, &c.

Repvgnantes, ſunt termini incompatibiles; putà *primo-diuerſa*; v g. Deus & materia prima; ſubſtantia, & accidens; rationale, & irrationale; Item *Diuerſa*, putà homo, & Bellua; tum ſpecies. & differentia ei oppoſita, *nimirùm* homo, & irrationale, &c. tum Denique *Oppoſita propriè* videlicet *Relatiua*, pater & filius; *Contraria*, calor, & frigus; *Priuatiua*, viſus, & cœcitas. *Contradictoria*, putà eſſe, non eſſe.

DE ORATIONE.

ORATIO Logicis, eſt vox ex inſtituto ſignificans cuius aliqua pars ſeparatim ſignificat vt dictio, non vt affirmatio, aut negatio, v. g. Deus bonus; nam hæc vox *Deus*, eſt dictio ſignificans ſine affirmatione, vel negatione; Item, *Bonitas*.

Vox, eſt ſonus ab animalis ore prolatus, per inſtrumenta vocalia, cum intentione aliquid ſignificandi.

Digitized by Google

Hinc *ſonus* campanæ, aut ſimilium, non eſt *vox*; cum non edatur ab animali.

Sonus, manibus, aut aliis animalis partibus excitatus; non eſt *vox*. non enim prodit animalis ore.

Tuſſis, non eſt *vox*; non enim elicitur inſtrumentis vocalibus; videlicet linguâ, dentibus, &c. Hinc *ſonus* inſtrumentorum artificialium, v. g. tibiæ, buccinæ, &c. non eſt *vox*.

Cantus auium, eſt *vox*, fit enim cum intentione lætitiæ declarandæ.

ORATIO, eſt vox complexa connexione, & ordine, non ſolùm multitudine. Vnde hæ voces Cœlum, Solum, Salum, non eſt oratio: at ſunt ſolùm plures termini ſimplices.

Partes orationis apud Logicos, ſunt tantùm NOMEN, & VERBVM.

DE NOMINE.

NOMEN, eſt vox ſimplex finita, recta, ex inſtituto ſignificans ſine tempore, cuius nulla pars per ſe ſignificat ſeparatim, v. g. ſapor.

NOMEN, eſt *vox ſimplex*; ſeu ſine periphraſi, aut æquiuocatione; nomen enim logicè debet diſtinctè, & clarè conceptum ſignificare; oratio quippe logica, eſt ſermo veritatis: at veritatis ſermo eſt ſimplex: periphraſis verò confuſionem, & æquiuocationem parit.

Vox finita; nam oratio logica debet ſignificare quid determinatum: at vox infinita, v. g. *non homo*, nihil determinatè ſignificat.

☞ *Recta*; caſus enim obliqui, aut nihil ſignifi-

cant, putà hominis, homini, &c. vel obſcuritatem pariunt; ſermoniſque philoſophici puritatem inficiunt. Vnde *nomen* extra *rectum* vocatur *caſus*, & quid obliquum. Quapropter non valet, v. g. hæc dicendi ratio, *conſtat Boetium accuratè definiſſe* æternitatem, Interminabilis vitæ totam ſimul, &c. at rectiùs dicitur, Boëtio, æternitas, eſt interminabilis vitæ, tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.

Nulla pars per ſe ſignificat ſeparatim, v. g. huius nominis *calor*. Nomen tamen poteſt per accidens aliquid aliud ſignificare, quàm in toto, v. g. *Dominus*; *do*, quidem, & *minùs* aliquid ſignificant: at non idem quod *Dominus*.

Significat ſine tempore, non enim ſignificat varias temporis differentias. Significat quidem tempus; putà hora, dies, &c. Item rem tempori addictam, v. g. prandium; eſt enim comeſtio fieri ſolita meridiano tempore: at non ſignificat cum tempore.

FINIS *Orationis vocalis*, eſt conceptuum declaratio; ſocietatiſque conſeruatio.

MATERIA nominis, eſt *Vox*.

FORMA, eſt eius ſignificatio.

In hàc propoſitione, *Deus eſt nomen*; *Deus* ſumitur materialiter; ſeu pro ſolà voce. In hâc alterâ verò *Deus eſt optimus*, *Deus* ſumitur formaliter; ſeu pro re ſignificatâ.

CAVSA efficiens *nominis*, eſt hominum inſtitutio; etenim eſt penes eorum arbitrium, & ius, & norma loquendi.

DE VERBO.

VERBVM eſt vox finita, recta, ex inſtituto ſignificans cum tempore, cuius nulla pars ſe-

paratim ſignificat, & eſt ſemper notà eorum quæ de aliquo dicuntur.

VERBVM ſignificat cum tempore; ſignificat enim per varias inflexiones, diuerſas temporis (putà præſentis, præteriti, & futuri) differentias, v. g. *amo*, *amaui*, *amabo*.

Vox recta, id eſt temporis præſentis; verbum enim extra præſens, non eſt verbum; ſed verbi inflexio, ſeu defectio.

Hinc propoſitio de præterito, vel futuro debet verificari per tempus præſens; nulla enim propoſitio de præterito, vel futuro eſt vera; niſi ſit vera in tempore præſenti; vnde hæc propoſitio Cicero perorauit pro Milone, non eſt vera, niſi olim verum fuerit dicere, hìc & nunc Cicero perorat pro Milone.

Eſt ſemper nota eorum quæ de alio dicuntur; quia verbum præter tempus denotat *actionem*, vel *paſſionem*, v. g. amo, vel amor, amorem.

PARTICIPIVM, & verbi, & nominis actum ſignificat; vnde vtriuſque virtutem participat, v. g. *amans*,

DIVISIO ORATIONIS.

ORATIO eſt, *vel*

1. PERFECTA, quæ completum ingenerat ſenſum animis auditorum, v. g. inuidus eſt ignarus.

2. IMPERFECTA, quæ perfectum ſenſum non ingenerat animis auditorum. v. g. quos ego.

ITERVM ORATIO eſt, *vel*

1. ENVNTIATIVA, quæ aut

Digitized by Google

a. *Affirmat*, v. g. Deus eſt veritas.

b *Negat*, v. g. nullus impius, eſt fœlix.

NON *enuntiatiua*, quæ nec affirmat, aut negat, v. g. Sol lucidus.

ITEM ORATIO eſt, *vel*

1. NON *Logica*, quæ non conducit ad Veritatis illuſtrationem, v. g. oratio Grammatica, Rethorica, Poëtica.

2. LOGICA, quæ per ſe ducit ad veritatis illuſtrationem; etenim *Grammatica*, congruè; *Poëtica* gratè; *Rethorica* ornatè; *Logica* autem verè de rebus diſſerit.

Oratio Logica præſertim eſt *diuiſio*, *definitio*, *argumentatio*, & *methodus*. *De quibus ſigillatim agemus*, *ac primò quidem*

DE DIVISIONE.

DIVISIO, prior eſt definitione; quia hæc per illam inuenitur.

Diuiſio, generatim, eſt diſtributio totius in partes. Eſtque *vel*

1. REALIS, quæ fit independenter à mente, v. g. ſeparatio animæ à corpore; hæcque eſt Phyſica, ſeu naturalis. Vel artificialis; quæ fit interuenientibus artis præceptis, v. g. *Anatomica* partium animalis *diſſectio*.

2. MENTALIS, quæ fit dependenter à mente, vocaturque *diuiſio Logica*, v. g. diuiſio cœli, vel terræ in quinque Zonas.

ITEM diuiſio eſt *vocis*, vel *rei*.

1. DIVISIO *Vocis*, eſt diſtinctio termini am-

bigui in ſuos ſignificatus. Eſtque, vel diuiſio *Termini*

a. *Analogi*, ſic *Sanum* ſignificat ſubiectum, cauſam, vel ſignum ſanitatis. Seu ἐπιδεκτικὸν, ποιητικὸν, δηλωτικὸν, *ſanitatis*.

b. *Æquiuoci*, ſic Taurus ſignificat animal mugitiuum, ſignum cœleſte, quod Sol decurrit menſe Aprili; vel montem Armeniæ.

c. *Paronymi*, ſeu concreti adiectiui, ſignificat enim diuerſimodè ſubiectum, & formam, *v. g.* album ſignificat confusè cretam, diſtinctè verò albedinem.

2. Divisio *rei*, eſt vel diuiſio totius per { ſe. / accidens. }

Divisio totius per accidens eſt, vel *totius per*

1. *Aggregationem* { naturalem / artificialẽ / arbitrariam } [v. g. diuiſio { vniuerſi. / horologij. / numeri. }

2. *Coniunctionem* plurium in eodem ſubiecto, v. g. diuiſio entis in decem Categorias; hæ quippe reperiuntur ſimul in eodem Petro.

3. *Separationem*. Hæcque diuiſio eſt, *vel*

a. Subiecti in accidentia, v. g. marmoris in nigrum, album, vel variegatum.

b. Accidentis, in ſubiecta, v. g. diuiſio albedinis, in niueam, gypſeam, lacteam.

c. Accidentis in accidentia, v. g. diuiſio Philoſophorum in Arabes, Ægyptios, Græcos, Romanos. Item diuiſio Medicorum in Empiricos, Methodicos, & Dogmaticos.

DIVISIO totius per ſe, eſt vel *totius*

1. Essentialis, ſeu in partes eſſentiales, *vel*

a. *Metaphyſicas*, nempe genus, & differentiam,

v. g. diuiſio animalis in viuens, & ſenſitiuum.

b. *Phyſicas*, nimirùm materiam, & formam, v. g. diuiſio animalis in corpus, & animam ſenſitiuam.

2. INTEGRANTIS, ſcilicet in partes integrantes, v. g. partitio corporis humani in caput, truncum, & artus.

Sic Medicina eſt, *vel*

Φυσιολόγικη, quæ hominis naturam, vires, & functiones conſiderat.

Παθολόγικη, quæ affectus præter naturam, eorumque cauſas inueſtigat.

Σημειώτικη, quæ ſigna expendit, quibus morbi dignoſcuntur, & futura circa morborum euentus prædicuntur.

Υγιεινὴ, quæ commodam victûs in ſanitate tuendâ rationem præſcribit.

Θεραπεύτικη, quæ medendi rationem præſcribit. Eiuſque ſpecies ſunt *Diætica*, *Pharmatica*, *Chirurgica*; Dietâ quippe, Pharmaco; ferro, vel igne, corporis humani morbi curantur.

3. POTENTIALIS, ſeu diuiſio totius in partes ſolùm poteſtate in toto contentas; putà diuiſio

a. *Vniuerſalis*, in ſua inferiora, v. g. *animalis*, in hominem, vel belluam; vel in ſuas differentias diuiſiuas, *v. g.* diuiſio *animalis*, in rationale, vel irrationale.

b. *Cauſalis* in ſuos effectus, *v. g. diuiſio* potentiæ artificis. in ſua opera.

TOTVM quod diuiditur, vocatur *Diuiſum, v. g.* homo.

PARTES, in quas totum diuiditur, vocantur *membra diuidentia*, v. g. corpus, & anima rationalis reſpectu hominis.

Diuiſio nominis, *deceptioni*; diuiſio autem rei *confuſioni* medetur.

AFFECTIONES DIVISIONIS.

1. TOTVM in ſuas, non in alienas partes diuidatur; hinc malè, corpus naturale in atomos diuiditur; ijs quippe non conſtat.

2. DIVISIO ſit

a. *Adæquata*, non enim partes collectiuè latiùs, vel anguſtiùs patent toto; nec viciſſim, quapropter *Diuiſio* eſt reciproca; ſic omne viuens eſt ſenſitiuum, vel vegetatiuum, & omne ſenſitiuum, vel vegetatiuum, eſt viuens.

Vnde Diuiſio eſt vitioſa, quæ vel eſt

a. *Anguſtior*, v. g. diuiſio ſubſtantiæ in ſenſitiuam, & vegetatiuam; Angelus enim eſt ſubſtantia; nec ipſe eſt ſenſitiuus, vel vegetatiuus. Item, diuiſio animalis in aëreum, terrenum, & aquatilé; nam eſt, & animal amphibium; putà Fiber, Teſtudo.

b. *Prolixior*, v. g. diuiſio Angeli in corporeum, vel incorporeum; aut animalis in mortale, vel immortale; vel Medicinæ in ſpeculatiuam, & practicam. Nulla enim eſt Medicina ſpeculatiua; animal immortale, nec vllus Angelus qui ſit corporeus.

3. MEMBRA *oppoſita*; eſt enim diſtributio totius in partes: partes autem ſunt extra ſe inuicem. Hinc diuiſio cognitionis in abſtractiuam, intuitiuam, & comprehenſiuam nulla eſt; comprehenſiua enim intuitiuâ continetur.

4. IMMEDIATA, quia diuiſio eſt adæquata: at diuiſio mediata, eſt vt plurimùm anguſtior, v. g. prædicta ſubſtantiæ diuiſio.

Diuiſio tamen mediata in practicis, modò ſit longo

vſu à peritis recepta; eſt retinenda, v.g. diuiſio vniuerſalis in genus, ſpeciem, differentiam, &c.

5. Breuis; diuiſio quippe nimia nulla; etenim diuiſio rei in atomos, eſt confuſio; ſicque diuidere, eſt rem concidere, & in confuſionem incidere. Vnde diuiditur accuratiùs litera in vocalem, & conſonantem, quàm in A. B. C. &c.

Quamobrem quantùm fieri poteſt in diuiſionibus ſeruanda eſt *Dicotomia*; ſeu bimembris diuiſio; ſeu diuiſio in duo membra oppoſita, v. g. diuiſio *entis* in *ſubſiſtens*, vel non *ſubſiſtens*.

DE DEFINITIONE.

TANTÆ neceſſitatis eſt tractatus de definitione, vt qui hunc ignorauerit de ſcientiarum adeptione deſperare neceſſe ſit; ſiquidem *ipſa definitio*, eſt *medium demonſtrationis*: demonſtratio verò, ſyllogiſmus ſcientificus. Vnde tantò ad ſcientiam quis debet exiſtimare ſe accedere, quantò plures compertas habet rerum definitiones, & ab eâ ſe recedere, quantò plures ignorat. Quapropter (cum is ſolus definitiones comprehendat qui rerum eſſentias procreauit) Plato dictitare ſolebat ſe eum, qui ipſi rerum omnium definitiones explanaret, adoraturum. Quamobrem non mirum eſt, cum rerum definitiones ab omnibus ferè qui ſcientias adipiſci tentant, quaſi inutiles negligantur, ſi quam-perpauciſſimi in ſcientiis progreſſum faciant. Cum autem in hocce *duplici tomo*, tibi (ſtudioſe lector) definitiones, quàm potui accuratè ſuppeditauerim, eas, præſertim metaphyſicas, vt & hunc accuratum

de definitione tractatum exactiſſimè, & mente, & memoriâ calleas; alioqui te ſcientia certiſſimè fugiet, nec vnguam ad ſcientiarum callem poteris peruenire.

DEFINITIO, eſt aperta operti explicatio. Hæcquæ eſt *nominis*, vel *rei.*

DEFINITIO, ſeu *notatio nominis*, quæ & *nomenclatura* appellatur, eſt interpretatio vocabuli, *v. g. mentiri*, eſt ire contra mentem; *intelligere*, eſt intùs legere; *humilitas*, virtus quâ quis velut humi latet. *Superbia*, vitium quo quis it ſuper debitum honorem. *Fides*, virtus quâ fit dictum; μώρον, fatuus, quaſi μὴ ὁρῶν, non non videns; ἁγία, ſanctitas, quaſi ſeparatio à terra. *Tranſparens*, trans quod, aliquid apparet, &c.

HÆC non eſt certa; quia *vel*

a. NOMINA mutantur; hinc non rectè dicitur *pontifex*, is qui facit pontem. Lapis, id quod lædit pedem. *Elementum*, id quod eleuat mentem.

b. CASV rebus imponuntur; hinc *perfectum*, non rectè dicitur perenniter factum; nam Deus eſt perfectus, nec ſine piaculo poteſt concipi eſſe factus.

c. PER *antiphraſim* dicuntur, *v. g. lucus*; quia minimè lucet. *Parca*; quia minimè parcit. *Fatuus*; quia fari nequit.

Definitio nominis differt ab *Anagrammate*; quòd hoc ſolis nominibus propriis conuenit, ijſdemque penitùs literis conſtare debeat (*v. g.* hoc Petrus Godartius, gratus Dei portus.) *Nomenclatura*; non item.

DEFINITIO REI, eſt oratio exponens *Quid*, vel *Qualis* res ſit; hinc duplex eſt *nempe*

1. *Eſſentialis* [quæ { ſimpliciter Definitio [appellatur.
2. *Accidentaria* [quæ { Deſcriptio

Hæc oratoribus, familiaris; *illa* Philoſophis eſt propria; quia explicat id per quod res, immutabiliter eſt id quod eſt. *Deſcriptio* verò id per quod nec eſſentialiter, aut ſemper res eſt id quod eſt.

Etymologia, eſt velut *Vmbra*; Deſcriptio. quaſi *Veſtigium*; Definitio verò eſt vt *Imago* eſſentiæ definiti; *hæc* enim graphicè eſſentiam definiti; *Deſcriptio* verò minùs accuratè; *nomenclatura* denique ipſam incertò, & obſcurè repræſentat.

DE
DEFINITIONE ESSENTIALI.

DEFINITIO eſſentialis eſt oratio explicatiua eſſentiæ definiti.

Ex operationibus, potentias, è potentiis nouimus eſſentias.

Dicitur, ὅρος οὐσιώδης quia intra eam tota eſſentiæ ratio continetur, *& eſt duplex*, putà

1. PHYSICA, ſeu oratio explicans naturam rei per partes eſſentiales phyſicas, *putà* per certam materiam, & formam ſubſtantialem, *v. g.* dum *homa* definitur *compoſitum è corpore erecto*, & *animâ rationali.*

2. METAPHYSICA, ſeu Logica eſt oratio explicans eſſentiam rei per *genus proximum, & differentiam maximè propriam*; *v. g.* dum *animal* definitur *viuens ſenſitiuum.*

Hæc diſtinguitur à ſpecie, *modo*, non *re*; vt vola,

ſeu manus euoluta, & expanſa, à pugno ſeu manu inuolutâ; quod ſcilicet *ſpecies* ſit *eſſentia* latens, & inuoluta: *definitio* autem ſit *eſſentia* patens, & euoluta.

Definitio conſtet genere proximo, & differentiâ maximè propriâ; ſic malè *viſus* definitur potentia luminis, & coloris perceptiua; *homo* animal bipes: quia *potentia* non eſt genus proximum viſûs, nec *bipes* differentia propria hominis.

Species tamen definiri poteſt per genus remotum, modò afferantur omnes differentiæ inter ipſum, & definitum interiectæ; ſic *homo* definiri poteſt *ſubſtantia, corporea, animata, ſenſitiua, rationalis.*

Prior definitio melior, quia cæteris paribus eſt breuior.

Sola *ſpecies Metaphyſica*, ſolumque compoſitum Phyſicum poteſt eſſentiali definitione definiri. *Hoc*, Phyſicâ, & Metaphyſicâ. *Illa* verò, ſolâ definitione Metaphyſicâ; cum res Metaphyſicæ careant materiâ Phyſicâ.

Hinc generaliſſimi termini; cum non habeant genus ſupra ſe, nequeunt definiri, v. g. *ens, principium, &c.*

Nulla differentia, vt eſt differentia, poteſt exactè definiri, *v. g.* ſenſitiuum (dicitur quippe principium vitæ, & ſenſûs,) Siquidem nulla differentia includit genus.

DE DESCRIPTIONE.

DESCRIPTIO, eſt oratio explicans rem per adiacentia; fitque multis modis. Nempe per

1. *Cauſam finalem*, ſic *horologium*, dicitur artefactum ad indicandas horas. Quodlibet artefactum, eâ ratione poteſt deſcribi; ſic dicitur *clauis*, artefactum, ad reſerandas ſeras; *penicillus*, artefactum, ad exarandas tabellas. *Domus*, artefactum ad expellendas aëris iniurias.

2. *Cauſam efficientem*, ſic *Eclypſis*, dicitur poſitio terræ Solem inter, & Lunam.

3. *Cauſam exemplarem*; ſic *Tempus*, dicitur immobilis æternitatis mobilis effigies. *Philoſophia*, ſimilitudo ſapientiæ diuinæ.

4. *Effectus*; ſic *Philoſophia*, dicitur ars vitæ, meditatio mortis; vita animæ, mors corporis.

5. *Proprietates*; ſic *Rubarbarum*, dicitur herba bilis purgatiua; Senna, melancholiæ; *Agaricum*, pituitæ. Sic *Magnes* dicitur, lapis attractiuus ferri, & conuerſiuus ad polum.

9. *Accidentium congeriem*; ſic *Hiſtoria*, dicitur teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, parens immortalitatis.

7. *Metaphoram*, & *Analogiam*; ſic *Pax*, dicitur tranquilla libertas; *ira*, cos fortitudinis; ſanguis nectar viuificum; *ſcientia*, elementum, & animæ alimentum; *oculus*, feneſtra animæ. *Mors*, ſumma vitæ. *Caput*, arx, corporis. *Fœlicitas*, centrum deſideriorum. *Philoſophia collectiuè*, concentus, conſenſuſque ſcientiarum.

8. *Aliquid ex iis mixtum*; ſic *cor*, dicitur principium vitæ, focus caloris natiui, officina ſpiritûs vitalis, arteriarum ſcaturigo, pulsûs primus motor, quo vigente, vigent, languente, languent, moriente, intereunt omnia.

9. *Negationem*, ſic *materia*, deſcribitur à Philo-

Digitized by Google

ſopho, quod non eſt quid, nec quantum, nec aliquid eorum quibus ens determinatur; ſed eſt commune eorum ſubiectum.

REGVLÆ DEFINITIONIS.

QVODLIBET definiatur, per id per quod eſt; hinc non malè definitur *Euphonia*, ſuauis, & concinna vocis modulatio. Item *tonus*, acuta, vel grauis enuntiatio vocis; *cantus*, modula vocis flexio.

Vnde malè definitur bellua machina ſe ſe mouens. Hinc etiam perperam definîtur rarum, corpus habens multas vacuitates.

2. *DEFINITIO*, ſit *clarior definito*; quia eſt explicatio definiti; obſcura enim obſcurris efferre, eſt in tenebris extinctum lumen afferre.

Hinc malè Philoſophia, vel Iris, dicitur Taumantis; quia id eſt obſcurius, Philoſophiâ, aut Iride. Eſtque aliquid ſimile veterum picturis, quibus neceſſe erat inſcriptionem apponere vt noſcerentur.

Quare definitio conſtet vocibus rectis, non alienis, aut abſolutis; quamobrem perperam *voluntas* dicitur cubile libertatis; *medulla*, oſſigena; aut *verbum*, quod verum boat. Item *anima*, numerus per ſe mouens. *Homo* gradus conſtans animalitate, & rationalitate.

3. DEFINITVM, ſi ſit *abſolutum*, non ingrediatur definitionem. Hinc malè definitur *perfectum*, id cui nihil deeſt ſecundùm modum ſuæ perfectionis. *Albedo*, id quod dealbat. Syllogiſmus,

oratio includens diſcurſum; diſcurſus enim propriè, & ſyllogiſmus ſunt quid vnum, & idem.

4. *DEFINITIO* ſit propria definito; quia debet exhibere id per quod definitum in ſe conſtituitur, & à cæteris diſtinguitur, hinc malè definitur *planta*, viuens vireſcens: nam fungus, item cuſcuta eſt planta, nec vireſcit. Item *portus*, locus concluſus in quem importantur, & è quo mercesexportantur, nam id etiam conuenit apothecæ mercatoris.

Item *vox*, eſt aër ictus auditu perceptibilis; ſonus enim campanæ eſt eiuſmodi, nec eſt *vox*. Similiter perperam Logica, dicitur ars cogitandi; nam Rethorica, eſt etiam eiuſmodi.

5. *SIT* adæquata, nec *latior*, ſeu *ſuperflua*, ne confuſionem pariat; nec *ſtrictior* ſeu *manca*, nè generet obſcuritatem. Hoc duplici vitio, hæc definitio laborat, quâ dicitur liberum, quod eſt voluntarium cum inclinatione. Voluntarium enim includit inclinationem, nec omne voluntarium eſt liberum. Item hæc quâ *Philoſophia* definitur, *cognitio certa, & euidens rerum naturalium per cauſas*. Siquidem hi duo termini *certa*, & *euidens*, ſunt ſuperflui, vt diximus, pag. *tom. prim.* Item eſt manca; ſiquidem non ſolùm eſt *rerum naturalium*, ſeu *Phyſicarum*, verùm etiam *rerum Metaphycarum*. Item non ſolùm eſt *cognitio per cauſas*, ſed per proprias cauſas. Hinc qui probaret *plantam* nutriri, quia vegetat, non Philoſophicè procederet; nam vegetat, eſt quid commune ad probandam augmentationem, & plantarum generationem.

6. RELATA per ſe ſe inuicem definiantur, habent enim ſuum eſſe per ordinem ad ſe inuicem. Hinc duplum definitur dimidij duplum; & dimidium, dupli dimidium.

7. *POTENTIÆ*, *Habitus*, eorumque *actiones* definiantur per ordinem ad eorum obiecta, ſic dicitur Medicina, *ars architectonica conſeruatiua poſſeſſæ ſanitatis, & amiſſæ reparatiua.* Viſio, perceptio luminis, & coloris.

8. ACTIO, definiatur per terminum ad quem; ſic *eductio Phyſica*, dicitur productio formæ dependenter à ſubiecto. Item *calefactio*, productio caloris. Sic etiam illuminatio, vt eſt actio dicitur, productio luminis.

9. *MVTATIO*, per ordinem à *termino à quo*, & *ad quem*. Sic *illuminatio*, definitur tranſitus à tenebris ad lumen. *Latio*, eſt motus è loco in locum.

10. INSTRVMENTA, per vſum; ſic *oculus*, deſcribitur organum viſus; *calamus*, organum ſcribendi.

11. *NOMINA* deſinentia in

-Iuus, *-iua*, *-iuum*, debent exponi; per *actiuum*; ſic ſenſitiuum dicitur, quod habet facultatem ſentiendi; *ſeu* quod ſenſu percipere poteſt, &c.

-Ibilis, & *-ibile.* Debent exponi per *paſſiuum*: ſic ſenſibile deſcribitur; quod poteſt ſenſu percipi. Item intelligibile, id quod poteſt intellectu percipi, ſeu intelligi.

12. SVPERLATIVA, per comparatiua, ſic explicentur, v. g. *optimum*, eſt id quo nihil melius; *ſupremum*, quo nihil ſuperius; *primum*, quo nihil prius. *Vltimum*, quo nihil eſt vlterius.

13. *COMPARATIVA*, per verbum *ſuperat*, *vincit*, aut ſimile; ſic *melius*, dicitur id quod aliud bonitate ſuperat; *deterius*, eſt id quod aliud malitia vincit, &c.

Digitized by Google

PRIMVM poſitiuo caret, vt & *vltimum*; in reliquis verò nullum ferè *ſuperlatiuum* ſine *comparatiuo*; nec comparatiuum ſine *poſitiuo*.

14. CONIVGATA, coniugatè deſcribantur; ſic ſicut *ſcientia* eſt cognitio rei neceſſariæ per proprias cauſas; ita *ſcire*, eſt cognoſcere res neceſſarias per proprias cauſas. Similiter *ſcibile*, eſt neceſſarium cognoſcibile per proprias cauſas.

15. *ACCIDENTIA*, quæ affectant *ſubiectum*, definiuntur per ordinem ad ipſum. Sic *gibboſitas*, dicitur tumor dorſi; *ſimitas*, curuitas naſi. *Curuitas* ſecundùm ſe quum non dicat eſſentialem ordinem ad certum ſubiectum, per reſpectum ad illud non definitur; eſt enim inflexio cuiuſuis lineæ.

16. SIMILIVM, *ſimilis*, eſt ratio; *diſſimilium*, diſſimilis ratio; ſicut enim vtile eſt procuratiuum boni; ſic noxium eſt boni priuatiuum; ſeu mali procuratiuum.

17. *ADVERBIA* definiantur per particulam ſecundùm, v. g. hæc, *fundamentaliter*, eſt ſpectari ſecundùm fundamentum; *formaliter*, ſecundùm formam; *entitatiuè*, ſecundùm entitatem, &c.

COROLLARIVM.

☞ VT rectè definias inuenienda ſunt prædicata communia rei definiendæ cum cæteris, & ea quibus ab omnibus diſcrepat, donec *definitio* fiat *adæquata* Definito, tum inueniſti definiti eſſentiam; hæc enim poſita eſt in primariâ, conuenientiâ, & diſconuenientiâ definiti cum rebus omnibus.

☞ Dis-

& DISTRIBVTIONE Categoriarum à ſe inuicem, &, *ſuperiorum* in inferiora, inueniuntur *genus proximum*, & *eſſentiales differentiæ* ſpecierum conſtitutiuæ; id patet è ſuperiori tabula pag. 171.

Item ſi definienda tibi ſit potentia, putà Viſus; hoc pacto procedes; viſus non eſt *ſubſtantia*, non enim eſt ens per ſe ſubſiſtens, nec *quantitas*; cum non extendat materiam, nec *relatio*, aut *aliquid eorum* quibus ens determinatur, niſi *qualitas*: viſus autem, non eſt *habitus*, vel diſpoſitio, *patibilis qualitas*, aut *paſſio* nec *forma*, vel *figura*; igitur viſus eſt *potentia*; nec eſt *potentia ſpiritalis*; igitur eſt *potentia materialis*; nec eſt *potentia inanimata*; quamobrem eſt *potentia animata*; non *vegetatiua*; vnde eſt *potentia* animæ ſenſitiuæ; viſus non eſt *pôtentia locomotiua*, vel *appetitiua*, quapropter viſus eſt potentia *illius* cognoſcitiua: ea autem eſt SENSVS; hic verò eſt *internus*, vel *externus*; VISVS non eſt *ſenſus internus*; Igitur eſt SENSVS EXTERNVS; hic autem eſt eius genus proximum; quia nullum eo proximius reperiri poteſt; cum autem potentiæ ſpecificentur ab obiectis: obiectum autem viſûs, ſit lumen, & color; idcirco accuratiſſimè, VISVS definiri poteſt, *ſenſus externus luminis, & coloris perceptiuus*. Id facilè concipis, ſi fortè ſcias quæ dixim. fusè in libris de animâ, & hic pag. 231.

VITIOSA eſt definiendi ratio, ſi omnium quæ ambiguè dicuntur, vnica definitio communis ſtatuatur; hinc perperam propoſitio definitur *oratio ſtatuens aliquid de aliquo*; vel *oratio judicatiua*; non enim ſunt clariores definito; nec definitum eſt vnum; cum ſit ambiguum. Sic pax non rectè dicitur *tranquilla quies*. Item *vita*, principium ſe ſe mouendi; Enimverò ambigua priùs ſunt diſtinguenda, quàm definienda; ſic

deſcribi poteſt PAX

a. POPVLI, libera tranquillitas, & publicæ proſperitatis fœlicitas.

b. ANIMI, eſt cum probis moribus concordia, cum prauis diſcordia.

c. INTER BONOS, eſt ordinata proborum tranquillitas conſentientium in animi bonis.

SIC definitur VITA

a. DEI, eſſentialis comprehenſio veritatis, & ſubſtantialis charitatis ardor.

b. ANGELI, dependens, & merè ſpiritale intelligendi, appetendi, & ſe mouendi principium.

c. HOMINIS, *vt homo eſt*, principium ratiocinandi, dependenter à phantaſmatis.

d. BELLVÆ, eſt principium materiale ſentiendi, appetendi, tum ſe ſe loco mouendi.

e. PLANTÆ, eſt principium vegetandi. Seu radicale principium nutriendi, augmentandi, & generandi.

ANALOGA, diuiſione ſunt definienda; ſic *ſanum*, rectè deſcribitur *ſubiectum*, *principium*, vel *ſignum ſanitatis*.

ÆQVIVOCA, priùs ſunt diuidenda, quàm definienda; quia nullam prorsùs habent rationem communem. v. g. *canis*, vt eſt *animal*, *ſtella*, vel *piſcis marinus*; hæc enim habent diuerſas planè rationes.

ANALOGA, quia habent quid vnum confusè; poſſunt vnâ definitione confusâ definiri; ſic *ſanum*, obſcurè vnâ deſcriptione efferri poteſt, nempe *id quod ordinatè ſe habet ad ſanitatem*.

HINC *conceptus formalis* eſt, vel

1. *Diſtinctus*, qui rem eandem ſignificat in diuerſis; *putà viuens ſentiens*, reſpectu hominis, & belluæ; nam in vtroque ſignificat *principium vitæ*, *& ſensûs*.

2. *Confuſus*, qui diuerſa ſignificat in diuerſis; putà

aliquid primum vnde aliud, reſpectu *principij*; nam aliud ſignificat in principio *cognitionis*, compoſitionis, & *generationis*; tum Pater Diuinus eſt principium Filij Æterni, nec eſt aliud à Patre Diuino.

NOMINA deſinentia in *-alis*, & *-ale*, deſcribantur per verbum *pertinet*, vel *ſpectat*; ſic *intellectuale*, dicitur id quod pertinet ad intellectum. *Sacramentale*, id quod ſpectat ad Sacramenta.

PRAXIS.

RES, *notatione nominis*, *deſcriptione*, tum (ſi fieri poteſt) *definitione* exponatur Sic. pag. 5. *tom. pr. Philoſophia* ſecundùm vim nominis, dicitur *ſtudium ſapientiæ*. Tum pag. 8. Deſcribitur *magiſtra veritatis*, & *Regina virtutis*; nam Philoſophia *ſpeculatiua* eſt contemplatio veritatis; *practica* verò, putà Moralis, eſt directiua ad honeſtatem. Item pag. 9. *ibid.* definitur cognitio rei neceſſariæ per proprias cauſas.

IN enucleandâ definitione eſſentiali, oſtendatur *genus* proximum, & *differentia* illius maximè propriâ. Tum exponantur ſingulæ particulæ, illiuſque diſcrimen à cæteris.

SIC *cognitio rei neceſſariæ*, eſt genus proximum Philoſophiæ; cum ſit cognitio intellectualis.

Per proprias cauſas, eſt differentia illius conſtitutiuà; per id enim in ſe conſtituitur, & à cæteris diſtinguitur.

DICITVR *cognitio*; quia eſt vitalis obiecti repræſentatio.

Rei neceſſariæ, ſeu quæ nequit aliter, & aliter ſe habere, v. g. cognitio eſſentiæ Dei.

Propriæ cauſa, ſeu non communis; hinc cognoſcere Solem lucere, quia Deus vult; non eſt Philoſophia.

Virtus, non eſt Philoſophia; cum illa non ſit cognitio.

Nec *ſenſatio*; quia hæc non eſt rei neceſſariæ; aut vniuerſalis.

Item nec *intelligentia*, vel *fides*; cum neutra cognoſcat per cauſas.

Nec *opinio*, *ſuſcipio*, aut *coniectura*; nulla enim ex his eſt rei neceſſariæ per proprias cauſas.

Vide pag. 160. *Huius tomi*, *& animaduertes hanc praxim accuratè obſeruatam*.

MIRA imperitiâ, ANIMA definitur *ſubſtantia actu cogitans*: profectò hæc definitio, eſt purum figmentum. Nam *Anima* nequit accuratè definiri; cum nec ſit *ſpecies*, nec *compoſitum Phyſicum*.

DEINDE *ſubſtantia*, non eſt genus proximum animæ (vt pûtant qui hoc commentum finxerunt) ſed *ſubſtantia incompleta*; neque etiam *hæc*, eſt genus; cum *ſubſtantia*, non conueniat vniuocè completæ, & incompletæ. Tum quia non foret genus Phyſicum, ſed Metaphyſicum.

ITEM actu cogitare, non eſt differentia eſſentialis *animæ*; cum poſſit eſſe *anima*, putà in infante, aut in dormiente, licet neuter actu cogitet: tum etiam anima eſt in belluâ, licet hæc nequeat cogitare.

Præterea Angelus eſt ſubſtantia actu cogitans; nec tamen eſt anima. Vnde qui definitionem animæ; quam pag. 272. *tom. prim.* ex Ariſtotele tradidimus redarguit; vt hanc nobis intrudat, Scarabeus eſt, qui Aquilam volandi, & Sus, quæ Mineruam ſciendi rationem docere ridiculè ſibi præſumit.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE SECVNDA

MENTIS OPERATIONE,

SECVNDA mentis operatio, quæ eſt veluti ſecundus cognitionis gradus, vocatur *interpretatio*, & *enunciatio*, quòd clarè latentes animi conceptus explicet, & exponat, v. g. Deus eſt ſuum eſſe. Virtus eſt laudanda.

DICITVR *Propoſitio*; quia in ſyllogiſmo proponitur, vt ex eâ concluſio eruatur.

EST oratio conſtans ſubiecto, attributo, & copulâ verbali.

DEFINITVR *accuratè à Philoſopho*, oratio dicens aliquid alteri ineſſe, vel non ineſſe, pro temporum diuiſione.

HINC vocatur *iudicium*, quòd iudicis officio fungatur; ſcilicet ſuum cuique per veram affirmationem tribuendo, v. g. Deus eſt Veritas; & quod alienum eſt, per negationem auferendo, v. g. Deus non eſt mutabilis.

DIVISIO ENVNCIATIONIS.

ENVNCIATIO eſt, *vel*

1. SIMPLEX, in quâ vnum, de vno tantùm affirmatur, vel negatur, v. g. Deus eſt charitas. Deus non eſt mendax.

2. COMPLEXA, eſt in quâ, *vel*

a. *Vnum* de multis affirmatur, vel negatur, v. g. homo, & belluæ ſunt materiales.

b. *Plura* dicuntur de vno, v. g. homo eſt, & animal, & rationalis; homo nec eſt immortalis, neç totaliter materialis.

c. *Plura*, de pluribus prædicantur, v. g. homo, & Angelus ſunt cognitionis, & amoris diuini capaces.

VTRAQVE eſt, *vel*

1. ABSOLVTA, ſeu in quâ non exprimitur modus, quo attributum ineſt, vel non ineſt ſubiecto, v. g, homo eſt animal.

2. MORALIS, eſt ea in quâ exprimitur modus, quo attributum ineſt, vel non ineſt ſubiecto.

In hâc eſt MODVS, & DICTVM. DICTVM, eſt propoſitio abſoluta, quæ manet ſublato modo.

MODVS, hìc, eſt ſignum indicans genus materiæ. Seu internam terminorum connexionem, vel repugnantiam. Eſtque

quatruplex; putà { neceſſarium. { poſſibile. / contingens. } impoſſibile.

1. V. g. Deus, eſt neceſſariò, juſtus.

2. Contingens, eſt Deum impiis condonare.

3 Poſſibile eſt Deum delicta non condonare.

4. Impoſſibile eſt Deum errare.

Neceſſitas hìc vim habet, affirmationis; impoſſibilitas verò, negationis.

Modus materialiter poteſt habere rationem *dicti*, v. g. in his propoſitionibus. *Neceſſe eſt quòd chymara ſit impoßibilis. Omnis propoſitio contingens vniuerſalis eſt neceſſariò falſa.* Nam in primâ propoſitione, *impoſſibilis*: in ſecundà verò *contingens*, habet rationem *dicti*.

PROPOSITIO *ſimplex abſoluta* conſideratur ſecundùm ſe; comparatè ad aliam propoſitionem, vel ad ſyllogiſmum.

IN propoſitione ſimplici abſolutâ quatuor ſunt ſpectanda; nimirum *Materia, Forma, Quantitas, Qualitas.*

MATERIA propoſitionis, ſunt duo termini in quos propoſitio reſolui poteſt; *putà* Subiectum, & Attributum.

Propoſitio reſolui dicitur in ea quæ ſuperſunt ſublatâ copulâ verbali Sum, es, eſt. Sic hæc propoſitio *animal eſt viuens*, reſolui dicitur in hos terminos, putà *animal*, & *viuens*; quia remanent ſublatâ *Copulâ verbali*, EST.

SVBIECTVM, eſt id de quo quid dicitur; ſeu affirmatur, vel negatur, v. g. in hâc propoſitione, *Deus eſt ſapientia.* Deus eſt ſubiectum; nam in hâc propoſitione Sapientia de Deo affirmatur.

PRÆDICATVM, eſt id quod de ſubiecto prædicatur; ſeu affirmatur, aut negatur, v. g. *Sapientia* in prædictâ propoſitione.

Prædicari ſequitur eſſe. Id eſt

a. Priùs eſt rem alteri ineſſe, quàm de ipſo verè affirmetur; vel eam alteri non ineſſe, priùs quam

de ipſo verè negetur; prius enim eſt Philoſophiam ineſſe Ariſtoteli, quàm ipſe dicatur verè Philoſophus.

b. Eo modo res dicitur, quomodò ineſt; eſſentialiter, accidentariò, vel connotatiuè, &c.

Abſtracta *inſunt*; concreta *prædicantur*; ſic albedo *ineſt* parieti, & *dicitur* paries eſt albus. Tamque abſurdum eſt dicere, paries eſt albedo; quàm album eſt in pariete.

De *Deo*, propter ſummam illius, & ſimplicitatem, & entis plenitudinem, *abſtracta* accuratiùs, quàm *concreta* prædicantur; conuenientius enim dicitur, Deus eſt ſapientia, quàm Deus eſt ſapiens. Non item de creatis, propter, & participationem, & eorum compoſitionem; hinc ſubiectum in his, eſt quid ſaltem ratione diſtinctum à prædicato.

Per se prædicatur, quod ponitur in definitione ſubiecti, v. g. annimal reſpectu hominis. *Item* effectus formalis, de ſubiecto propoſitionis; ſic dicitur *per ſe*, quòd album ſit diſgregatiuum viſûs.

De quolibet vera eſt *affirmatio*, vel *negatio*, v. g. Socrates eſt Philoſophus. *Vel* Socrates non eſt Philoſophus; non enim datur medium inter ens, & non ens: at *affirmatio*, & *negatio* ſe habent vt ens, & non ens.

Omnis prædicatio *affirmatiua* fundatur in identitate.

PRÆDICATIO, eſt vera vnius de alio affirmatio, vel negatio; Eſtque *vel*, in

1. Obliquo, *id eſt* extra nominatiuum, v. g. dum dicitur; filius eſt patris.

2. Recto, *ſeu* in nominatiuo, eaque eſt *vel*

a. *Cauſalis*, dum cauſa de effectu affirmatur, v. g. dum dicitur, hoc idioma eſt lingua Græca. Concupiſcentia eſt peccatum; id eſt, eſt effectus

peccati. Item, is legit hiſtoricos, &c.

b. *Effectualis*, cum ſcilicet effectus affirmatur de cauſâ, v. g. dum dicitur. Deus eſt natura; id eſt, natura eſt effectus Dei. Item, *hac*, lingua eſt idioma latinum, &c.

c. *Per concomitantiam*, cum ea quæ ſe ſe comitantur de ſe inuicem prædicantur, v.g. dum dicitur, *lucrum* vnius eſt *damnum* alterius. Item generatio vnius, eſt alterius corruptio.

d. *Identica*, in quâ attributum idem eſt cum ſubiecto. Eſtque

α. Nugatoria, *in quâ* attributum, idem eſt, eodemque modo ſumitur ac attributum, v g. dum dicitur, *animal* eſt *animal*.

β. Categorica, *in quâ* attributum, aliquid ſignificat diſtinctum à ſubiecto. Eſtque *vel*

1. *Directa*, in quâ affirmatur *ſuperius* de inferiori; *forma*, de ſubiecto; *differentia*, vel *proprium*, de ſpecie; ſuperiora enim inſunt *inferiori*; puta humanitas, *Petro*; forma, *ſubiecto*, v. g. albedo, *parieti*, &c. Hinc rectè dicitur homo eſt animal, eſt rationalis, riſiuus, *vel* albus.

2. *Indirecta*, in quâ *inferius*, de ſuperiori; *ſubiectum*, de formâ, &c. affirmantur: ſiquidem nec *inferius*, ineſt ſuperiori, v. g. *Petrus*, homini; nec *ſubiectum*, formæ; nempe *paries*, albedini: at cum prædicari ſequatur eſſe: indirectè ſolùm dicitur, aliquis homo eſt Petrus; aliquod album eſt paries.

3. *Neque directa*, vel *indirecta*, v. g. dum dicitur animalitas, eſt rationalitas. Hìc enim nec ſuperius, de inferiori, &c. nec inferius, de ſuperiori; aut ſubiectum, de formâ, &c. affirmatur.

ITERVM PRÆDICATIO eſt, *vel*

1. IDENTICA *ſimpliciter*, in quâ ſignificatur *at-*

tributum idem eſſe merè realiter, ac ſubiectum, v. g. dum dicitur miſericordia Dei eſt iuſtitia. Item in lacte, albedo eſt dulcedo, &c.

• 2. FORMALIS, in quâ *attributum*, eſt de conceptu eſſentiali ſubiecti; videlicet dum dicitur homo eſt animal; album eſt diſgregatiuum viſûs.

In propoſitione directâ *ſuperius* prædicetur de *inferiori*: *forma* de *ſubiecto*, &c. *Vid. hæc quæ modò dixi.*

Attributum propoſitionis vniuerſalis debet conuenire ſuo ſubiecto vniuerſaliter, v g. *animal*, homini. Nam omnis *homo* eſt *animal*. Non debet attributum vniuerſaliter conuenire ſubiecto, ſeu ſecundùm omnem ſuam extenſionem: non enim omne *animal* poteſt eſſe *homo*.

Particula negatiua deſtruit id omne quod eſt poſt ſe (*vt aiunt.*) Vnde ſi dicatur nullus impius eſt fœlix: nullus fœlix eſt impius.

FORMA propoſitionis, eſt verbum *ſum*, *es*, *eſt*, vt copulat attributum ſubiecto, vel ipſum mediante negatione à ſubiecto ſeparat.

Copula verbalis, eſt verbum ſubſtantiuum Sum, es, eſt. Sic dictum; quia per ſe copulat ſubiectum, attributo; ſeparat verò per accidens; nempe mediante negatione.

Copula verbalis debet contineri explicitè, in propoſitione, v. g. dum dicitur inuidus eſt ignauus; vel implicitè, v. g. iuſtus fœliciter viuit.

QVALITAS propoſitionis eſt, *vel*

1. FORMÆ, ſcilicet *affirmatio*, vel *negatio*. HÆC eſt diuiſio attributi à ſubiecto; ILLA eſt compoſitio attributi cum ſubiecto. Sicut enim affirmando coniungis attributum ſubiecto: ſic negando ipſum ſeparas, v. g. dum dicitur nullus impius eſt quie-

tus, ſeparatur quies ab impietate.

2. MATERIÆ, nempe

a. *Veritas*, ſeu conformitas propoſitionis cum obiecto, v. g. in hâc propoſitione, Deus eſt charitas.

Veritas propoſitionis æſtimanda eſt è conformitate cum obiecto, non cum ſolo conceptu.

b. *Falſitas*, eſt difformitas propoſitionis cum objecto, v. g. dum dicitur, fraus parit diuitias.

Affirmatio, & negatio dicuntur *qualitas* formæ; quia reſpiciunt verbum vt eſt copula. Veritas, & falſitas, *qualitas* materiæ; quia ſpectant conuenientiam, vel repugnantiam attributi cum ſubiecto: at ſicut ſubiectum, & attributum ſunt materia propoſitionis; ſic & verbum, vt eſt copula, eſt illius forma.

QVANTITAS propoſitionis, eſt reſtrictio ſubiecti ad vnum, vel illius extenſio ad plura. Ea dignoſcitur è ſolo ſubiecto, dum ſingulare eſt, vel è ſigno particulâritatis, aut vniuerſalitatis, dum ſubiectum eſt commune, &c. id patebit modò.

DE PROPOSITIONE

CONSIDERATA RATIONE

PRÆDICTORVM.

PROPOSITIO, *ratione*

1. MATERIÆ, eſt *vel*

Neceſſaria, quæ ita vera eſt vt nequeat eſſe falſa; diciturque propoſitio æternæ veritatis, v. g. Deus eſt omnipotentia.

b *Impoſſibilis*, quæ eſt ita falſa, vt nequeat eſſe vera: quæ quia implicat contradictionem, dicitur *propoſitio æternæ falſitatis*, v g. hæc non eſt Deus. Ita quippe eſt falſa, vt eius contradictoria, ſit abſolutè neceſſaria.

c. *Contingens*, quæ ita vera eſt, vt poſſit eſſe falſa, & viciſſim, v. g. hæc, filius amat matrem.

2. FORMÆ, eſt *vel* DE

a. PRIMO *Adiacente*, in quâ ſcilicet attributum primo jacet loco, ſeu cuius *Verbum* fungitur vice ſubiecti, copulæ, & attributi, v. g. *ſufficit*.

b. SECVNDO *Adiacente*, in quâ *Verbum* ſecundo jacet loco; *ſeu* fungitur vice copulæ, & attributi, v. g. hæc, *gratia mea tibi ſufficit*.

c. TERTIO *Adiacente*, in quâ *Verbum* tertio jacet loco, *ſeu* fungitur vice copulæ tantùm, v. g. hæc, *gratia mea tibi eſt ſufficiens*.

VERBVM, *ſum*, *es*, *eſt*, ſumitur *ſubſtantiuè*, in propoſitione de tertio adiacente, v g. hic, Deus eſt incomprehenſibilis cogitatu. In propoſitione in quâ fungitur vice attributi ſumitur adiectiuè, v. g. hìc, Deus eſt.

Verbum *ſum* ſumitur ſubſtantiuè, cum gerit vices ſolius copulæ; dum verò fungitur vice copulæ, & attributi, ſignificatque rei exiſtentiam, ſumitur adiectiuè.

3. QVALITATIS, eſt *vel*

a. *Affirmans*, quæ dicit aliquid eſſe, v. g. iuſtus in perpetuum viuet.

b *Negans*, quæ dicit aliquid non eſſe, v. g. liberalis nunquam indigebit.

a. *Vera*, quæ eſt conformis ſuo obiecto, v. g. *hac*, iuſtitiâ continetur ſolium Regis.

b. *Falſa*, quæ eſt difformis ſuo obiecto, v. g. teſtis falſus erit impunitus.

CONTRADICTIO, eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem ſecundùm eadem omnia, ſublatis importunis Sophiſtarum cauillationibus, v. g. *hæc*, homo, non eſt homo.

4. QVALITATIS eſt, *vel*

a. *Singularis*, cuius ſubiectum eſt ſingulare, v. g. *hæc*, Salomon fuit Regum ſapientiſſimus.

b. *Particularis*, cuius ſubiectum eſt commune affectum ſigno particularitatis, *aliquis*, *quidam*, *nonnullus*, v, g. *hæc*, aliquis homo eſt iuſtus.

c. *Indefinita*, cuius ſubiectum eſt commune nullo affectum ſigno particularitatis, aut vniuerſalitatis, v. g. hæc, impius non roborabitur impietate ſuâ.

d. *Vniuerſalis*, cuius ſubiectum eſt commune affectum ſigno vniuerſalitatis, *omne*, vel *nullum*, v. g. *Hæc*, omnis deluſor eſt abominabilis Deo.

DE AFFECTIONIBVS *TERMINORVM, PROVT SVNT* IN ENVNCIATIONE.

PRÆCIPVVS Sophiſtarum locus, eſt *ambiguitas*, hæc autem eſt, *vel*

1. ÆQVIVOCATIO, *ſeu* vſurpatio termini diuerſæ ſignificationis, v. g. canis.

2. AMPHIBOLOGIA, eſt vſurpatio ſermonis diuerſæ ſignificationis, v. g. *aio te Æacida Romanos vincere poſſe.*

Vt eorum cauillationes, & technas poſſimus detegere, & diſſoluere neceſſe eſt. Diligenter varias terminorum acceptiones nos accuratè dignoſcere: eæ porro ſunt *ſuppoſitio*, *ampliatio*, *reſtrictio*, *aſſenſus*, *deſcenſus*, *alienatio*, *appellatio*, *ſtatus*, *diſtractio*, *coniunctio*, *diuiſio*, *diminutio*, *prædicatio*.

SVPPOSITIO, eſt poſitio, ſeu acceptio termini vice alterius. Hæc, non eſt idem ac *ſignificatio*; nam voces *ſignificant* conceptus, nec pro ijs vllatenùs *ſupponunt*

SVPPOSITIO, eſt, *vel*

a. *Materialis*, ſeu acceptio termini pro ipsâ voce, v. g. dum dicitur, homo eſt nomen.

b. *Formalis*, ſeu acceptio termini pro re ſignificatâ, hæcque eſt, *vel*

α. *Metaphorica*, quæ dicitur ALIENATIO; *de quâ modò*

β. *Propria*, ſeu acceptio termini pro re ad quam deſignandam deſtinatus eſt: *ſic* Chriſtus Dominus, propriè dicitur *Verbum caro*, Metaphoricè autem, *Leo de Tribu Iuda*.

PROPRIA eſt, *vel*

a. *Singularis*, ſeu acceptio termini pro re aliquâ determinatâ, & ſingulari, *v. g.* hìc, homo eſt iuſtus.

b. *Communis*, ſeu acceptio termini pro ſignificato communi. Eſtque *vel*

α. Simplex, *ſeu* acceptio termini communis ſumpti ſecundò intentionaliter, *v. g.* dum dicitur, *homo*, eſt *ſpecies*.

β. Perſonalis, *ſeu* realis, quæ eſt acceptio nominis pro re primò intentionaliter ſumptâ, hæcque eſt quatruplex putà

1. *Collectiua*, ſeu acceptio termini pro ſignificatis omnibus collectiuè ſumptis, *v. g.* dum dicitur, planetæ ſunt ſeptem.

2. *Determinata*, ſeu acceptio termini communis pro aliquo determinato, *v. g.* hæc, venator feram occidit.

3. *Confuſa*, ſeu acceptio termini pro ſignificatis omnibus diſiunctim, & indeterminatè: putà *hic*, vel *alter*; ſic miles eſt neceſſarius, ad ſtationem: Item oculus ad videndum; id eſt, dexter, vel ſiniſter, nam vno auulſo nullo non deficit alter.

4. *Diſtributiua*, ſeu acceptio termini communis pro ſignificatis omnibus ſigillatim, & diſtributiuè ſumptis. Hæcque eſt, *vel pro*

a. *Singulis generum*, ſeu pro ſingulis indiuiduis ſigillatim naturæ communis, *v. g.* omne animal eſt viuens, nam conuenit Petro, Bucephalo, vt & quibuſuis aliis indiuiduis ſub animali contentis. Hoc ſenſu hæc propoſitio ſumitur, *Chriſtus Dominus pro omnibus ſufficienter mortuus eſt.*

b. *Generibus ſingulorum*, ſeu acceptio termini communis pro aliquibus ex omni genere, v. g. dum dicitur quòd omne animal fuit in Arcâ Noë. Sic ſumitur hæc propoſitio *Chriſtus Dominus pro omnibus efficaciter mortuus eſt.*

ASCENSVS, eſt progreſſio à particularibus ſufficienter enumeratis, ad terminum communem, *v. g.* ignis corrumpitur, aër, aqua, terra. Ergo omne elementum corrumpitur.

DESCENSVS, eſt progreſſio à termino communi ad particularia, *v g.* ſi dicatur planeta, eſt ſydus erraticum. Igitur Luna, Mercurius, Venus, Sol, &c. ſunt ſydera erratica.

Ampliatio *Grammaticis*, eſt auctio; hinc illud Iuriſconſultorum, ampliandi fauores, reſtringenda odia. *Dialecticis* verò eſt extenſio termini à ſtrictiori ſuppoſitione ad ampliorem; putà dum dicitur, animal eſt viuens; ſenſus enim eſt quòd *animal*, quod eſt, fuit, & erit; fuerit, ſit, & erit viuens.

Restrictio, eſt coarctatio termini, ad pauciora ſignificanda quàm pro more ſignificat. Fitque *vel*

1. *Citra additionem vllius*, ſeu per antonomaſiam; ſic nomen *Philoſophi* ſimpliciter, reſtringitur ad Ariſtotelem.

2. *Per additionem alicuius*, vel

a. Epitheti, *v. g.* dum dicitur Henricus Magnus.

b. Appoſiti, *v. g.* dum dicitur vrbs Roma.

c. Aduerbij, *v. g.* eleganter loqui.

d. Obliqui caſûs, *v. g.* Rex Galliarum.

Appellatio, eſt denominatio vnius termini ab alio: *ſeu* applicatio ſignificati vnius ad ſignificationem alterius cui præſertim accidentariò conuenit. Eſtque *vel*

a. *Materialis*, cum terminus appellans afficit ſubiectum propoſitionis, *v. g. Ariſtoteles paruus*, fuit Philoſophus.

b. *Formalis*, cum videlicet terminus appellans refertur ad attributum, *v. g.* Ariſtoteles, *fuit magnus Philoſophus.*

Alienatio, eſt abductio ſignificationis proprii termini ad alienam ſignificationem, fitque

a. *Metaphorâ*, hæcque eſt traductio termini à propriâ ſignificatione ad minùs propriam, *v. g.* dum *Ceres*, ſumitur pro *pane*.

b. *Allegoriâ*, quæ eſt continuata metaphora, v. g. illa Paraſiti apud Comicum.

Famem

Famem ſuſpicor fuiſſe matrem mihi ;
Nam poſtquam natus ſum ſatur nunquam fui :
Sed quam matri mea refero inuitiſſimus ,
Eam mihi nunquam retulit mater gratiam ;
Nam , me illa in aluo menſes geſtauit decem :
At ego illam , in aluo geſto plus annos decem :
Atque illa , puerum me geſtauit paruulum ,
Quominùs laboris illam cepiſſe exiſtimo :
At ego , non paucillulam in vtero geſto famem :
Verùm me herclè multò maximam , & grauiſſimam.

STATVS, eſt cum terminus non extenditur vltra tempus verbo adſignificatum ; *ſic* dum dicitur *Petrus ſtudet*. Hæc vera eſt in *ſenſu compoſito*, ſeu quandiu attributum ponitur cum ſubiecto, v. g. ſtudium cum Petro.

DISTRACTIO, eſt tranſlatio termini ad aliam temporis differentiam, v. g. *cæci vident*. Hæc vera eſt in ſenſu diuiſo ; ſi nimirùm diuidatur attributum à ſubiecto, v. g. cæcitas à cæco.

DIMINVTIO, eſt detractio partis ſuppoſitionis additione dictionis, v. g. dum *Æthiops*, dicitur *albus* ſecundùm dentes.

Alia, eſt vis terminorum dum componuntur, alia dum ſeparantur. Vnde ſi dicatur ſimpliciter, *animal*, & ſeorſim, ſignificat *viuens ſentiens* ; ſi verò dicatur cum addito, ſeu *mortuum* ſignificat *cadauer*. Hoc primum dicitur dictum ſimpliciter ; alterum, dictum ſecundùm quid.

Dici ſimpliciter, eſt dici ſine reſtrictione, v. g. homo eſt animal.

Dici ſecundùm quid, eſt dici cum reſtrictione, v. g. cadauer, eſt animal mortuum. Vide quæ modò dixi de reſtrictione.

DE PROPOSITIONE COMPLEXA.

PROPOSITIO *implicitè* complexa, eſt ea in quâ complexio latet, vocaturque EXPONIBILIS; quia eget exponi per clariorem.

PROPOSITIO *explicitè* complexa, eſt ea in quâ complexionis nota expreſsè apparet, eſtque *vel*

1. COPVLATIVA, ſeu in quâ plures propoſitiones vniuntur *Coniunctione*, ET, ATQVE.

Illius *veritas* exigit veritatem vtriuſque propoſitionis: falſitas requirit, vel vnius falſitatem.

Poſſibilitas illius requirit vtriuſque compoſſibilitatem. Vnde hæc *Petrus orat, & non orat,* non eſt poſſibilis.

2. DISIVNCTIVA, ea eſt, in quâ plures propoſitiones afficiuntur *notâ diſiunctionis,* AVT, VEL.

Ad veritatem affirmantis exigitur *immediata* vtriuſque *oppoſitio*; quare *hac*, non eſt vera, *Paries eſt albus, vel niger.*

Ad huius falſitatem requiritur, vel *falſitas*, vel vtriuſque *veritas*. Vnde hæc eſt falſa, Petrus *eſt animal, vel rationalis*; quia vtraque eſt vera.

3. CONDITIONALIS, ea eſt in quâ plures propoſitiones connectuntur particulâ conditionali, SI.

Huius partes ſunt

a. *Antecedens*, ſeu ea, è quâ alia infertur, v. g. *Si planta vegetat.*

b. *Conſequens*, ſeu ea quæ infertur, v. g. *Planta viuit.*

Ad huius Veritatem requiritur, imò ſufficit vtriuſque partis connexio. Vnde *hac* eſt vera, *ſi equus eſt rationalis, eſt admiratiuus.*

4. CAVSALIS, in quâ plures propoſitiones nec-

tuntur *ſigno cauſalitatis* QVIA.

Ad huius veritatem requiritur vt *Antecedens* ſit cauſa *Conſequentis.* Vnde *hæc*, non eſt vera, *homo eſt rationalis, quia eſt admiratiuus.*

DE

PROPRIETATIBVS PROPOSITIONIS.

PROPRIETATES propoſitionis, ſunt *Quantitas*, *Qualitas*, de quibus ſupra. Item, *Conuerſio*, *Oppoſitio*, & *Æquipollentia.* De quibus hic agimus.

CONVERSIO *propoſitionis*, eſt mutatio ſubiecti in attributum, vel viciſſim, ſeruatâ eâdem qualitate.

v. g. { *Nullus equus eſt planta.*
Nulla planta eſt equus. }

Propoſitio, quæ conuertitur dicitur *Conuerſa*; putà nullus equus eſt planta. Ea, in quam conuertitur, dicitur *Conuertens*, v. g. nulla planta eſt equus. In conuerſione non debet mutari terminorum acceptio; hinc non hæc valet.

Aliquis ſenex fuit iuuenis.
Aliquis iuuenis fuit ſenex.

Senſus enim conuerſæ, eſt quod is qui olim fuit iuuenis, nunc ſit ſenex. Sic ergo conuertenda eſt

Aliquis ſenex fuit iuuenis,
Aliquis qui fuit iuuenis, nunc eſt ſenex.

ITEM, nè vnus terminus vice alterius ſumatur. Hinc non valet hæc conuerſio

Equus eſt in ſtabulo.
Stabulum eſt in equo.

Nam *ſtabulum*, non eſt attributum *conuerſæ*: ſed

aliquod exiſtens in ſtabulo; eſt enim propoſitio de ſecundo adiacente. Ideoque ſic debet hæc conuerſio fieri.

Equus eſt in ſtabulo.
Aliquod exiſtens in ſtabulo eſt equus.

Seruetur ſemper eadem *Qualitas* tum *materiæ*, tum *formæ*.

CONVERSIO eſt triplex, putà

1. SIMPLEX, in quâ ſeruatur eadem quantitas.
2. PER *accidens*, ſeu ea in quâ non remanet eadem *Quantitas* in conuersâ, vel in conuertente; quia dum *Conuerſa* eſt particularis, *conuertens*, eſt vniuerſalis, & vice versâ.
3. PER *contra-poſitionem*, in quâ termini de *finitis*, fiunt *infiniti*. Hæc apud Latinos vix vllius eſt vsûs. Harum exempla repete paulò infra.

Qualiter debeat fieri *Conuerſio*, his verſibus accipe.

*f*ECI ſimpliciter *conuertitur*; EVA per accid.
A*ſt*O, per contra; *ſic ſit Conuerſio tota.*

Quid deſignent A. E. I. O. hoc habes Diſtico.

aſſerit	{ A I	[negat	{ E O	[verùm	{ generaliter particulariter		[ambo

Id eſt	{ A E	{ deſignat pro- poſitionem	[*vniuerſalem*	{ affirmantē. negantem.
	{ I O		[*particularem*	{ affirmantē. negantem.

f E *e* I *ſimpliciter*, *conuertitur*. Id eſt propoſitio vniuerſalis negans, vel particularis affirmans conuertitur conuerſione ſimplici.

v. g. { *Nullus homo eſt equus.*
{ *Nullus equus eſt homo.*
{ *Deus erat Verbum.*
{ *Verbum erat Deus.*

ENA *per accid.* id eſt, propoſitio vniuerſalis negans, vel *particularis* affirmans conuertitur conuerſione per accidens.

v. g. { *Nullus homo eſt equus.*
{ *Aliquis equus, non eſt homo.*
{ *Omnis homo eſt animal.*
{ *Aliquod animal eſt homo.*

Propoſitio vniuerſalis affirmans nequit vi formæ conuerti conuerſione ſimplici; nam è Vero, nunquam ſequitur falſum *vi formæ*, ſeu ſeruatâ eâdem formâ. Hinc hæc conuerſio.

Omnis homo eſt rationalis.
Omne rationale eſt homo.

Valet ſolùm ratione materiæ, & per accidens, *ſcilicet* ob terminorum reciprocationem. Vnde in aliâ materiâ, ſeruatâ eiuſmodi formâ, è Vero ſequitur falſum.

v. g. { *Omnis homo eſt animal.*
{ *Omne animal eſt homo.*

AſtO *per contra.* Id eſt, propoſitio vniuerſalis affirmans, & particularis negans conuertuntur conuerſione per contra-poſitionem.

v. g. { *Omnis homo eſt animal.*
{ *Omne non animal, eſt non homo.*
{ *Aliquod animal, non eſt equus.*
{ *Aliquis non equus, non eſt non animal.*

OPPOSITIO propoſitionum, eſt pugna duarum propoſitionum, eodem ſubiecto eodemque at-

tributo pari ratione acceptis, conſtantium. Hæcque eſt quadruplex, nempe

1. SVBALTERNA, ſeu quarum vna eſt vniuerſalis, altera particularis ſub vniuerſali contenta.

v. g. { *Omnis homo eſt animal.* / *Aliquis homo eſt animal.* }

IN materiâ

a. *Neceſſariâ*, vtraque eſt vera. Vt patet ex allato exemplo.

b. *Contingente*, vniuerſalis eſt falſa, altera, vera

v. g. { *Omnis homo eſt albus.* / *Aliquis homo eſt albus.* }

c. *Impoſſibili*, vtraque eſt falſa.

v. g. { *Omnis homo eſt lapis.* / *Aliquis homo eſt lapis.* }

2. CONTRARIA, eſt pugna duarum propoſitionum vniuerſalium vniuerſaliter ſumptarum iiſdem terminis conſtantium. Seu quarum vna eſt vniuerſalis affirmans, altera particularis negans.

v. g. { *Omnis leo eſt rugitiuus.* / *Nullus leo eſt rugitiuus.* }

Contrariæ nequeunt vnquam ſimul eſſe veræ; aut ſimul falſæ: at in materiâ contingente, ambæ poſſunt eſſe falſæ.

v. g. { *Nullus homo eſt iuſtus.* / *Omnis homo eſt iuſtus.* }

3. SVBCONTRARIA, eſt pugna propoſitionum particularium ſub eodem vniuerſali contentarum.

v. g. { *Aliquis homo eſt animal,*
Aliquis homo, non eſt animal.

In *materiâ*

a. *Neceſſariâ*, vel *impoſsibili*, vna eſt neceſſariò vera, altera, falſa.

v. g. { *Aliquis homo, non eſt equus.*
Aliquis homo eſt equus.

b. *Contingente*, neutra poteſt eſſe falſa; licet vtraque poſſit eſſe vera.

v. g. { *Aliquis homo eſt albus.*
Aliquis homo, non eſt albus.

4. Contradictoria, eſt pugna duarum propoſitionum iiſdem terminis conſtantium, quarum vna eſt vniuerſalis affirmans, altera particularis negans, vel viciſſim.

v. g. { *Omnis homo eſt albus.*
Aliquis homo, non eſt albus.

In quâuis materiâ, altera eſt neceſſariò vera, altera falſa.

v. g. { *Omnis homo eſt albus.*
Aliquis homo, non eſt albus.

Contradictoriæ ſunt omnium maximè oppoſitæ.

a. *Subalterna*, vt plurimùm ſolâ quantitate pugnant; nunquam verò qualitate formæ.

b. *Contrariæ*, ſolâ qualitate opponuntur; imò in materiâ contingente conueniunt qualitate materiæ.

c. *Subcontrariæ*, ſolâ qualitate pugnant; imò in

materia contingente qualitate tum materiæ, tum formæ conueniunt.

d. *Contradictoria* verò, & quantitate, & qualitate tum materiæ, tum formæ pugnant. Id omne conſtat è modò allatis exemplis.

ÆQVIPOLLENTIA, *hic* eſt reductio vnius propoſitionis in ſenſum alterius mediante vnâ, vel multiplici negatione; quæ quomodo fiat, docet hic verſus.

Præ, contradic. *poſt* contra: *præ*, *poſtque* ſubalter.

Præ contradic. Id eſt propoſitiones contradicentes fiunt æquiualentes præfigendo particulam NON, *ſigno* vniuerſalitatis, aut particularitatis. *Sic* omnis homo eſt *animal*: fit æquiualens huic, *aliquis homo non eſt animal*: dicendo, *non omnis homo eſt animal*.

Item hæc, *aliquis homo non eſt animal*, fit æquiualens huic, *omnis homo eſt animal*, dicendo, *non aliquis homo non eſt non animal.*

POST CONTRA. *Id eſt*, Contrariæ fiunt æquiualentes inter ſe poſtponendo particulam NON, ſubiecto. Sic hæc propoſitio *omnis homo eſt animal*, fit æquiualens huic contrariæ ipſius, *nullus homo eſt animal*: dicendo, *nullus homo non eſt animal.*

PRÆ. POSTQVE SVBALTER. *Id eſt*, propoſitiones ſubalternæ fiunt æquiualentes præfigendo particulam NON, ſigno vniuerſalitatis, aut particularitatis, & eam poſtponendo *ſubiecto*; ſic *omnis homo eſt albus*, fit æquiualens huic ſuæ ſubalternæ, *aliquis homo eſt albus*; dicendo, *non aliquis, homo non eſt albus.*

TRACTATVS TERTIVS.

DE TERTIA

MENTIS OPERATIONE,

DISCVRSVS, *dicitur* tertia mentis operatio; quia ſicut dictio ſupponit ſyllabas; ſyllabæ, literas; ſic diſcurſus ſupponit propoſitiones; hæ verò, ſimplicem apprehenſionem. Vnde eſt veluti tertius operationis mentis gradus.

TERTIA mentis operatio, dicitur

1. DISCVRSVS; quia per eam *Ratio*, ab vnâ propoſitione, veluti currit ad aliam.

2. RATIOCINATIO; quia continet rationem propoſitionis dubiæ.

3. ARGVMENTATIO; quia eſt *Argumenti* elocutio.

v. g. { Omne *animal* eſt viuens.
Omnis homo eſt *animal*.
Ergo omnis homo eſt viuens. }

Argumentum, dicitur quaſi ratio *arguens*, ſeu conuincens *mentem*, à *Tullio* autem, dicitur, ratio rei dubiæ faciens fidem.

A Logicis, *Argumentum*, dicitur *Medium*; quia eo mediante probatur attributum ineſſe, vel non

ineſſe ſubiecto, v. g. *animal*, quo mediante mens conuincitur *viuens* conuenire homini.

IN *Argumentatione* diſtinguenda ſunt

☞ 1. ANTECEDENS, ſeu propoſitio, aut propoſitiones è quibus alia infertur, v. g propoſitiones è quibus in prædicto ſyllog. infertur hæc, *omnis homo eſt viuens*.

2. CONSEQVENS, ſeu propoſitio quæ infertur ex aliâ, vel ex aliis, v. g. modò dicta *propoſitio*

3. CONSEQVENTIA, ſeu connexio antecedentis cum conſequente, v g. connexio inter *hominem*, & *animal*, & inter animal, & viuens.

☞ Quiſquis ignorat exactum diſcrimen conſequentis à conſequentiâ, eſt Philoſophiæ ignarus; quia neſcit an vnum rectè, necne ex alio inferatur. Quare id diligenter addiſce ex vtriuſque modò poſitâ definitione.

In nullo, niſi in legitimo ſyllogiſmo, eſt *conſequentia*, vi formæ: at *conſequens* poteſt eſſe in quouis imperfecto ratiocinio, v. g. in hoc enthymemate

Homo eſt ſubſtantia.
Ergo eſt rationalis.

Eſt *conſequens*; verum enim eſt quòd *homo ſit rationalis*. Non tamen eſt *conſequentia*; quia non ideò *homo eſt rationalis*; quia eſt *ſubſtantia*; non enim eſt connexio inter eſſe *ſubſtantiam*, & eſſe *rationale*; lapis enim eſt *ſubſtantia*, nec eſt *rationalis*

In præcedenti ſyllogiſmo eſt *conſequentia*; quia eſt legitima inter terminos connexio.

CONSEQVENTIA eſt, vel *ratione*

a *Materiæ*, & *formæ*, v. g. in prædicto ſyllogyſmo.

b. *Solius materiæ*, v. g. in hoc enthymemate
Sol lucet
Ergo dies eſt

Siquidem eſt connexio Phyſica inter exiſtentiam lucis ſolaris, & diem: at non eſt connexio Logica; hæc enim non eſt extra ſyllogiſmum perfectum.

Solius formæ, v. g. in hoc ſyllogiſmo in materiâ impoſſibili

Omne A eſt B
Omne C eſt A
Ergo omne C eſt B

Nam adeò diſpoſiti ſunt termini inter ſe, vt admiſſis præmiſſis neceſſariò ſequatur concluſio. Non eſt *conſequens*; nam *eſſe*, ſeu *forma*, *propoſitionis*, eſt VERITAS: at in hâc concluſione non eſt veritas; cum ſit in materiâ impoſſibili.

ITEM conſequentia eſt, vel

a. *Neceſſaria*, quæ nequit aliter, & aliter ſe habere, *v. g.* in hoc prædicto ſyllogiſmo *omne animal eſt viuens*, &c.

b. *Contingens*, quæ ſcilicet poteſt aliter, & aliter ſe habere, *v. g.* in hoc ſyllogiſmo

Quiſquis dat eleemoſynam eſt liberalis.
Hic homo dat eleemoſynam.
Ergo hic homo eſt liberalis.

In neceſſariis à diuiſis ad coniuncta, & viciſſim valet conſecutio. Sic valet dicere

Petrus eſt animal, & rationalis.
Ergo Petrus eſt animal rationale.
Vel, ergo Petrus eſt animal.

Non item in contingentibus, non enim valet dicere

Petrus eſt magnus, & Philoſophus.
Ergo Petrus eſt magnus Philoſophus.

Digitized by Google

nec { Petrus eſt magnus Philoſophus.
Ergo Petrus, eſt magnus.

Nec enim à dicto ſimpliciter, ad dictum ſecundùm quid, aut vice versâ, valet conſequentia.

ARGVMENTATIO Vulgò eſt ſextuplex, nempe

1. EXEMPLVM, quod eſt argumentatio in quâ ex vno ſingulari, aliud ſingulare infertur. *Hoc modo*

Romani olim nimis amplificantes imperium ceciderunt imperio

Ergo Ottomani nimis extendentes imperium cadent imperio.

Exemplum, eſt quædam inchoata inductio Oratoribus propria.

2. INDVCTIO, eſt argumentio in quâ è multis particularibus ſufficienter enumeratis infertur aliquod vniuerſale, vel particulare, v. g.

Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus, eſt erraticus.

Ergo omnis; Item, aliquis Planeta eſt erraticus.

Inductio, non valet, ſi poſſit afferri inſtantia in contrarium; hæc, *Picea* fert conum deorsùm, Item, *Larix*, *Pinus*, *Abies*. Ergo omnis arbor conifera fert conum deorſum. Nam *Cedrus*, fert conum vergentem ſurſum. Vnde non valet dicere nullum animal mouet maxillam ſuperiorem; nam *Crocodilus* eam mouet.

Cum notitia ſingularium, ſit principium cognitionis vniuerſalium; *ducit* enim experimentum, *docet* ratio: inductio verò ſit ſenſui familiaris. Hinc quælibet principia inductione declarantur.

3. GRADATIO, quæ, & dicitur *Argumentatio*

à primo ad vltimum, eſt ratiocinatio conſtans pluribus propoſitionibus ita inter ſe connexis, vt è ſubiecto primæ, & attributo vltimæ, concluſio colligatur.

Vnde vocatur *Sorites* à nomine σωρὸς, aceruus; quòd ſcilicet ſit argumentorum coarceruatio

Omnis homo eſt animal.

v. g. { Omne animal eſt viuens.
Omne viuens eſt corpus.
Omne corpus eſt ſubantia }

Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

4. Dilemma, ita dictum quòd *vtrinque capiat*, Eſt argumentatio conſtans pluribus propoſitionibus, quarum quælibet conceſſa capit, & decipit aduerſarium, v. g. ſi quis negaret veritatem, ita argueretur.

Negando veritatem, vel *verum* dicis, vel *falſum*, ſi *verum* dicis, exiſtit veritas: ſi *falſum* dicis, *falſum* eſt quod non exiſtat veritas. Igitur exiſtit veritas.

5 Enthymema, eſt argumentatio conſtans duabus propoſitionibus; quia verò, vna propoſitionum ſyllogiſmi perfecti, maior, vel minor, ἐν τῷ θύμῳ, retineatur, & reticeatur. Hinc ſyllogiſmus imperfectus, & enthymema appellatur.

v. g.

{ Subſtantia eſt ens per ſe.
Ergo corpus eſt ens per ſe. }

{ Corpus eſt ens per ſe.
Ergo corpus eſt ſubſtantia. }

In primo enthymemate *Minor*, in altero autem *Maior* reticetur.

6. Syllogismvs.

DE SYLLOGISMO.

SYLLOGISMVS eſt ſcientiarum CLAVVS : *Veritatis* reſerandæ CLAVIS: *Falſitatis* conterendæ CLAVA ; ſiquidem ſola eſt, & vnica perfectè argumentandi ratio : vnde nimiùm de ſuâ temeritate præſumit, qui ſine huius perfectâ notitiâ, ſibi fingit, vel primis labris ſcientias ſe vnquam delibaturum.

PHILOSOPHO, eſt oratio in quâ quibuſdam poſitis, aliud quoddam ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eò quòd hæc ſint. Siue

Oratio in quâ admiſſis præmiſſis, neceſſariò *vi formæ* admittenda eſt Concluſio (non ſolùm in materiâ contingente, verùm etiam in impoſſibili) Vnde ſi quis admitteret has præmiſſas.

Omnis Equus eſt Leo.

Omnis Planta eſt Equus.

Deberet neceſſariò admittere hanc concluſionem

Ergo omnis Planta eſt Leo.

NEC CONSECVTIO, eſt genus *argumentationis*; cum aut ſit eius *pars*, putà conſequens ; vel *connexio* antecedentis cum conſequente. Nec etiam *Argumentatio* eſt genus ſyllogiſmi; ſiquidem nulla *Argumentatio*, mentem conuincit, niſi ad *ſyllogiſmum* reducatur. Quapropter *Argumentatio*, & *Syllogiſmus* reciprocantur.

LOGICO, circa *Syllogiſmum*, vt & cuius artifici circa proprium obiectum prænoſcenda ſunt *Structura*, *Examen*, *Species*.

Digitized by Google

AD *Structuram*, vt, & ad cuiuſuis artefacti fabricam, ſciendum eſt, quæ ſit eius *materia*, *Quomodo* inuenienda, *Quomodo* diſponenda. De quibus ſygillatim, *ac primò*

DE

MATERIA SYLLOGISMI.

MATERIA *Syllogiſmi* eſt, *vel*

1. Proxima, ſeu è quâ proximè ſyllogiſmus componitur, & ſunt tres eius propoſitiones; putà *Maior, Minor, Concluſio.*

2. Remota, ſeu ea è quâ ſyllogiſmus remotè componitur, nempe *Maior*, *Minor*, & *Medius Terminus.*

3. Remotissima, ſeu potiùs res ipſæ de quibus fit ſyllogiſmus, v. g. huius ſyllogiſmi

Omne honeſtum eſt laudandum.
Omnis virtus eſt honeſta.
Ergo omnis virtus eſt laudanda.

Honeſtas, laudabile, & ipſa *virtus*, ſunt materia remotiſſima. Huiuſmodi materia, *vt plurimùm*, ſpectat ad alias ſcientias; putà hæc, ad Moralem.

Tres hi termini (putà *honeſtum*, *laudandum*, & *virtus*) ſunt huius materia remota.

Tres hæ propoſitiones (putà *omne honeſtum eſt laudandum*, & *omnis virtus*, &c.) ſunt materia proxima. Duplex hæc *vltima materia*, propria eſt Logicæ.

Maior terminus, eſt is qui reperitur in *Maiore*, & *Concluſione.*

Minor, in minore, & concluſione.

Medius terminus, eſt qui nunquam reperitur in *Concluſione*.

Item, { *maior* / *minor* [eſt in { *maiore* / *minore* [*propoſitione cum medio*.
medium [vtrâque præmiſſarum.

Maior terminus, dicitur *Maius extremum*; *Minor*, *minus extremum*; *medius*, autem *terminus*, *medium*. Quia *maior* terminus latiùs patet quàm cæteri; *minor* autem *terminus*, minùs patet; *medius* verò *terminus*; quia vt plurimùm, minùs patet maiori extremo, & magìs minori extremo, v. g. *animal* reſpectu viuentis, & hominis. Hinc in Categoriâ ſubſtantiæ collocatur inter vtrumque.

MAIOR *Propoſitio*, eſt ea in quâ *Maius Extremum* coniungitur cum *Medio*, v. g. Hæc, *omne honeſtum eſt laudandum*.

Hæc dicitur ſimpliciter *propoſitio*; quia vt plurimùm, in eâ ſunt principia quæ ſolùm egent proponi, non probari.

MINOR, eſt ea in quâ *Minus Extremum* reperitur cum *Medio*, v. g. Hæc *omnis virtus eſt honeſta*.

Vocatur *Aſſumptio*; quia vt plurimùm in eâ *Minus Extremum* aſſumitur è ſubiecto *Maioris* vt particulare ex vniuerſali, v. g. *virtus* ex *Honeſto*, & *Medium* è maiori extremo, v. g. *honeſtum*, è *laudando*. Sicut enim *Virtus* eſt particulare *Honeſtum*: ita & *Honeſtum* eſt particulare *Laudandum*.

Maior, & *Minor* dicuntur *Præmiſſæ*; quòd *Concluſioni* præmittantur. Dicuntur, & *Antecedens*, quòd *Concluſionem* inferant.

Propoſitio probanda, dicitur *Quæſtio*: probata verò vocatur

vocatur *Concluſio*, & quia hæc è *præmiſſis* collecta eſt, appellatur *Complexio*, ſeu *ſumma* totius ratiocinii.

Item, nuncupatur *Conſequens*, quia infertur; ſeu ſequitur ex *Antecedente*, ſiue è *Maiori*, & *Minori* propoſitione.

DE INVENTIONE MEDII.

AD INVENIENDAM ſyllogiſmi *materiam* ſufficit reperire ſolum MEDIVM; nam *maior*, & *minor*, è quibus conſtat *Concluſio*, ſemper præſto ſunt, v. g. dum quæritur cur *Angelus*, ſit *immortalis*; in promptu ſunt, *Angelus*, qui eſt *minor*, & *immortalis*, qui eſt *maior terminus*. Itaque ſolum medium eſt inueniendum.

IN probandis problematibus affirmatiuis, quærenda eſt ratio cur attributum conueniat ſubiecto, v. g. cur immortale conueniat Angelo; id autem quod rectè reſpondetur, putà *ſpiritale*, eſt Medium.

IN probandis eiuſmodi quæſtionibus, legitimum Medium ſit *Antecedens* attributi, & *Conſequens* ſubiecti. Sic *ſpiritale* eſt antecedens immortalis, & conſequens Angeli.

IN probandis concluſionibus negatiuis, inueſtiganda eſt ratio cur attributum, ſubiecto; vel ſubiectum, attributo repugnet; ſic vt concludatur quòd Angelus non ſit corruptibilis. Mixtum, vel ſpiritale eſt legitimum Medium; Mixtum enim eſt ratio de-

monſtrans, corruptibile non conuenire *Angelo*; Spiritale verò eſt ratio arguens *Angelum* repugnare *corruptibili*.

IN probandis concluſionibus negatiuis, *medium* ſit *conſequens* ſubiecti, *repugnans* attributo; vel *conſequens* attributi, *repugnans* ſubiecto. Sic ſpiritale eſt *conſequens* Angeli, *repugnans* corruptibili. Mixtum, eſt *conſequens* corruptibilis, *repugnans* Angelo.

AD inueniendum medium requiritur ſolers animi ſagacitas, ſtudium, vſus, exercitatio in rebus ſcientificis ex arte pertractandis; ſcientia quippe naturâ, eruditione, ſtudio, & exercitatione comparatur: tum etiam ſciendum eſt quid ſint termini conſequentes, tum repugnantes de quibus ſupra. pag. 216. *huius tom.*

Omne *ſuperius*, eſt *conſequens*, *v. g.* animal reſpectu hominis. Omne *inferius*, eſt *antecedens*, *v.g.* homo reſpectu animalis.

Omne reciprocum eſt promiſcuè *antecedens*, vel *conſequens*, *v. g.* homo, & rationale.

MEDIVM demonſtrationis, eſt Definitio. Scientiæ quippe claritas è demonſtatione; euidentia verò demonſtrationis, è definitione deriuatur.

Quodlibet cauſarum genus, eſt Medium Demonſtrationis à poſteriori. Vtriuſque maxima debet eſſe Logico cura; etenim

Fœlix qui potuit rerum dignoſcere cauſas.

DE
FORMA SYLLOGISMI.

FORMA SYLLOGISMI, eſt diſpoſitio terminorum, vel propoſitionum ad concludendum ido-

nea. *Illa* eſt FIGVRA; *hæc* eſt MODVS.

FIGVRA, eſt apta diſpoſitio Medij cum extremis ad ritè concludendum. Eſtque triplex, *putà*

☞ PRIMA, in quâ MEDIVM ſubiicitur in *maiori*, & prædicatur in *minori*, v. g. *animal*, In hoc ſyllogiſmo.

Omne animal eſt viuens.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt viuens.

SECVNDA, in quâ MEDIVM prædicatur in vtràque *Præmiſſarum*, v. g. hìc, *corrputibile*.

Nullus Angelus eſt corruptibilis.
Omne mixtum eſt corruptibile.
Ergo nullum mixtum eſt Angelus.

TERTIA, in quâ MEDIVM ſubiicitur in vtràque præmiſſarum, v. g. hìc, *homo*.

Omnis homo eſt animal.
Omnis homo eſt rationalis.
Ergo aliquod rationale eſt homo.

Quibuſdam eſt, & *Figura Galeni*, in quâ ſcilicet *medium* prædicatur in *maiori*, & ſubiicitur in *minori*, v. g. hìc, *animal*.

Omnis homo eſt animal.
Omne animal eſt viuens.
Ergo omnis homo eſt viuens.

Hæc, ſolâ *tranſpoſitione* differt à Modis directis primæ figuræ: at mera tranſpoſitio propoſitionum, non conſtituit diuerſam ſpecie *Figuram*; nam CESARE, & CAMESTRES differunt propoſitionum tranſpoſitione: nec tamen differunt *Figurâ*.

Diſpoſitionem Medii cum extremis, hoc verſiculo diſces

☞ SVB. PRÆ. *Prima*: *Secundaq*; PRÆ bis: *Tertia*, bis SVB.

Svb. præ. *Prima*; id eſt in primâ *Figurâ*, Medivm ſubiicitur in *maiori*, & prædicatur in *minori*.

Secundaque bis præ; id eſt, in ſecundâ, Medivm bis *Prædicatur*.

Tertia bis svb; id eſt, in tertiâ figurâ medivm bis ſubiicitur, exempla repetas ſupra.

Prima eſt omnium præſtantiſſima, & regula cæterarum. Vt infra demonſtrabitur.

Secunda, ipſam dignitate ſequitur; quia *medium* prædicatur: at prædicari eſt nobilius quàm ſubiici; prædicari enim eſt inſtar formæ: ſubiici, eſt inſtar *materiæ*.

Tertia, eſt dignitate poſtrema, cum in eâ *medium* bis ſubiiciatur.

Vt id, ad *Dialecticæ* apices calleas, aduertê ad ſubſequentes regulas.

In primâ figurâ in modis directis.

Medivm *ſubijcitur* in maiori, Maius extremum *attribuitur*.

Minus extrêmum *ſubjicitur* in minori, medium *attribuitur*.

Minus extremum *ſubjicitur*, in concluſione, maius extremum *attribuitur*, v. g.

Omne viuens eſt corpus.
Omne animal eſt viuens.
Ergo omne animal eſt corpus.

In ſecunda figurâ.

Maius extremum *ſubiicitur* in maiori, medivm *attribuitur*.

Minus extremum *ſubjicitur* in minori, medivm *attribuitur*.

Minus extremum *ſubjicitur* in concluſione, maius extremum *attribuitur*.

Secunda figura differt à primâ, diſpoſitione *ſolius* MAIORIS, v. g.

Nullum mortale eſt ſpiritale.
Omnis Angelus eſt ſpiritalis,
Ergo nullus Angelus eſt mortalis.

In tertiâ figurâ.

MEDIVM *ſubiicitur* in maiori, maius extremum *attribuitur.*

MEDIVM *ſubjicitur* in minori, minus extremum *attribuitur.*

Minus extremum *ſubiicitur* in conclusione, maius extremum *attribuitur*, v. g.

Omne rationale eſt admiratiuum.
Omne rationale eſt diſciplinæ capax.
Ergo aliquod diſciplinæ capax eſt admiratiuum.

Tertia figura diſcrepat à *primâ*, ſolâ MINORIS diſpoſitione.

MODVS attenditur è *propoſitionum*; FIGVRA verò è debitâ *Terminorum*, præſertim autem MEDII diſpoſitione.

MODVS eſt diſpoſitio propoſitionum ad concludendum idonea.

MODI ſunt nouemdecim, *Nempe*

Quatuor directi, primæ figuræ *videlicet.*

BAR BA RA, CE LA RENT, DA RI I, FE RI O.

Quinque indirecti, eiuſdem figuræ *ſcilicet*

— BA RA LIPTON.

CEL AN TES, DA BI TIS, FAP ESMO, FRIS ES O M.

Quatuor ſecundæ figuræ, v. g.

CES A RE, CAM ES TRES, FES TI NO, BA RO CO.

Sex tertiæ figuræ.

— DA RAP TI,

FEL AP TON, DIS AM IS, DA TIS I, BO CAR DO, FE RI-SON.

Prima | *Secunda* [*Syllaba* deſignat { Maiorem. Minorem. Concluſionem. | *Tertia*

Quod ſi fortè plures ſyllabæ in his reperiantur, v.g. in *Friſeſomorum*, ſunt metri gratiâ, & reducendi ſunt ad tres ſyllabas, *v. g. Baralipton*, ad BA RA LIPT. *Friſeſomorum* ad FRIS ESM O.

DEINDE animaduertendæ ſunt quatuor vocales, nempe A. E. I. O. *Quorum valor eſt notus è ſupradictis.*

ITEM, omnia problematum genera ſunt *affirmatiua*, vel *negatiua*; *vniuerſalia*, vel *particularia*: quiſquis autem nouit concludere vniuerſaliter poteſt, & concludere *particulariter*. Idcirco qui callet BARBARA, callet, & DARII: qui probè ſcit CELARENT, ſcit, & FERIO. Quamobrem ad perfectè demonſtrandum, opus ſolùm eſt accuratè noſſe BARBARA, & CELARENT: at nemo poteſt perfectè ſcire hos Modos, qui neſcit *imperfectos*, ad *perfectos* reducere. Quapropter qui ignorat artem reducendi ſyllogiſmos nunquam ad ſcientiam poterit peruenire. Igitur hìc agimus de *Reductione* ſyllogiſmorum; hæc autem eſt OSTENSIVA; vel AD IMPOSSIBILE.

DE

REDVCTIONE OSTENSIVA.

REDVCTIO *oſtenſiua*, ea eſt quâ *Concluſio* ſyllogiſmi imperfecti eruitur viâ directâ in *modo perfecto*. Id eſt, ſeruatis iiſdem propoſitionibus & terminis.

EA fit ſolâ *propoſitionum Tranſpoſitione*, v. g. in *Figurâ* Galeni, vel *Conuerſione*, *v. g.* in *Baralipton*, vel denique vtrâque ſimul, putà in *Cameſtres*.

Tranſpoſitio propoſitionum eſt, dum *prima* præmiſſarum fit ſecunda, vel viciſſim, *v. g.* hìc *in Figurâ* Galeni.

Omnis homo eſt animal.
Omne animal eſt viuens.
Ergo omnis homo eſt viuens.

SIC *tranſponendo maiorem*, *&* *dicendo*

Omne animal eſt viuens.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis eſt viuens.

CONCLVSIO *conuerti*; nunquam *tranſponi* poteſt.

QVÆNAM propoſitiones tranſponi, vel *Conuerti* debeant, *diſcas hoc diſtico.*

S. *vult* ſimpliciter *verti*; P verò per accid.
M. [*vult tranſponi*; C *verò*, *per* impoſſibile *duci.*

S. vult *ſimpliciter* verti. *Id eſt*, quæuis propoſitio Modi, in quâ reperitur litera S, debet conuerti *Conuerſione ſimplici.*

P verò *per accid.* Id eſt, propoſitio Modi affecta litera P, debet conuerti *Conuerſione per accidens.*

M vult *tranſponi.* Id eſt propoſitio in quâ reperitur *litera* M, debet *tranſponi*; ſi ſit maior, fiat minor, ſi minor, fiat maior.

Id omne conſtat in

FAP- ⎧ Omne animal eſt viuens.
ESM- ⎨ Nullum marmor eſt animal.
O. ⎩ Ergo aliquod viuens non eſt marmor.

ANTEQVAM hunc Modum reducas (idem, dicas de reliquis ſeruatâ proportione) aduerte omnes Modos incipere à *literis* B, C, D, F. Modoſque omnes incipientes à *litera* B, qui poſſunt re-

Digitized by Google

duci *Oſtenſiuè* putà BARALIPTON; reuocandos ad BARBARA; qui incipiunt à *litera* C. *v.g.* CESARE, &c. reducendos eſſe ad CELARENT, *Idem dicas de cæteris.*

DEINDE aduerte ad *literas medias*; putà S, P, M, C Quorum valor è noſtris ſciptis innoteſcit.

SIC ergo, prædictum *Syllogiſmum*; quia incipit per F, reduces ad FERIO, ſcilicet maiorem; quia affecta eſt *Litera* P, *conuertendo conuerſione per accidens*; nempe dicendo *aliquod viuens eſt animal*, & minorem; quia eſt affecta *Litera* S, *conuertendo conuerſione ſimplici*, ſic dicendo *nullum animal eſt marmor*, & quia adiunctam habet *Literam* M, ipſam *tranſponendo* è loco *minoris*, in locum *maioris*. Vnde habes hunc ſyllogiſmum *reductum in*

Fe- Nullum animal eſt marmor.
ri- Aliquod viuens eſt animal.
o. Ergo aliquod viuens eſt marmor.

SIC reducitur FRISESOMORVM in FERIO.

Friſ- Aliquod viuens eſt planta.
eſm- Nullus lapis eſt viuens.
o. Ergo aliqua planta non eſt lapis.

Fe- Nullum viuens eſt lapis.
ri- Aliqua planta eſt viuens.
o. Ergo aliqua planta, non eſt lapis.

In his duobus Modis habes omne artificium *Reductionis oſtenſiuæ.*

C *verò per impoſſibile duci.* Id eſt Modus, cuius propoſitio eſt affecta *Litera* C, (putà BAROCO, & BOCARDO) reducendus eſt ſolùm *per impoſſibile.* Enimuero neuter *modus* reuocari poteſt oſtenſiuè ad BARBARA, aut Celarent; nam concluſio ſequitur deteriorem partem. Nec in FERIO; nam *minor negans*, nequit conuerti in *affirmantem*; qualis eſt in

BAROCO, aut *maior negans*, in *vniuerſalem affirmantem.* Id liquet è regulis *Conuerſionis*: id tamen fieri deberet, vt BOCARDO in BARBARA conuerteretur.

DE

REDVCTIONE AD IMPOSSIBILE.

REDVCTIO AD IMPOSSIBILE probat quòd *Syllogiſmi directi* primæ Figuræ, admiſſis præmiſſis, neceſſariò concludant; cum *Syllogiſmi imperfecti*, hoc pacto rectè concludant; nam admiſſis eorum præmiſſis, neceſſe eſt admittere *concluſionem*, aut incidere in *contradictionem*, vt patebit è dicendis.

DEDVCTIO *ad impoſſibile*, ea eſt quâ quis cogitur admittere *Contradictoriam*, aut ſaltem *Contrariam* propoſitioni à ſe iam conceſſæ.

DICITVR DEDVCTIO *ad incommodum*; quia indirectè probamus concluſionem ab aduerſario negatam per ipſius contradictoriam aut ſaltem contrariam: at nullum eſt maius incommodum in *Logicâ*, quàm in *Contradictionem* incidere; nam eſt à veritate recedere.

VT *deducas ad Impoſſibile.*

☞ 1. SCIENDVM eſt cuiuſnam Figuræ ſit ſyllogiſmus cuius *concluſio eſt negata.*

☞ 2. ASSVMENDA eſt *contradictio* concluſionis negatæ, vera profectò ad mentem aduerſarii.

3. ASSVMENDA eſt *altera* præmiſſarum iam conceſſa, vt eam cum *contradictione* ordines in ſyllogiſmum.

Digitized by Google

4. ANIMADVERTES in eâ non valere conuerſionem, nec propoſitionum tranſpoſitionem.

5. INTELLIGENDVS eſt ſenſus verſuum modò dicendorum, vt ſcias quænam propoſitio retineri, aut reticeri, aut quomodò cum contradictoriâ admiſsâ debeat ordinari.

Maior *ſit* minor, *& ſit Contradictio, Maior.*
Excipe Celantes, *in quo peruertitur ordo.*
Seruat Maiorem, variatque Secunda, *Minorem.*
Tertia, *Maiorem variat, ſeruatque Minorem.*

MAIOR fit *minor*, &c. Id eſt, in *modis indirectis* primæ Figuræ, maior propoſitio ſyllogiſmi reducendi (ſeu cuius concluſio eſt negata) fit minor ſyllogiſmi reducti, & contradictio admiſſa fit illius maior: at habitis præmiſſis facilè concluſio eruitur, vt conſtat è diſpoſitione terminorum primæ Figuræ in modis directis.

Sit tibi igitur hic ſyllogiſmus reducendus *putà*
ba- Omne animal eſt viuens.
ra- Omnis homo eſt animal.
lip. Ergo aliquod viuens eſt homo.

PRIMÒ animaduertes eſſe ſyllogiſmum indirectum primæ Figuræ. Tum aſſumes contradictionem concluſionis negatæ, nempe *nullum viuens eſt homo*; tunc (iuxta præceptum primi verſûs) conſtitues eam in Maiorem; & Maiorem ſyllogiſmi Reducendi nempe *omne animal eſt viuens* in minorem, & poſtea directè concludes. Huncque ſyllogiſmum inferes

Nullum viuens eſt homo.
Omne animal eſt viuens.
Ergo nullum animal eſt homo.

MAIOR, eſt Contradictio concluſionis negatæ: minor, eſt maior ſyllogiſmi reducendi: concluſio,

verò eſt contraria Minoris admiſſæ in ſyllogiſmo reducendo.

Excipe celantes *in quo*, &c. Id eſt, vt reducatur ad *impoſſibile* is qui negauit concluſionem modi *Celantes*, huius minor fit maior, & contradictio ipſius concluſionis, fit minor, v. g.

Ce- Nullum animal eſt planta.
lan- Omnis homo eſt animal.
tes. Ergo nulla planta eſt homo.

Sic dices

Omnis homo eſt animal.
Aliqua planta eſt homo.
Ergo aliqua planta eſt animal.

Maior huius, eſt minor ſupradicti, & minor, eſt contradictio concluſionis *Celantes*, Concluſio, eſt contradictio maioris propoſitionis modi *Celantes* ab aduerſario admiſſæ.

Servat *Maiorem, variatque*, &c. Id eſt modus ſecundæ Figuræ reducitur ad *impoßibile*, ſeruando ipſius maiorem in maiorem ſyllogiſmi reducti, & aſſumendo contradictionem in huiuſce minorem. Sic reducitur

Ceſ- Nullum animal eſt lapis.
a- Omne marmor eſt lapis.
re. Ergo nullum marmor eſt animal.

Dicendo in hunc modum

Nullum animal eſt lapis.
Aliquod marmor eſt animal.
Ergo aliquod marmor non eſt lapis.

Quæ concluſio eſt contradictoria minori conceſſæ.

Tertia *Maiorem variat*, &c. Id eſt, modus tertiæ Figuræ reducitur ad *Impoßibile*, collocando contradictionem ipſius concluſionis in maiorem,

minoremque ipſius ſeruando, v. g.

Da- Omne animal eſt viuens.
rap- Omne animal eſt ſenſitiuum.
ti. Ergo aliquod ſenſitiuum eſt viuens.

Dicendo Nullum ſenſitiuum eſt viuens.
Omne animal eſt ſenſitiuum.
Ergo nullum animal eſt viuens.

Hæc concluſio eſt contraria maiori conceſſæ, putà *omne animal eſt viuens*, & contradictoria huic concedendæ, putà *aliquod animal eſt viuens*.

Niſi termini diſponantur in ſingulis Figuris, & modis vt dixi, pag. 268. Non fiet reductio ad impoſſibile. Si enim loco præcedentis concluſionis putà, aliquod ſenſitiuum eſt viuens. *Diceretur* aliquod viuens eſt ſenſitiuum, non concluderetur contradictoriè in primâ Figurâ. Nam ſic foret ſyllogiſmus reductus nempe

Nullum viuens eſt ſenſitiuum.
Omne animal eſt ſenſitiuum.
Ergo nullum animal eſt viuens.

In ſecundâ Figurâ, quæ vix eſt euidentior *Tertiâ*.

DE PRINCIPIIS, ET REGVLIS SYLLOGISMORVM.

PRINCIPIA *Syllogiſmorum* perfectorum ſunt 1. *Dici de omni* (conſequente) ſeu quicquid dicitur per ſe de conſequente, & quatenùs ipſum, dicitur, & de omni eius *Antecedente*: quicquid dicitur de animali vniuerſaliter, dicitur de homine, & belluâ.

Dici de nullo, quicquid negatur de conſequente

vniuerſaliter negatur, & de eius *Antecedente.* Quicquid negatur de animali quatenùs animal, negatur quoque de homine, & belluâ.

Hoc præceptum conuenit omni ſyllogiſmo negatiuo: alterum verò omni affirmatiuo, cuiuſuis modi, & Figuræ.

FVNDAMENTVM Syllogiſmorum.

a. Secundæ Figuræ: quicquid ſequitur ex Antecedente, ſequitur, & è Conſequente. Hinc concludit hic ſyllogiſmus

Omne animal ſentit.
Nullus lapis ſentit.
Ergo nullus lapis eſt animal.

Repugnat quòd lapis ſit animal; quia repugnat lapidi ſentire, quod tamen conuenit animali

b. Tertiæ Figuræ; quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Cum Pater Diuinus, & Verbum ſint vnum in Diuinitate, ſunt & *Vnus Deus.*

DE

EXAMINE SYLLOGISMORVM.

FALLACIA in ſyllogiſmis contingit ratione materiæ, tum formæ: contra illam agitur in Elenchis: aduersùs hanc autem, hìc præcepta tum vniuerſalia, tum particularia afferimus.

REGVLÆ

GENERALES SYLLOGISMORVM.

1. SYLLOGISMVS conſtet tantùm *tribus terminis* explicitè, vel implicitè, ritè ad concludendum ordinatis. Vnde vitioſi ſunt hi ſyllogiſmi.

Omnis definitio prædicatur in quid.
Omnis differentia includitur in definitione,
Ergo omnis differentia prædicatur in quid.

Secundum eſt immediatè poſt primum.
Tertium eſt immediatè poſt ſecundum.
Ergo tertium eſt immediatè poſt primum.

2. Nullus terminus ſit in Conſequente, qui non fuerit in antecedente. *Hinc non valet dicere,*

Omne animal eſt viuens.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo pictus eſt viuens.

3. Medium nunquam ingrediatur concluſionem; probaretur enim idem per ſeipſum; tum quia eſt menſura quâ probatur attributum concluſionis ſubiecto ineſſe, vel non ineſſe: at menſura concluſionis præcedere debet concluſionem.

4. Medium debet diſtributiuè ſumi in alterâ præmiſſarum, id eſt ſumi vniuerſaliter; quare hìc Syllogiſmus non concludit.

Aliquod animal eſt quadrupes.
Omnis homo eſt animal.
Ergo aliquis homo eſt quadrupes.

5. Nullus terminus diſtribuatur in conſequente,

Digitized by Google

qui non fuerit diſtributus in antecedente. *Id eſt* in *conſequente* non ſumatur vniuerſaliter, ſeu ſecundùm omnem ſuam extenſionem, qui ſumptus fuerit ſolùm particulariter, ſeu pro aliquo particulari in *antecedente*.

Signum vniuerſalitatis affirmans, *omne*, diſtribuit ſolum ſubiectum, putà in iſtà propoſitione.

Omne animal eſt viuens.

OMNE, diſtribuit *animal*, non *viuens*.

Signum vniuerſalitatis negans, *Nullum*, diſtribuit ſubiectum, & attributum; v. g. in illà propoſitione *nullum animal eſt planta*, NVLLVM, diſtribuit *animal* ſimul, & *plantam*.

Signum particularitatis, *Aliquis*, *nonnullus*, quià eſt affirmans nihil diſtribuit.

Signum particularitatis negans, *non aliquod* diſtribuit ſubiectum, & attributum, v. g. *non aliquod animal eſt lapis*, non aliquod, diſtribuit *lapidem*, & *animal*.

6. E puris negatiuis, aut particularibus nihil concluditur vi formæ. Hinc non valent iſti Syllogiſmi.

Nullus equus eſt planta.
Nullum vegetans eſt equus.
Ergo nullum vegetans eſt planta.

Aliquis homo eſt albus.
Quilibet Æthiops eſt homo.
Ergo quilibet Æthiops eſt albus.

7. Concluſio ſequatur debiliorem partem; ſi enim altera præmiſſarum ſit negans, aut particularis, concluſio ſit negans, vel particularis: ſi vna præmiſſarum ſit negans, & altera particularis; concluſio ſit ſimul negans, & particularis, vt patet in Ferio.

Particularitas, deterior eſt vniuerſalitate; nega-

tio affirmatione. Hinc non valent iſti Syllogiſmi.

Nullum animal eſt lapis.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt lapis.

Omnis homo eſt rationalis.
Aliquod animal eſt homo.
Ergo omne animal eſt rationale.

E quouis, non quoduis, concluditur : è quâuis enim causâ quilibet effectus non producitur, nec è quouis ligno fit Mercurius. Vnde non valet concludere, *Sol lucet*, ergo *plantæ folijs nudantur*; licet, & Sol luceat, & plantæ foliis nudentur; lumen enim Solis non eſt ratio casûs foliorum ex arboribus, ſed humor in ramis frigore concretus, qui foliis non ampliùs communicatur.

PRÆCEPTA
PECVLARIA SYLLOGISMORVM.

DVO ſunt propria cuilibet figuræ.

In primâ figurâ *maior ſit vniuerſalis* : alioqui medium non diſtribueretur. Hinc nullus eſt hic Syllogiſmus.

Aliquod animal eſt equus.
Omnis leo eſt animal,
Ergo aliquis leo eſt equus.

Minor ſit affirmans; alioqui maius extremum diſtribueretur in concluſione, non diſtributum in antecedente; vt patet

Omnis

Omnis leo eſt viuens.
Nullus homo eſt leo.
Ergo nullus homo eſt viuens.

In ſecundâ figurâ *maior ſit uniuerſalis*; quia maius extremum diſtribueretur in conſequente, non diſtributum in antecedente, *putà*

Aliquod viuens non eſt planta.
Omnis arbor eſt planta
Ergo aliqua arbor non eſt viuens.

E *puris affirmantibus nihil ſequitur vi formæ.* Vnde non valet dicere.

Beatitudo eſt iucunda.
Voluptas corporis eſt iucunda.
Ergo voluptas corporis eſt beatitudo.

In *tertiâ figurâ, ſit minor affirmans*, vnde vitioſus eſt hic Syllogiſmus

Omne ſaccarum eſt dulce.
Nullum ſaccarum eſt lac.
Ergo nullum lac eſt dulce.

Conclvsio *ſit ſpecialis* : vnde non valet iſte Syllogiſmus

Omnis ignis eſt corruptiuus.
Omnis ignis eſt leuis.
Ergo omne leue eſt corruptiuum.

DE

SPECIEBVS SYLLOGISMORVM.

SYLLOGISMVS multiplex eſt ratione Figuræ, & Modi de quibus ſupra.

Modi Syllogiſmorum, præſertim ſunt

PERFECTI, in quibus nempe conſequentiæ bonitas naturali lumine apparet; vt ſunt ſoli quatuor primæ figuræ, qui *directi* dicuntur, quia directè concludunt; id eſt, ſecundùm expectationem auditorum; ſiquidem ita ordinantur vt eorum omnes propoſitiones ſint directæ. *Vid. ſupra*, pag. tum & hunc ſubiectum ſyllogiſmum.

Bar- { Omne animal eſt viuens.
ba- { Omnis homo eſt animal.
ra. { Ergo omnis homo eſt viuens.

In hoc enim omnes propoſitiones ſunt categoricæ, & termini ponuntur in concluſione, eo modo, quo ſunt in præmiſſis; quod enim ſubiicitur in *concluſione*, ſubiicitur, & in *minore*; quod attribuitur in concluſione attribuitur in maiore. Dicuntur perfecti; quia nihil iis addi, vel ab iis detrahi poteſt vt præſtantiores euadant.

IMPERFECTI ſunt in quibus conſequentiæ bonitas obſcuriùs apparet, quod indirectè concludant: non enim maius, & minus extremum diſponuntur in concluſione; vt in præmiſſis.

Licet modi ſecundæ, & tertiæ figuræ indirectè concludant; tamen non ſimpliciter dicuntur *indirecti*; quia non ità *indirectè* concludunt, quàm quinque vltimi Modi primi Figuræ; nam in iis maius extremum eſt ſubiectum concluſionis, minus extremum eſt attributum. Vnde fit quòd inferius dicatur de ſuperiori; ſpecies de differentiâ; ſubiectum de formâ; vt patet in

ba- { Omne animal eſt viuens.
ra- { Omnis homo eſt animal.
lip. { Ergo aliquod viuens eſt homo.

ALIA

DIVISIO SYLLOGISMI.

SYLLOGISMVS eſt, *vel*

Communis / Expoſitorius	[cuius medium eſt	Commune: / Singulare.
Abſolutus / Modalis	[cuius propoſitiones ſunt	abſolutæ. / modales.
Simplex / Complexus	[qui conſtat propoſitionibus	ſimplicibus: / complexis.

Complexus, eſt is cuius tota vis pendet ab vnâ propoſitione; eſtque *vel*

Conditionalis, *cauſalis*, *diſiunctiuus*, *copulatiuus*, *& per analogiam*.

Conditionalis; eſt is qui affectus eſt particulâ conditionali SI, NISI.

Eo non vtetur peritus Logicæ niſi dum argumentabitur ex hypotheſi admiſsâ ab aduerſario, nec quidquam enim aliter vi formæ concludit, putà

Si homo eſt animal eſt ſenſitiuus.
Sed homo eſt animal.
Ergo homo eſt ſenſitiuus.

Ea ſiquidem ratio dicendi obſcurior eſt, & ſeruatâ eâdem formâ, poteſt ſequi falſum, vt ſi dicas

Si homo eſt animal eſt equus.
Sed homo eſt animal.
Ergo homo eſt equus.

Digitized by Google

Syllogiſmus cauſalis, eſt is qui conſtat propoſitionibus affectis particula cauſali (Ideo) v. g ſi quis ita loquatur.

Ideò homo eſt admiratiuus quia eſt rationalis.
Sed omne admiratiuum eſt diſciplinæ capax.
Ergo homo ideò eſt diſciplinæ capax quia eſt rationalis.

Non valet illud argumentum, niſi in argumentis ad hominem, & è conceſſis ab aduerſario: tum quia obſcurior, prolixior, eſt & deceptorius, poteſtque ferè ſemper abſolutè efferri, v. g. ſuperior, *dicendo*.

Omne rationale eſt diſciplinæ capax.
Omnis homo eſt rationalis.
Ergo omnis homo eſt diſciplinæ capax.

Syllogiſmus *diſiunctiuus*, eſt is cuius tota vis pendet è propoſitione diſiunctiua, putà

Homo eſt animal rationale, *vel* irrationale.
Homo non eſt animal irrationale.
Ergo homo eſt animal rationale.

Logico eſt neceſſarius; licet quandoque ſit cauillatorius; v. g. *hic*

Homo eſt aſinus, *vel* non eſt aſinus.
Sed homo non eſt aſinus.
Ergo homo eſt aſinus.

Copulatiuus, eſt is cuius vis pendet à propoſitione copulatiuâ; v. g.

Numerus non eſt par ſimul, & impar.
Numerus binarius eſt par.
Ergo numerus binarius non eſt impar.

Syllogiſmus *per comparationem*, is eſt in quo vnum de alio paritate probatur. Non reiiciendus, ſed in ſcholis retinendus: *analogia* quippe licet remotum

eſt tamen inſtrumentum ſciendi, vt patet hoc Syllogiſmo.

Se habent bonæ leges ad Rempublicam, vt Fundamenta ad ædificium.

Fundamenta fulciunt ædificium.

Ergo bonæ leges fulciunt Rempub.

Syllogiſmus iterum eſt, *vel*

1. *Logicus*, *nempe* conſtans tantùm tribus propoſitionibus claris, conſciſis, quantùm fieri poteſt abſolutis, & neceſſariis, v. g.

Omne par eſt diuiduum in duas partes æquales,
Binarius eſt par.
Ergo binarius eſt diuiduus in duas partes æquales.

2. *Rhetoricus*, qui conſtat maiori, & ſi neceſſe eſt, maioris probatione; minori, & eius probatione, tum elicit concluſionem, v. g.

Quod appetitur naturaliter haberi poteſt;
Appetitus *enim* naturalis non fertur ad impoſſibile.
Virtus appetitur naturaliter ab homine;
Eſt *enim* vltimum ipſius complementum.
Ergo virtus haberi poteſt ab homine.

DIVISIO

SYLLOGISMI RATIONE MATERIÆ.

SYLLOGISMVS ratione *materiæ remotiſſimæ*, eſt vel.

Demonſtratiuus [qui eſt è *principiis* *propriis* cuiq; ſcientiæ.
Dialecticus [qui eſt è *principiis* *probabilibus*.
Pirasticus [qui eſt è *principiis* *veris* Reſpondenti.

Sophiſticus, qui videtur concludere, nec niſi falſum concludit.

Syllogiſmus enim eiuſmodi verſatur; circa res quæ ita veræ ſunt vt nequeant eſſe falſæ : vel circa res modò veras, modò falſas ; vel circa res falſas, apparenter veras.

DE DEMONSTRATIONE.

SYLLOGISMVS DEMONSTRATIVVS, item & ſcientificus, ſeu qui parit ſcientiam, vocatur demonſtratio. Hæcque ſumi poteſt, *vel*

a. Cauſaliter, pro ſolis præmiſſis.

b. Effectiuè, pro merà concluſione.

c. Integraliter, ſeu totaliter, ſcilicet pro aggregato è premiſſis, & concluſione. Hæcque eſt demonſtratio ſimpliciter, eſtque vel A

1. POSTERIORI, per quam probatur *cauſa per effectum*; v. g. exiſtentia Dei, per creaturas; effectus enim neceſſariò deducere poteſt ad notitiam ſuæ cauſæ.

2. PRIORI, per quam probatur *effectus* per *cauſam*, v. g. admiratiuum, *de homine*, per rationale.

HÆC *demonſtratio definitur*, ſyllogiſmus conſtans propoſitionibus veris, primis, ſeu immediatis, notioribus, & cauſis concluſionis.

1. *Conſtat veris*; quod enim falſum eſt, demonſtrari non poteſt (putà quod ſit æſtus maris apud Venetias; cum ibi nequidem illius vlla ſit vmbra.) Per hoc enim demonſtratio differt à *Syllogiſmo Topico*, & *Sophiſtico*.

2. *Primis*, ſeu *immediatis*; enimuero eius propoſitiones ſunt indemonſtrabiles, vel *ſimpliciter*, vel

ſecundùm quid. Illæ propoſitiones vt plurimùm ſunt per ſe notæ.

Propositiones per ſe notæ, ſunt *vel*

a. *Nobis*, v. g. nix eſt alba.

b. *In ſe*, putà Deus eſt.

c. *In ſe*, & *nobis*; nempe totum eſt maius ſuâ parte.

3. *Notioribus* etenim *propter quod vnum quodque tale, & illud magìs*: at propter præmiſſas, concluſio eſt euidens. Igitur multò magìs præmiſſæ ſunt claræ. *Vt valeat* hoc *axioma*, requiritur, vt

a. *Prædicatum* quod conuenit vni, propter alterum, vtrique poſſit ineſſe. Vnde, licet propter vinum ſaltet Ebrius, illud tamen non magìs ſaltat quàm ebrius.

b. *Prædicatum* ſuſcipiat magìs, & minùs; vnde licet propter Adam, Abel ſit homo; ille tamen non magìs eſt homo, quàm hic

c. *Prædicata* ſint diuerſa; hinc non ſequitur quòd homo magìs intelligat, quàm eius intellectus, quia eadem eſt vtriuſque intellectio.

Vid. Quæ ſint notiora *tom. prim* pag. 105.

4. E *Cauſis* concluſionis; quia eſt à priori.

ITEM demonſtratio eſt, *vel*

1. ὅτι quia, quâ probatur aut

a. *Cauſa*, per effectum, v. g. rationale, per admiratiuum.

b. *Effectus*, per cauſam remotiſſimam; vt ſi quis probaret non eſſe Tibicines âpud Scythas; quia apud eos non creſcunt vites. *vel* aliquem dare Eleemoſynam; quia vult ſaluari.

2. διότι propter qvid, quæ ſola *demonſtrationum* apicem tenet. Quia eâ partâ mens quieſcit; affert enim vltimam rei cauſam. At ſcire quod-

que putamus cum ad vltimam rei cauſam perue-nimus.

Demonstratio, διότι, conſtat præmiſſis reciprocis, ſeu quarum attributum conuenit *omni* ſubiecto, *per ſe*, v, g.

Omne rationale, eſt admiratiuum.
Omnis homo eſt rationalis.
Ergo omnis homo eſt admiratiuus.

Admiratiuum conuenit

a. Omni rationali, nullum enim eſt quod non ſit admiratiuum.

b. Per se, rationalitas enim eſt propria cauſa virtutis admirandi.

c. Primò, *quatenus ipſum*; ſublato enim *rationali* tollitur, & *admiratiuum*.

Per se *dicitur* de aliquo, *vel* quòd

1. *Ponitur* in definitione ſubiecti, v. g *animal*, de homine.

2. *Definitur* per ſubiectum; ſic *Simitas* per ſe dicitur de *naſo*; definitur enim curuitas naſi.

3. *Non inhæret*; ſic *viuens* dicitur per ſe de homine.

4. *Eſt propria cauſa effectûs*, v.g. ortus ſolis reſpectu diei.

Nigredo conuenit *omni* Coruo, *non per ſe*, animal conuenit *omni* homini, *per ſe*, non autem *primò quatenus ipſum*; ſublato quippe *homine* non tollitur *animal*; manet enim in belluis: at rationale conuenit *omni* homini, *per ſe*, *primò* quatenus ipſum.

Demonstratio

1. Vniversalis potior eſt *demonſtratione particulari*; quia verſatur circa res magis ſcibiles, &

intelligibiles, quibus plura noſcimus; quàm per ſingularia.

2. Affirmans, *negante*: etenim *illa* ſe habet ad *hanc*, vt affirmatio, ad negationem: at affirmatio eſt prior negatione; ſicut ens, non ente. Hinc *demonſtratio affirmatiua*, non eget *negatione*: at *negatiua* eget *affirmatione*; è puris enim negatiuis nihil concluditur.

3. Ostensiva, præſtantior eſt *eâ*, quæ deducit *ad impoſſibile*; nam in *demonſtratione oſtenſiuâ* directè, & viâ naturali demonſtratur euidentia concluſionis per euidentiam præmiſſarum, ſeu principiorum. In *demonſtratione deducente ad impoſſibile*, indirectè demonſtratur veritas principiorum è veritate concluſionis; nam quia euidenter falſa eſt propoſitio oppoſita concluſioni negatæ, demonſtrat concluſionem negatam eſſe veram. Ideoque eam deductam eſſe è veris præmiſſis; cum è Vero nunquam ſequatur Falſum *vi formę*. Quapropter probat veritatem præmiſſarum, per veritatem concluſionis.

Cum *demonſtratio oſtenſiua*, potior ſit *demonſtratione deducente ad impoſſibile*; Affirmativa; *negante*, Vniversalis, *particulari*: Hinc Barbara eſt omnium demonſtrationum prima; cum ſit modus vniuerſaliter affirmatiuè concludens.

DEMONSTRATIO, eſt ſyllogiſmus ſcientificus, ſeu ſcientiæ genitiuus.

Scientia, eſt cognitio rei neceſſariæ per propriam cauſam, v. g. cognitio *virtutis admirandi*, per rationalitatem.

Hinc cognitio rei per *effectum*, *cauſam remotam*,

communem, vel *extraneam*, eſt ſolùm ſcientia ſecundùm quid.

Finis *ſcientiæ*, eſt veritatis cognitio, & mentis quies.

Exemplar, diuina veritatis comprehenſio.

Efficiens, humana ratio.

Obiectum, res vniuerſales vt ſcibiles.

SCIENTIA eſt, *vel*

1. *Subalternans*, cui alia ſubiicitur.

2. *Subalternata*, quæ alteri ſubiacet.

Subalternatio ſcientiæ eſt, vel ex { fine. / principiis. / obiecto. }

Subalternatio dicitur

1. E fine, cum finis ſcientiæ inferioris ſubordinatur fini ſcientiæ ſuperioris, v. g. finis *Militaris*, putà victoria; fini *Politicæ*, putà *Reipub.* fœlicitati.

2. E principiis; cum principia inferioris ſcientiæ probantur per principia ſuperioris, *vel*

a. *Deductione ad impoſſibile*; quà ratione omnes ſcientiæ ſubalternantur Metaphyſicæ.

b. *Directè, & oſtenſiuè*; v. g. præcepta *Medicinę*, putà contraria contrariis curantur; per principia *Phyſicę*; nempe quòd contraria ſe ab eodem ſubiecto mutuò expellant.

3. Ex obiecto; cum obiectum inferioris ſcientiæ, ſub obiecto ſuperioris continetur, v. g. obiectum *Muſicę*, putà numerus, ſub obiecto *Arithmeticę*.

Vt ſcientia inferior propriè ſubalternetur ſuperiori, requiritur, vt

a. Obiectum materiale vtriuſque ſit quodammodo vnum.

b. Obię́ctum ſubalternatæ addat differentiam accidentalem obiecto ſubalternantis.

c. Principia ſubalternatæ, ſint concluſiones ſubalternantis; ſic Medicina ſubordinatur Phyſicæ. Optica, Geometriæ.

DE

SYLLOGISMO TOPICO.

SYLLOGISMVS PROBABILIS, *Topicus*, *Dialecticus*, ſeu *Opinatiuus*, eſt is qui conſtat præmiſſis probabilibus, vel alterâ præmiſſarum probabili, v. g.

Omne quod ſupernatat eſt leue.
Omne ſuber ſupernatat.
Ergo omne ſuber eſt leue.

Omne animal diligit ſibi ſimile.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo diligit ſibi ſimile.

Problemata *Topica* ſunt, vel de { *genere.* / *proprio.* / *definitione.* / *accidente communi.* }

PROBATVR quia, quicquid de aliquo prædicatur eſt, *vel*

1. *Reciprocum*, hocque *vel* eſſentiam rei explicat, & eſt *definitio*; vel non, & eſt *proprium*.

2. *Non reciprocum*, hocque eſt pars definitionis; eſtque *genus*, vel *differentia*; vel ad definitionem non ſpectat, & eſt *accidens* commune.

PROPOSITIO *Probabilis*, ea eſt quæ videtur omnibus, *vel* pleriſque, *aut* ſapientibus, *atque* his, *vel* omnibus, *vel* pleriſque, *aut* horum præſtantiſſimis.

IMPROBABILE dicitur, *vel*

1. *Id* ex quo ſequuntur abſurda, v. g. quòd anima rationalis ſit mortalis. Sequeretur enim impios, probis fore fœliciores.

2. *Quod* ſenſibus, omniumque iudicio repugnat, v. g. quod belluæ non viuant.

3. *Id* cuius electio, eſt improbitatis, v. g. fraudem eſſe vtilem.

4. *Quod* votis hominum diſſentaneum eſt; v. g. vitium eſſe melius, virtute.

PROBLEMA *Dialecticum*, eſt quæſtio ad veritatis agnitionem, vel ad electionem, aut fugam pertinens.

Problema, , in quæſtionem non debet adduci, de cuius veritate qui dubitat, vi, vel punitione, non ratione debet conuinci. Putà *an* ignis ſit calidus, *necne*? *an* Deus colendus ſit *necne*? vno verbo nullum improbabile debet è profeſſo in quæſtionem vocari.

Locus Dialecticus, ſeu *argumentorum ſedes*, eſt promptuarium è quo argumenta eruuntur. Eſtque, *uel*

1. Maxima, *ſeu* propoſitio è quâ plures eliciuntur, v. g. *ſimile ſimili gaudet.*

2. Differentia maximæ, *ſeu* vox indicans differentiam Maximæ, è quâ educitur argumentum, v. g hæc vox *à ſimili*; *à contrariis*, &c.

Digitized by Google

DE

SYLLOGISMO SOPHISTICO.

SYLLOGISMVS *Sophiſticus*, qui *Sophiſma*, ſeu *Paralogiſmus* appellatur, eſt is qui conſtat propoſitionibus apparenter veris. Eſtque, *vel*

1. Pseudographus, qui mentitur demonſtrationem; eſtque is qui videtur procedere è principiis ſcientiæ propriis, v. g.

Naturaliſſimum eſt optimum.
Voluptas corporis eſt naturaliſſima.
Ergo voluptas corporis eſt optima.

2. Sophisticus *ſtrictè*, ſeu *contentioſus*, qui præſefert ſyllogiſmi *Topici* ſpeciem: ſeu ſyllogiſmus fallax qui videtur procedere è principiis communibus, v. g.

Quod à pluribus probatur eſt rectum.
Fraus inter vendendum, à pluribus probatur.
Ergo fraus inter vendendum eſt recta.

Sophiſta, olim *Sapiens*; nunc verò is, qui quæſtum ex apparente ſcientià captare tentat, appellatur.

Sophistæ *Scopus* eſt

Videri redarguere.

Oſtendere aliquid euidenter falſum.

Inducere vt admittatur aliquid communi opinioni repugnans.

Cogere ad idem multoties inutiliter repetendum.

Præſtare, vt reſpondens ſolecismum committat.

DISPOSITIO *Sophiſtica*, eſt.

Prolixitas orationis.

Differendi celeritas.

Ira, & altercatio.

Præpoſtero ordine ad aliquid probandum multas rationes, tum ad aſtruendum, tum ad euertendum conglobare.

Mentem occultare.

Ex æquo vtramque contradictionis partem interrogare.

Propoſitionem quam quis ſibi vult concedi, cum contrariâ interrogare.

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS.

DE METHODO.

LOGICA quandòque; quia eſt ſcientiarum ORGANVM, *Methodus* appellatur. Hìc *autem* METHODVS, eſt ordo diſcendæ, docendæque diſciplinæ.

DICITVR *Via breuis*; quia eius ope citò, & tutò poſſumus ad ſcientiarum adeptionem peruenire.

Propriè, eſt ordo diuiſionum, definitionum, enuntiationum, argumentationum, idoneus ad ſcientiam iuſtæ magnitudinis comparandam.

Methodus eſt { ſynthetica, / analytica, [ſeu { compoſitiua. / reſolutiua.

DE METHODO

SYNTHETICA, ET *ANALYTICA*.

METHODVS SYNTHETICA, quæ & *Methodus à principiis* appellatur, eſt progreſſus à

ſimplicioribus ad compoſita, v. g. à partibus ad totum; putà à literis, ad ſyllabas; ab his, ad dictiones, *Item* à principiis, cauſis, & proprietatibus, ad ſpecies, & à ſimplicioribus ſpeciebus, ad magis compoſitas: *qualis obſeruatur* in Compendio Phyſicæ.

METHODVS *Analytica*, quæ & dicitur *Methodus ad principia*, eſt progreſſio à compoſitis ad ſimplicia; v. g. à fine, ad media: à toto ad partes, v. g. ea, quâ expoſito mundo vniuerſim, explicantur variæ corporum ſpecies. *Sic* Geographi ab explicatione orbis terrarum, ad expoſitionem eius partium, putà *Europę Aſię*, &c. Tum ad deſcriptionem, *Regnorum*, *Prouinciarum*, *Locorum*, *Ciuitatum*, & *Pagorum* progrediuntur.

VTRAQVE METHODVS maximè inſeruit ad veritatis agnitionem; ſicut enim, niſi quis viderit partes horologii in horologium compactas, earum vim ignorat, & confusè ſolùm eas cognoſcit, niſi, & ſigillatim perſpexerit; ſimiliter qui nouit totum, non cognitis eius partibus ſigillatim ſumptis; vel partes ſolùm ſeorſim à toto, huius naturam perfectè non intelligit; totum enim, & partes, ſunt correlata.

Vtraque eiuſmodi *Methodus*, eſt vel { inuentiua. / diſpoſitiua.

DE

METHODO INVENTIVA.

METHODVS inuentiua eſt quâ occulta, & obſcura detegimus, idque fit

1. SIMI-

1. Similitvdine, & dissimilitvdine; nam cognito ſimili, ſimile; Item cognito diſſimili, facilè illius diſſimile cognoſcitur, *ſimilium* enim *ſimilis eſt ratio*; *diſſimilium*, *diſſimilis*. Vnde cognitâ animalitate hominis, facilè dignoſcitur animalitas bruti: cognitâ rationalitate hominis, facilè cognoſcitur irrationalitas bruti. Quamobrem ignarâ temeritate Carteſius animalitatem hominis aliter apprehendit quàm in belluis, formamque ſubſtantialem, atque accidentia, cum materiâ confundit.

2. Proportione; ſic cognitâ definitione vnius, poteſt cognoſci definitio alterius; ſicut enim definitio vnius conſtat genere proximo, & differentiâ maximè propriâ, ſic & alterius definitio iiſdem debet conſtare. Item cognitâ bonitate rerum, putà quòd vna ſequatur earum eſſentiam; altera verò earum accidentia: pariter cognoſcitur quód vna bonitas actionum humanarum ſit, quæ earum ſpeciem; altera verò, quæ earum accidentia ſpectet.

3. Resolvtione, & distinctione; ſic mirabilem corporis humani fabricam noſcimus beneficio *Anatomiæ*. Sic cognoſcimus omnium perfectionum genera, diſtributione Categoriarum in varias claſſes.

4. Compositione; nam totum eſt actus partium; vnde quis poteſt naturam hominis cognoſcere è compoſitione animæ rationalis cum corpore. *Item*, poteſt quis cognoſcere literarum vim, ex earum coniunctione in ſyllabas; ſyllabarum, ex earum compactione in dictiones.

AD inueniendum requiritur ſenſuum *perſpicacia*, ingenii *ſolertia*, ſtudii *perſeuerantia*; vt enim nolenti nihil eſt facile, ſic & volenti nihil impoſſibile; ſicut cognitio perficit amorem, ſimiliter

amor excitat actionem; actio autem non eſt rei impoſſibilis.

DE
METHODO DISPOSITIVA.

METHODVS Dispositiva, ea eſt quâ inuenta in debitum ſciendi ordinem digerimus.

AD diſponendum, requiritur *ſermonis claritas*, *breuitas*, *ordinatio*, *fœcunditas*; obſcuritas enim, prolixitas, ſterilitas, & confuſio ſunt indubitatum ignorantiæ argumentum.

Claritas conciliatur, *inutilia* obmittendo, *obſcuriora* illuſtrando; tum *poſteriora*, prioribus elucidando. Præſertim ſi vitetur caſuum obliquitas, ſermonis ambiguitas, necnon terminorum inordinata diſpoſitio.

Brevitas, tot enim ſcientis verba, debent eſſe tot veritatis pondera. Vitandæ ſunt igitur periphraſes, eiuſdemque rei importuna repetitio.

Sermonis *ordo*, eſt ſapientiæ fœtus. Hic autem poſtulat vt à leuioribus, notioribuſque, exordium ducatur. Hinc ignorantis eſt, demonſtratiuâ ratione theſim probare; tum in probatione topicâ deſinere.

Seruandus *ordo* naturæ, & diſciplinæ, quantùm fieri poteſt.

Ordo naturæ hìc, non eſt ordo generationis qui eſt progreſſus ab imperfectioribus ad perfectiora: ſed ordo actûs, ſeu dignitatis, quo priora dicuntur,

quæ ſunt præſtantiora.

Ordo diſciplinæ, eſt ordo euidentiæ, quo euidentiora ſunt priora.

Priùs exponi debent priora ordine naturæ, niſi obſtet ordo diſciplinæ. Vnde Ariſtoteles in Logicis priùs agit de *Relatione*, quàm de *Qualitate*; licet *qualitas* (vt potè quid abſolutum) ſit prior *relatione*, ordine naturæ. *Item* Porphyrius priùs agit de *ſpecie*, quàm de *Differentiâ*: licet. *Hæc*, quippe quæ ſit pars, prior ſit *ſpecie*, ordine naturæ. Obſtabat enim ordo diſciplinæ; relatorum enim notitia eſt coniungenda: at *ſpecies*, & *genus*, ſunt correlata; non autem genus, & differentia.

IN tractandis quæſtionibus, reſponſiones aduerſariorum, non ſunt admiſcendæ probationibus: ſed hæ continuandæ, donec ad primam cauſam deuenerimus: tùm aduerſariorum reſponſiones, obiectionum inſtar proponere, & ſoluere.

NON eſt probanda aduerſario theſis, principiis quæ non admittit, v. g. *exiſtere naturas communes* aduerſus Platonitos, aut Stoicos, authoritate Ariſtotelis. Aut veritatem Chriſtianam, aduerſus Iudæos, authoritate noui teſtamenti.

NON ſunt *confundenda Methodi*. Tam eſt abſurdum Theologum, myſteria fidei ratione humanâ velle demonſtrare, quàm Philoſophum, arcana naturæ reuelatione diuinâ probandâ ſuſcipere; non enim debemus mittere falcem in meſſem alienam; quæ ſunt medicorum tractent medici; fabrilia fabri. Diuerſa enim eſt diuerſæ artis, materiæ pertractandæ ratio. Fabula *fictum*; Hiſtoria verò *factum* exigit: hæc eſt vniformis veritatis *imago*, illa eſt ſolùm ipſius *vmbra*.

HINC tractare paſſiones *Anatomicè*; Phyſicam, *Mathematicè* (vt pro ſuæ imaginationis deceptione præſtitit Carteſius) eſt Methodi rationem ſuſdeque vertere.

Quàm prolixa eſt, & plena ignorantiæ, hæc probandi ratio. Illud fundat relationem quod eſt cauſa cur inter duo exurgat noua relatio : ſed relatio eſt cauſa cur inter duo exurgat noua relatio; quia illud eſt cauſa cur inter duo exurgat noua relatio, quod eſt cauſa cur inter duo exurgat noua identitas, &c. Hic enim ſtylus Sextanum, non Philoſophum redolet.

Logicus idipſum ſic efferret. Cauſa relationis, fundat relationem : relatio eſt cauſa relationis; putà identitatis, &c. Adeò oportet imperitum Logicæ, eſſe ignarum.

DENIQVE *Status Quæſtionis* probè ſtatuendus eſt. Nam vt plurimùm quæſtionem intelligere, eſt ſoluere. Tum quia niſi quis *quæſtionis ſtatum* apprimè calleat, eam probare, nec improbare vllatenùs poteſt.

☞ *DE* re quâlibet perfectè ſciendâ, quatuor tantùm quæſtiones fieri poſſunt, *putà*

1. AN SIT, vbi agitur de *nomine*, *poſſibilitate*, (& ſi opus eſt) *de rei exiſtentiâ*; fruſtra enim quæreretur an exiſtat numerus.

Fruſtra probatur exiſtentia rei, per quid ipsâ obſcurius, v. g. exiſtentia boni, per exiſtentiam virtutis.

2. QVID SIT, vbi agitur de *rei eſſentiâ*, ſeu *definitione* : hæc autem conſtat *genere*, & *differentiâ* : vel *materiâ*, & *formâ*. Omnis enim quæ à ratione ſuſcipitur de aliquâ re inſtitutio, debet à *defi-*

nitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id de quo quæritur.

Per { exiſtentiam / eſſentiam } [noſcimus { quòd / quid } [res ſit.

3. QVALIS SIT, vbi de proprietatibus, putà *vnitate*, *multiplicitate*; *veritate*, *intelligibilitate*; *bonitate*, *neceſſitate*, &c. rei ipſius agitur.

4. PROPTER QVID SIT, vbi de cauſis rei agitur, nempe de *finali*, *efficiente*, *exemplari*, *&c.*

Hæc Methodus, quantùm exiget ordo diſciplinæ, ſeruanda eſt, & in ſingulis quæſtionibus pertractandis, obſeruanda.

OFFICIA
ARGVMENTANTIS,
ET RESPONDENTIS.

VTERQVE ſit docilis, & Logicus, vt clarè, certò, ordinatèque, *hic* argumentetur, *ille* verò reſpondeat: cum ament alterna *Camena*; nè *ille* præfocet reſponſiones, neque *hic* præripiat argumentantis rationes. Neuter ſit pertinax, ne fortè principia, & veritatem agnitam temerè neget; non decet enim reſpondentem propugnare falſum, nec argumentantem, è profeſſo impugnare Verum.

DISPVTATIO, eſt de veritate propoſitæ quæſtionis diſceptatio. Eſt enim ratiocinatio ad alte-

Digitized by Google

rum, vt ei quid propoſitum probetur. Hinc eadem ratiocinatio, vt eſt ad ſeipſum dicitur *argumentatio*: vt eſt inter opponentem, & reſpondentem dicitur *diſputatio*.

Diſputatio eſt vetus, quæ fit *Dialogis*, ſicut apud Platonem: altera eſt noua quæ fit ſyllogiſmis, vt apud Ariſtotelem: *illa* deceptioni, *hæc* verò captioni minimè eſt obnoxia: *illa* commodior eſt Aggredienti, *hæc* Suſtinenti.

MVNVS

ARGVMENTANTIS.

ARGVMENTANS oppugnet *Theſim*, oppoſitâ *ratione*, *deſtructione* fundamenti ab aduerſario poſiti, vel *inſtantiâ* obiectionis, donec ad contradictionem, aduerſarium deduxerit.

HINC puerile eſt eiuſmodi diſputationis initium, dicendo, *tua theſis eſt falſa*. Ergo nulla.

INVTILIS eſt de ſolo nomine diſputatio.

LVDERE ſagaciter, non illudere quis debet: inter diſputandum ardor, langori præſtat; attamen nè quid nimìs: nè non ſit oſtenſio veritatis, ſed oſtentatio vanitatis.

NE Medium varietur, quòd facilè vitatur, dum quis non obſoletis, & conditionatis: ſed abſolutis, primæque figuræ ſyllogiſmis, quantùm fieri poteſt, nec vnquam enthymematis, niſi in re-

Digitized by Google

ſumptionibus vtatur ; iis enim vti, eſt imperiti, non autem Logici.

NE variis loquendi modis idem ſignificantibus multiplicet, intricetque *ſyllogiſmos* ; non enim ***hi numerandi***, ſed ſunt *ponderandi.*

Curet etiam nè captionibus contendat : ſed neceſſarium, aut ſaltem probabilem ſyllogiſmum inter diſputandum adhibeat. Nè importunè, & ad faſtidium, ſed opportunè diſputet, & ad delectamentum, ſemperque abſit æſcrologia ; φιλόσοφος δὲ, φιλέγκαλος, corrumpunt enim bonos mores, colloquia praua.

MVNVS

RESPONDENTIS.

RESPONDENS oderit tricas, triuialeſque reſponſiones, neque ſine neceſſitate, & quaſi intercalare carmen afferat has diſtinguendi formulas, nempe *Materialiter*, *Formaliter*, *Reduplicatiuè*, & ſimiles, non minùs inutiles, quàm pueriles reſponſiones ; hoc enim ſapit eum qui difficultatis nodum non capit. Multò igitur minùs fingat inutiles, & inſolentes diſtinctiones, v. g. *exigentialiter*, *&c.*

☞ *PROPOSITIONES* ſyllogiſmi *Vera* ſunt, *Falſa*, vel *Ambiguę.*

1. VERÆ ſemper debent admitti ; nihil enim à Philoſophiâ magìs eſt alienum, quàm veritatem non admittere. Propoſitionis admiſſæ ratio afferri

non debet; non enim probanda ſunt ea de quibus non eſt quæſtio.

2. Falsæ debent ſemper negari, earumque negationis vſquè eſt afferenda ratio, nè videatur quid temerè proferre (Dum tamen *propoſitio falſa* nil confert ad propoſitam difficultatem, & ſi negaretur aliò *Quæſtio* diuerteretur) non eſt abſolutè inficienda: ſed huius falſitas, eſt obiter indicanda.

3. Ambigvæ ſunt diſtinguendæ; *certa* enim ab incertis; *vera*, à falſis ſunt ſecernenda.

☞ Dvm *diſtinguis*, & non *ſubdiſtinguis*, debes ſemper priùs concedere Veritatem, quam Falſitatem negare. Ratio eſt; quia *affirmatio* ſequitur ens, *negatio* non ens: at ens eſt prius non ente.

Deinde ſi incertò aliquando priùs, aliquando poſteriùs concedas, nullus tibi erit certus diſtinctionis modus. Quare facilè poteris inter reſpondendum interturbari.

Demvm, quia dum primò concedis, tum poſtea negas, qui aduersùs te argumentatur, facilior i ratione tuam percipit mentem, clariorique *methodo* procedit *Diſputatio*. Eundem etiam obſeruabis inter ſcribendum, reſpondendi ordinem.

DE

PARTIBVS RESPONSIONIS

INTER DISTINGVENDVM.

QVINQVE ſunt reſponſionis partes, dum ſoluitur ſyllogiſmi ambiguitas; nempe *diſtinctio*, huius *explicatio*, *applicatio*, *iterata applicatio*, *contradictio* concluſionis aduerſarii: vt patet hoc exemplo

Obiectum ſcientiæ eſt neceſſarium.
Logicæ obiectum non eſt neceſſarium.
Ergo Logica non eſt ſcientia.

Sic reſpondeas, *diſtinguo maiorem*, obiectum ſcientiæ eſt neceſſarium quoad eſſentiam *concedo*: obiectum ſcientiæ eſt neceſſarium quoad exiſtentiam, *nego*. *Diſtinguo minorem*, Logicæ obiectum, non eſt neceſſarium ſecundùm exiſtentiam *concedo*: non eſt neceſſarium ſecundùm eſſentiam, *nego*.

Ergo Logica non eſt ſcientia: *nego conſequentiam*.

Quantò quis eſt Dialecticæ peritior, eò diſtinctionem ſuam ſtrictiùs conſtringit, tum poſteà appoſitos ſuæ diſtinctionis terminos luculentiùs exponit.

Dum *medium* eſt *ambiguum*, maior, & minor propoſitiones ſunt diſtinguendæ; duæ enim ſolùm propoſitiones ſunt diſtinguendæ, eæ ſcilicet in quibus inuenitur *terminus ambiguus*.

Dum *maior terminus* eſt *ambiguus*, maior propo-

ſitio, & concluſio ſunt diſtinguendæ. Secùs minor, & concluſio.

In ſyllogiſmis à paritate, *ſola maior propoſitio* eſt diſtinguenda; quia non ſunt propriè in formâ. Hinc conceſsâ minore, neganda eſt paritas, non verò conſequentia.

6. *OSTENDVNTVR* quinque prædictæ diſtinctionis partes *in prędicto ſyllogiſmo.*

1. DISTINCTIO. Neceſſarium, eſt ſecundùm *eſſentiam*, vel *exiſtentiam.*

2. EXPLICATIO. Neceſſarium quoad *eſſentiam*, eſt id cui conuenit neceſſaria attributorum connexio ſine quibus concipi nequit. Neceſſarium quoad *exiſtentiam*, eſt id quod ita eſt, vt impoſſibile ſit non eſſe.

Hę duę reſponſionis partes ſunt exra ſyllogiſmum: tres verò aliæ, reſpiciunt tres ſyllogiſmi propoſitiones. Hinc *earum beneficio,* ſyllogiſmus *perfectè diſtinguitur.*

3. APPLICATIO. Obiectum ſcientiæ eſt quidem neceſſarium ſecundùm *eſſentiam:* at non ſemper eſt neceſſarium ſecundùm *exiſtentiam.* Alioqui de ſolo Deo daretur ſcientia.

Dum Minor Terminus diſtinguitur, conceſſâ maiore, applicatio incipit à minore. Dum autem Maior Terminus; maior propoſitio diſtinguitur, conceſſâ minore tranſitur ad conſequens.

4. ITERATA APPLICATIO. Logicæ obiectum non eſt neceſſarium ſecundùm *exiſtentiam:* at eſt neceſſarium ſecundùm *eſſentiam.*

Poteſt quis afferre rationes conglobatas eorum quę profert, v. g. *appoſitè afferri poteſt ratio, cur* obiectum Logicæ ſit neceſſarium ſecundùm eſſentiam, *nimirùm quòd* ei conueniat neceſſaria connexio attri-

Digitized by Google

buti cum ſubiecto; *putà* definitioni, *quòd ſcilicet* ſit clarior definito, &c.

5. Conclvsio contradictoria concluſioni ſyllogiſmi aduerſarii. Sic concludendo, *quamobrem Logica eſt ſcientia.*

Cum nullum ſit maius incommodum quàm aduerſarium reducere ad impoſſibile. Idcirco cum aduersùs eum contradictoriè concluſiſti, nihil tibi vlterius eſt tentandum.

DEBES diſtinguere consequens, non consequentiam; nam *ſola ambigua ſunt diſtinguenda*: ambiguitas autem eſt *vocis*, vel *Orationis*; cum autem *Conſequentia* nec ſit *vox*, vel *oratio*: ſed *conſequens*, vt poté quod ſit propoſitio. Ideoque ſolum consequens eſt diſtinguendum : non autem consequentia.

Vnde *conſequens* dicitur à Logicâ *verum*, vel *falſum*; quia ipſa conſiderat *veritatem ſermonis.*

Dicitvr *bona*, vel *mala conſequentia*; non item *vera*, vel *falſa*; quia ſolùm eſt vera, vel falſa veritate, aut falſitate rei; hæc autem ſpectat ad Metaphyſicam.

Cvm *Logica* ſit quidam *Primæ Veritatis radius*, ſit in perpetuum illius manifeſtatiua.

EPILOGVS.

INITIVM Sapientiæ *Timor* Domini, huius progreſſus, *æternæ fœlicitatis Spes*; vltimum autem illius complementum eſt *diuina ardor charitatis*; etenim in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec in corpus coinquinatum peccatis; eſt

enim puriſſima æterni candoris irradiatio deſurſum veniens à patre luminum. Igitur neque eſt *diſcentis*, neque *docentis*: ſed ipſam largientis Dei; cum autem Deus ſuperbis reſiſtat, & humilibus det gratiam, *dilectione* magìs, quàm *lectione*; *votis*, quàm *verbis*; *oratione*, quàm *ratione*, à Deo impetratur. Vnde *Regum Sapientiſſimus*, his verbis, *da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam*, hanc à Deo efflagitando, quaſi ſororem, & amicam ſibi conciliauit. Quamobrem rectè Auguſto doctori, CRVX *Chriſti morientis*, facta eſt CATHEDRA *Magiſtri docentis*. Nihilominùs tamen Beatus (inquit *Sapientia*) qui inuigilauerit ad poſtes hoſtii mei quotidiè; non enim *dormientibus*, ſed *vigilantibus*: nec *incipientibus*, ſed *perſeuerantibus* propoſita eſt immarceſſibilis gloriæ corona.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

INDEX.

ITEM,

LEXICON PHILOSOPHICVM.

A.

ABSOLVTE, *id eſt* ſine ordine ad aliud.
Abſolutum, 124.
Abſolutum à cauſâ, *ibid.*
Abſol. à ſubiecto, *ibid.*
Abſol. à termino, 125.
Abſtinentia, 56. *tom. ſ.*
Abſtractio, 148. 149. *t ſ.*
Abſtractio comparatiua, 149. *tom. ſec.*
Abſt. merè præciſiua, *ibid.*
Abſtract. complexa, *ibid.*
Abſtract. ſimplex, *ibid.*
Abſtract. confuſa, *ibid.*
Abſtract. confuſiua *ibid.*
Abſtract. diſtincta, *ibid.*
Abſtract. rationis, *ibid.*
Abſtractio realis, 148. *t ſ.*
Abſtrahi, 149. *tom. ſec.*
Abſtr. termin⁹ *v. termin.*
Accdia, 54. 94. *to. ſec.*
Accidens. 143
Acc. vt opp. eſſentiæ, *ib.*
Acc. vt opp. neceſſariò, *ib.*
Acc. vt opp. ſubſtantiæ, *ib.*
Accidens vt eſt vniuerſa-

le, 178. *tom. ſec.*
Accid. genericum, *ibid.*
Accid. ſpecificum, *ibid.*
Accid. inſeparabile, *ib.*
Acc. ſeparabile, *ibid.*
Accretio, 198. 277.
Achates, 260.
Acquiſitum, 25.
Actio, 202 203 *tom. ſec.*
Actio vt opponitur effectioni, 16. 17.
Actio adductiua, 26.
Actio productiua, *ibid.*
Actio immanens, 204.
Actio tranſiens, *ibid.*
Actio hominis, 5. *tom. ſ.*
Actio humana, *ibid.*
Actio obiectiuè, 93.
Actio terminatiuè, *ibid.*
Act. inſtantanea, 205. *t. ſ.*
Actio tarda, *ibid.*
Actio naturalis, 205. *t. p.* 204. *tom. ſec.*
Actio violenta, *ibid.*
Actio vitalis, 204. *tom. ſ.*
Actio non vitalis, *ibid.*
Actiones elicitæ, 27. *t. ſ.*
Actiones imperatæ, *ibid.*
Act. imperari ſolitæ, *ib.*
Actiones imaginationis, & appetitûs ſenſitiui, 88. *tom. ſec.*
Actiones intellectûs, 85. *tom. ſec.*
Actiones voluntatis, 86 87. *tom. ſec.*
Actiuitas, corporis, 206.
Actiuum, 33.
Actuale, 140.
Actualitas. 39.
Actualiter, 178. *tom. ſec.*
Actuare, 24.
Actus, *ibid.*
Actus ab aliquo, 27.
Actus imperfectus, *ibid.*
Actus perfectus, *ibid.*
Actus primus, 25.
Actus ſecundus, *ibid.*
Actus primus ſimpliciter, *ibid.*
Actus primus ſecundùm quid, *ibid.*
Adæquatum, 116. *item vid.* obiectum totale.
Adagium, 53.
Adamas, 262.
Adoptio, 108. *tom. ſec.*
Adoratio, 137. *tom. ſec.*
Aduerbia, 232. *tom. ſec.*
Adulatio, 79. *tom. ſec.*
Adulator, 101. *tom. ſec.*
Adulterium, 60. *tom. ſec.*
Æmathites, 260.
Æmulatio, 62. *tom. ſec.*
Analoga, 152. 153. *t. ſec.*
Analogia, ſeu proportio, 153. *tom. ſec.*
Ænygma, 53.

Æqualitas, 190.
Æqu. adæquationis, *ibid.*
Æqual, continentiæ, *ib.*
Æquinoctium, 217.
Æquipollentia, 256. *t. ſ.*
Æquitas, 121. *tom. ſec.*
Æquiuoca æquiuocantia, 155 234. *tom. ſec.*
Æqu. æquiuocata, 155.
Æquiuocatio, 245. *tom. ſ.*
Æquiuoca à caſu, 155.
Æquiu. à conſilio, *ibid.*
Æquiuocus terminus, 152 *tom. ſec.*
Æquum, 121. *tom. ſec.*
Aer, 221.
Ærugo, 265.
Æs, 264.
Æſtimatiua, 293.
æſtus maris, 229.
æternitas, 122. 123.
æternum, 123.
æternum negatiuè, *ibid.*
æternum poſitiuè, *ibid.*
æthites, 260.
æuiternitas, 122. 123.
æuum, 123. 201.
Affabilitas, 79. *tom. ſec.*
Affabulatio, 54.
Affectiones diuiſionis, 223. *tom. ſec.*
Affectio, 99.
Affectiones relatorum, 195. *tom. ſec.*
Affectiones cauſæ, 65.
Affirmatio, 242. *tom. ſ.*
Agens, 76.
Agere ex ignorantiâ, 35. *tom. ſec.*
Agere è metu 33. *tom. ſec.*
Agere cum metu, *ibid.*
Agere fruſtra, 13. *tom. ſ.*
Agere in vanum, *ibid.*
Agere propter finem formaliter, 12. *tom. ſec.*
Agere propter finem materialiter, *ibid.*
Agere propter finem explicitè, 13. *tom. ſec.*
Agere propter finem implicitè, *ibid.*
Agere propter finem interpretatiuè, 13. *tom. ſ.*
Agere propter finem habitualiter, *ibid.*
Agere propter finem virtualiter, *ibid.*
Agitatio, 254.
Agonia, 94. *tom. ſec.*
Agricultura, 111. *tom. ſ.*
Alabaſtrites, 260.
Albedo, *vid.* candor,
Alburnum, 26.
Alectoria, 261.
Alicubi, 205. *tom. ſec.*
Alienatio, 248. *tom. ſec.*
Alimentum, 275.

Aliquid, 139.
Aliud adiectiuè. 63.
Aliud ſubſtantiuè, 62.
Allegoria, 248. *tom. ſec.*
Altanus, 238.
Alteratio, 199.
Alter. deſtructiua, *ibid.*
Alter. corruptiua, *ibid.*
Amare, 101. *tom. ſec.*
Amatio, *ibid.*
Ambarum, ſiue ambra, 259.
Ambitio, 66. *tom. ſec.*
Amicitia. 99. 100. *t. ſ.*
Amicitia contracta virtute, *ibid.*
Amicitia contracta voluptate, *ibid.*
Amicitia contracta, vtilitate, *ibid.*
Amor, 159. *tom. pr.* 91. 101. *tom. ſec.*
Amor amicitiæ, 159.
Amor concupiſcentiæ, *ib.*
Amor affectiuus, *ibid.*
Amor appretiatiuus, *ibid.*
Amor effectiuus, *ibid.*
Amphibologia, 245. *t. ſ.*
Ampliatio, 248. *tom. ſec.*
Analoga analogantia, 153. *tom. ſec.*
Anal. analogata, *ibid.*
Analogia, *ibid.*
Analogus terminus, 151. *tom. ſec.*
Analoga attributionis, 154. *tom. ſec.*
Anal. inæqualitatis, *ibid.*
anal. proportionis, *ibid.*
ἀνάστασις, 298.
angelus, 150.
angeli boni, 151.
angeli mali, *ibid.*
anguſtia, 94. *tom. ſec.*
anima, 271. 272.
anima rationalis, 294.
anima ſenſitiua 278.
anima vegetatiua, 274.
animal, 266. 269.
annihilatio, 80.
annus, 202.
antecedens, 258. *tom. ſ.*
antec. propoſitio 250. *t. ſ.*
antec. terminus, 216.
anteprædicamenta, 181.
antiperiſtaſis, eſt intenſio qualitatis ad præſentiam contrariæ; *putà* intenſio frigoris ad preſentiam caloris.
Anthiſtenes, 7.
antrorſum, 193.
Ἀσοφία, 68. *tom. ſec.*
appellatio, 248. *tom. ſ.*
appellatio formalis, *ibid.*
appell. materialis, *ibid.*
appetibile, 111.
appetitus cocupiſcẽs, 293.

appetitus iraſcens, *ibid.*
appetitus elicitus, 294.
appetitus innatus *ibid.*

Appetitus infinitus entitatiuè, eſt inclinatio agentis infiniti; puta Dei.

Appetitus infinitus obiectiuè, eſt is qui verſari poteſt circa bonum infinitum, v. g. appetitus agentis intellectualis.

apperibilitas *v.* appetibile.
appetitus naturalis, 8. *tom. ſec.*
appetitus rationalis, *ibid.*
appetitus ſenſitiuus, *ibid.*
Item 293. *tom. pri.*
appetitûs ſatietas, 111.
apprehenſio, 145. *to ſec.*
apprehenſio complexa, *vid.* terminus complexus
apprehenſio ſimplex, *vid.* terminus ſimplex.
aprilis, 202.
aptitudinaliter, 179. *t. ſ.*
aqua, 221.
aquæ ſpecies, 229.
Aquarius, 219.
Aquilo, 250.
arbiter 37. *tom. ſec.*
arbor, 266.
ἄρχων ἱερεὺς, 151.
archangelus, 152.
arduum, 293.
argentum, 264.
Arges, 236.
arguere, 257. *to. ſ.*
argumentatio, *ibid.*
argumentum, *ibid.*
Aries, 218.
Ariſtocratia, 114. *tom. ſec.*
ariſtoteles, 7.
Arithmetica, 14.
arrha, 71. *tom. ſec.*
ars 42. *tom. ſec.*
ars liberalis, *ibid.*
ars mechanica, *ibid.*
ars architectonica, *ibid.*
ars miniſtra, 43. *ibid.*
aſcenſus, 247. *tom. ſec.*
aſperitas, 290.
aſſimilatio, 87. 88.
aſſumptio corporis ab angelo, 154.
Aſteriſmus, 215.
Aſtrologia, 15.
Aſtronomia, *ibid.*
aſtutia, 53. *tom. ſec.*
atror, 285.
attentio, *vid.* intellectio reflexa.
attributa Dei inſtar actûs, 163.
attr. Dei inſt. habitûs, 162.
attr. Dei inſt. potentiæ, *ib.*
attributum, 239. *to ſec.*

auaritia, 79. *tom. ſec.*
auaritiæ ſurculi, *ibid.*
audacia, 64. 68. 95. *t. ſ.*
auditus, 285.
augmentatio, *vid.* accretio.
aura, 238.
aurora, 236.
aurum, 263.
auſter, 251.
axioma, 49.
axioma omninò primum, 50.
axioma non omninò primum, *ibid.*
axiomata de actu, & potentiâ, 34 &c.
axiomata de naturâ, 184.

B.

BEATITVDO, 14. *tom. ſec.*
Beatitudo eſſentialis, 19. *tom. ſec.*
Beatitudo integralis, *ibid.*
Beatitudo formalis, 14. *tom. ſec.*
Beatitudo obiectiua, *ibid.*
Beatitudo naturalis, 19. *tom. ſec.*
Beatitudo ſupernaturalis, *ibid.*
Beneficentia, 101. *tom. ſec.*
Beneficium, 79. *tom. ſec.*
Bellũ aggreſſiuũ. 135. *t. ſ.*
Bellum defenſiuum, *ibid.*
Bellum internum, *ibid.*
Bellum externum, *ibid.*
Bellum priuatum, *ibid.*
Bellum publicum, *ibid.*
Beneuolentia, 101. *tom. ſe.*
Beryllus, 262.
Bitumen, 258.
Blanditics, 79. *tom. ſec.*
Blaſphemia, 63. *tom. ſe.*
Bolus armena, 257.
Bona fides, 121. *tom. ſec.*
Bona honorabilia, 9. *t. ſ.*
Bona indifferentia, *ibid.*
Bona laudabilia, *ibid.*
Bonitas, 107.
Bonitas abſoluta, *ibid.*
Bonitas relatiua, 109.
Bonitas creata, 107.
Bonitas increata, *ibid.*
Bonitas in genere entis, 108.
Bonit. in genere moris, *ib.*
Boni prærogatiuæ, 110.
Boni proprietates, 111.
Bonum, 107. *tom. prim.* 8. *tom. ſec.*

Bonum abſolutum, 107.
Bonum relatiuum, 109.
Bonum apparens, 109. *tom. pr.* 8. *tom. ſec.*
Bonum honeſtum, 10. *to. ſ.*
Bonum iucundum, 10. *t. ſ.*
Bonum vtile, *ibid.*
Bonum in aliquo genere, 109.
Bonum in omni genere, *ibidem.*
Boreas, 250.

C.

CALCEDONIVS, 262.
Calchantum, 258.
Calidum innatum, 273.
Caligo 237.
Calix, 268.
Calor, 273.
Calor extraneus, *ibid.*
Calor naturalis, *ibid.*
Calor fixus, *ibid.*
Calor influens, *ibid.*
Calumnia, 79 *tom ſec.*
Calumniari, *ibid.*
Calumniator, *ibid.*
Cancer, 218.
Candor, 285.
Capræ ſaltantes, 234.
Captio, *vid.* ſophiſma.
Caput, 228. *tom. ſec.*
Carbo foſſilis, 259.
Caſtitas, 56. *to. ſec.*
Caſtitas conjugalis. 56. *to. ſec.*
Caſtitas vidualis, *ibid.*
Caſtitas virginalis, *ibid.*
Caſtigatio, 78 *.to. ſec.*
Caſtor, 236.
Caſus, 58. 59.
Cathegis, 242.
Categoria, 183. 184. *t. ſ.*
Caudex, 267.
Caurus, 251.
Cauſa, 55.
Cauſa actualis, *ibid.*
Cauſa virtualis, *ibid.*
Cauſa æquiuoca, 77.
Cauſa vniuoca, *ibid.*
Cauſa inſtrumétaria, 78.
Cauſa princeps, *ibid.*
Cauſa externa, 174.
Cauſa interna, *ibid.*
Cauſa efficiens, 76. 77.
Cauſa exemplaris, 82.
Cauſa finalis, 74. 75.
Cauſa formalis, 94. 95.
Cauſa materialis, 88.
Cauſa formalis totius Metaphyſici, 95.

Cauſa formalis totiusPhyſici, *ibid.*
Cauſa formalis totius per accidens, *ibid.*
Cauſa materialis ex quâ 88.
Cauſa materialis circa quam, *ibid.*
Cauſa materialis in quâ, *ibid.*
Cauſa Phyſica in moribus 77.
Cauſa Phyſica in Phyſicis, 77. 78.
Cauſa moralis in moribus 77. 78.
Cauſa moralis in Phyſicis, *ibid.*
Cauſa prima, 79.
Cauſa ſecunda, *ibid.*
Cauſa priuata, *ibid.*
Cauſa publica, *ibid.*
Cauſa per accidens, 56.
Cauſa per antiperiſtaſim, *ibid.*
Cauſa per ſe, 73.
Cauſa partialis partialitate cauſæ, 74.
Cauſa partialis partialitate effectûs, *ibid.*
Cauſa totalis totalitate cauſæ, 73. 74.
Cauſa totalis totalitate effectûs, *ibid.*
CauſæÆquitatis, 121. 122. *tom. ſec.*
Cauſæ iuſtitiæ, 73. *to. ſ.*
Cauſæ legis. 118. 119. *t. ſ.*
Cauſæ matrimonii, 106.
Cauſæ paſſionum, 89. *tom. ſec.*
Cauſæ prudentiæ, 49. 50. *tom. ſec.*
Cauſæ virtutis, 46. *to. ſ.*
Cauſæ vitii, 82. *tom. ſec.*
Cauſalitas, 64.
Cauſalitas in actu primo, 64.
Cauſalitas in actu ſecundo, *ibid.*
Cauſalitas cauſæ efficientis, 81.
Cauſalitas cauſæ exemplaris 87.
Cauſalitas cauſæ finalis, 75.
Cauſalitas cauſæ formalis, 96.
Cauſalitas cauſæ materialis, 89.
Cauſatio, 64.
Cauſatum, *ibid.*
Cautio, 52. *tom. ſec.*
Centrum actiuitatis ſphæræ, 206.
Centrum corporis, *ibid.*

Centrum grauitatis, *ibid.*
Centrũ magnitudinis, *ib.*
certitudo, 303.
certitudo medii *ibid.*
certitudo obiecti, *ibid.*
certitudo ſubiecti, *ibid.*
certum, 18.
charibdis, 227.
charitas, 68. 77. *tom. ſ.*
cherubim, 151.
chirographus, 71. *tom. ſ.*
chorus, 151.
chryſolitus, 262.
chryſtallus, 260.
cibus, 276.
Circius, 252.
Circonſtantia, eſt accidens bonitatem, aut malitiam actionis humanæ mutans.
Circunſpectio, 52. *to. ſ.*
ciuitas, 112. *tom. ſec.*
ciuitatis cauſæ, *ibid.*
Clauis, 228. *tom. ſec.*
clamor, 67. ſeu 63. *t ſ.*
clementia, 58. *tom. ſec.*
coactio, 31. *tom. ſec.*
coactio inſufficiens, *ibid.*
coactio ſufficiens, *ibid.*
coactum, *ibid.*
cœlum, 210.
cœlum planeticum, 111.
color, 284.
color apparens, 285.
color verus, *ibid.*
color externus, *ibid.*
color medius, *ibid.*
cogitatio, 301.
cognitio, 155. 300.
cognitio directa, *ibid.*
cognitio naturalis, 155.
cognitio reflexa, *ibid.*
cognitio ſpiritalis, *ibid.*
cognitionis nobilitas, 300.
cognoſcere, 155.
cognoſcens, 157.
cognoſcens illimitatum, *ibid.*
cognoſcens limitatum, *ibid.*
cognoſcens materiale, *ibid.*
cognoſcens ſpiritale, *ib.*
cognoſcibile, 155.
cognoſcitiuum, *ibid.*
commeſſatio, 59. *to. ſec.*
cometa, 235.
commodatum, 71. *t. ſ.*
communicatio ad extra, 162.
cõmunicatio ad intra, *ib.*
comparatiua. 231. *to. ſe.*
Compars, eſt id quod eſt pars cum aliâ, v. g. corpus reſpectu animæ, in viuente.

completum, 116. 117.
compoſitio, 114.
compoſitio mentalis, *ib.*
compoſitio realis, 115.
commutatoria, 111. *to. ſ.*
conceptus rei, 37.
conceptus obiectiuus, 84. *tom. pri.* 143. *tom. ſec.*
conceptus formalis, 84. *tom. pr.* 142. *to. ſec.*
concluſio, 265. *tom. ſec.*
concretum, 147. 148. *tom. ſec.*
concordia, 101. *tom ſec.*
concupiſcentia, 35. 36. 83. *tom. ſec.*
concurſus, 81.
concurſus immediatus, *ibid.*
concurſus mediatus, *ibid.*
condenſatio, 198.
conditio ſine quà non, 64.
conditiones entis categorici, 186. *tom. ſec.*
confuſio, 137.
coniugata 232. *tom. ſec.*
coniugium, 106. *tom. ſe.*
coniunctio, *vid.* vnio.

Connaturale, id eſt, conforme modo agendi naturæ. Sic connaturalius eſt Sacramenta producere gratiam moraliter quàm Phyſicè.

Connotatiuè, id eſt, cognoſci per ordinem ad aliud. Sic principium ratiocinandi dependenter à ſenſibus, putà *rationale*, connotat *animal.*

Conſcientia, 25. *tom ſe.*
conſenſus, 72. 87. *to. ſ.*
conſequens, 258. *tom. ſ.*
conſequens propoſitio, 250.
conſequens terminus, *vid.* terminus.
conſequentia, 258. *to. ſ.*
conſeruatio, 80.
conſeruatio directa, *ibid.*
conſeruatio indirecta, 81.
conſilium, 52. 116. 119. *tom. ſec.*
conſtantia, 67. *tom. ſec.*
conſtellatio. 215.
conſuetudo, 75. *tom. ſec.*
conſultare, 86. *tom. ſec.*
conſultatio, 85. *tom. ſec.*
contactus ſuppoſiti, 66.
contactus virtutis, *ibid.*
contemplatio, 301.
contentio, 61. *tom. ſec.*

Contigua dicuntur quorum extrema ſunt ſimul.

contentum, eſt id quod continetur.
continens, eſt id quod continet.
continens terræ, 229.
continens moraliter, 45. *tom. ſec.*
continentia, 57. *tom. ſec.*
continere eminenter, 66.
continere formaliter, 65.
continere virtualiter, *ib.*
contingens, 126.
contingenter. *ibid.*
continua, ſunt ea quorum extrema ſunt vnum.
contra naturam, 186.
contraria, 210. *tom. ſec.*
contraria immediata, 212. *tom. ſec.*
contraria mediata, *ibid.*
contractus, 70. *tom. ſec.*
contractus inuoluntarius, 72. *tom. ſec.*
contractus voluntarius, 70. *tom. ſec.*
contradictio, 245. *to. ſe.*
contradictoria, 212. *ibid.*
contumelia, 78. *tom. ſec.*
conueniens, 111.
conuentio, 70. *tom. ſec.*
conuertentia, *vid.* reciprocatio.
conuerſio, 251. *tom. ſec.*
conuerſio per accidens, 252. *tom. ſec.*
conuerſio per contrapoſitionem, *ibid.*
conuerſio ſimplex, *ibid.*
conuerti, *vid.* reciprocari.
conuitium, 78. *tom. ſec.*
copula verbalis, 242. *tom. ſec.*
cor, 228. *tom. ſec.*
corallus, 260.
corneolus, 261.
corporeum, *vid.* ſubſtantia corporea.
corpus, 181. 189.
corpus Mathematicè, 210.
corpus Phyſicè, *ibid.*
corpus Simplex, *ibid.*
corruptio, 198.
cortex, 267.
corus, 254.
coruſcatio, 235.
Coſmographia, deſcriptio mundi ſenſibilis, *vid.* 14.
crapundia, 261.
craſſities, 232.
creatio, 80.
crudelitas, 58. 67. *ſiue* 63. *tom. ſec.*
culmus, 268.

culpa . 84. *tom. ſec.*
cupiditas , 53. *tom. ſec.* *vid.* deſiderium.
cuprum , 264.
curioſitas , 67 . *ſiue* 63. *tom. ſec.*

D.

DAMNVM, 76.84. *tom, ſec.*
Debitum , 74. *tom. ſec.*
Decretio , 198.
Defectus , 112.
Defectus negatiuus , 108.
defectus priuatiuus , 109.
definitio , 51. *tom prim.* 224. *tom. ſec.*
definitio nominis , 225. *tom. ſec.*
definitio rei , *ibid.*
definitionis regulæ, 229. *tom. ſec.*
Definitum , eſt id quod definitione explicatur.
degeneratio , 297.
Deinceps eſſe dicuntur, intra quæ eſt quid diuerſæ rationis.
delectatio , 110.
delictum, *vid.* peccatum.
deliberatio, 89. *tom. ſec.*
deliberare , *vid.* conſultare.
demeritum , 98. *tom. ſec.*
Democratia, 114. *tom ſec.*
demonſtratio , 286. *t. ſ.*
demonſtratio à poſteriori, *ibid.*
demonſtratio à priori , *ibid.*
demonſtratio, διότι, 287. *tom. ſec.*
demonſtratio ὅτι, *ibid.*
demonſtratio exiſtentiæ Dei , 161.
demonſtratio exiſtentiæ materiæ primæ , 173.
demonſtratio formæ ſubſtantialis , 175.
demonſtratio immortalitatis animæ , 296.
denominatiua , 156. *t. ſ.*
denſitas, 231.
denſum , *ibid.*
dependenter, *vid.* eſſe dependenter.
dependentia accidentalis, 71.
dependentia eſſentialis , *ibid.*
dependentia actualis, 70.
dependentia virtualis, *ib.*

Digitized by Google

dependentia cauſalitatis, *ibid.*
dependentia mutuæ connexionis, *ibid.*
dependere, 65
dependere ſimpliciter, 65
dependere ſecundúmquid *ibid.*
depoſitum, 71 *tom. ſec.*
depreſſio, 255.
deorſum, 193.
deſcenſus, 247. *tom: ſec.*
deſcriptio, 227. 228. *tom. ſec.*
deſiderium, 92. *tom. ſec.*
deſperatio, 54. 95. *to. ſ.*
deterius, 231. *tom. ſec.*
determinatio, 67.
determinatio quoad exercitium, 67.
determinatio quoad indiuiduum, 68.
determinatio quoad modum. *ibid.*
determinatio quod ſpeciem, 67.
detractor, 79. *tom. ſec.*
deuotio, 137. *tom. ſec.*
Deus, 159. 160. 161.
dextrorſum, 194.
diæta, 112. *tom. ſec.*
diaphanum, 284.
dici de ſubiecto, 181. *t. ſ.*
Dici reciprocè, ſeu ad conuertentiam, *vid.* reciprocari.
dici ſecundùm quid, 249. *tom. ſec.*
dici ſimpliciter, *ibid.*
dies artificialis, 203.
dies naturalis, *ibid.*
differentia, 129. *tom. pri.* *Item* 174. *tom ſec.*
differentia communis, 174. *tom. ſec.*
differentia complexa, 175. *ibid.*
differentia conſtitutiua, 176.
differentia diſtinctiua, *ibid.*
differentia diuiſiua, *ibid.*
differentia generica, *ibid.*
differentia Maximæ, 292. *ibid.*
differentia maximè propria, 174. *tom ſec.*
differentia numerica, 176. *ibid.*
differentia non reciproca, 175. *ibid.*
differentia propria, 174. *ibid.*
differentia reciproca, 175. *ibid.*
differentia ſpecifica, 176.

dilectio, *vid* amatio
dilemma, 261. *tom. ſec.*
diligentia, 52. *tom ſec.*
diminutio, 249. *tom ſec.*
diſciplina, 10.
diſcordia, 61. *tom. ſec.*
diſcrimen actionis ab effectione, 16. 17. *item*, 8.
diſcrimen cauſalitatum ab inuicem, 97.
diſcrimen cauſæ à principio, 63.
diſcrimen entitatis ab eſſentiâ, 40.
diſcrimen formæ à cauſâ formali, 94.
diſcrimen finis à cauſâ finali, 74.
diſcrimen habitûs à diſpoſitione, 197. *tom. ſe.*
diſcrimen irati ab inimico, 96. *tom. ſec.*
diſcrimen impuri, *vel* mixti à puro, 113.
diſcrimen creationis à generatione, *item* annihilationis à corruptione, 197. 198.
diſcrimen ideæ ab exemplari, *item*, &c. à conceptu, 84. 85.
diſcrimen loci, à vaſe, 191.
diſcrimen Metaphyſicæ à reliquis ſcientiis, 20.
diſcrimen partis eſſentialis ab integrali, 119.
diſcrimen Philoſophiæ ſpeculatiuæ à practicâ, 15. 16.
diſcrimen potentiæ ab habitû, 200. *tom ſec.*
diſcrimen principii generationis à principio productionis, 23.
diſcrimen obiecti formalis à materiali, 93.
diſcrimen obiecti à termino, *ibid.*
diſcrimen vaſis à loco, 191.
diſcrimen virtutis à potentiâ, 32 33.
diſcurrere, eſt vnum ex alio inferre.
diſcurſus, 257. *tom. ſec.*
diſparata, 129
diſpoſitio, *vid.* ordo, *vel* habitus.
diſputare, eſt quæſtionem in vtramque partem agitare.
diſputatio, 301. *tom. ſec.*
diſſentire, eſt conſenſum denegare.
diſſerere, 141. *tom. ſec.*

Digitized by Google

diſſimulatio, 78 *tom. ſec.*
diſtinctio, 130.
diſtinctio rationis ratiocinantis, 131.
diſtinctio rationis ratiocinatæ, *ibid.*
diſtinctio realis maior, 130
diſtinctio realis minor, *ibid.*
diſtinctio virtualis, 132.
diſtinguere, eſt vnum, à ſeipſo *vel* ab alio diſcernere.
diſtractio, 249. *tom. ſec.*
diuerſa, 129
diuerſitas, *ibid.*
diuiſibilitas, 190.
diuiſio, 255. *tom pr*, 220. *tom. ſec*
diuiſio actiua 116
diuiſio mentalis, 116. *to p.* 220. *tom. ſec.*
diuiſio nominis, 220. *tom. ſec.*
diuiſio paſſiua, 116.
diuiſio totius per accidens 211 *tom. ſec.*
diuiſio totius per ſe, *ibid.*
diuiſio realis, ſeu Phyſica, 116. *tom pri*, item 220. *tom. ſec.*
diuiſio rei, 220. *tom. ſec.*
diuiſio relationis, 194. *ibid.*
diuiſiones rerum, 181. *ibid.*
diuiſionis affectiones, 223. *tom. ſec*,
diuiſum, 222. *tom. ſec.*
docilitas, 10. *tom. pr.* 51. *tom ſec.*
doctrina, 10.
dogma, 50.
dolor, 93 97. *tom. ſec.*
dolus, 53. *tom. ſec.*
dominium, 122. *tom ſec.*
dominium iuriſdictionis, 123 *tom. ſec*
dominium proprietatis, *ibid.*
domus, 111 228. *tom. ſec.*
dos, 106. 107. *tom. ſec.*
dos ſponſæ, *vid.* ſponſæ dos.
Draco, volans, 235.
duellum, *vid.* bellum priuatum.
duratio, 122.
durities, 231. 290.
dyadocos, 252.

E.

EBRIETAS, *59. tom ſec.*
Eclipſis Lunæ, 213. *to.pr.* 228. *tom. ſec.*
Eclipſis ſolis, *ibid.*
Echo, 286.
Ecſtaſis, *91. tom.ſec.*
Edictum, 118. *tom. ſec.*
Educi formam è materiâ, 88.
Eductio, 231.*tom.ſec.*
Effatum, 50.
Efficiens, 76.
Efficienter, 97.
Effectio, 16 17. 81.
Effectus, 64.
Effectus luxuriæ, 60 *t.ſ.*
Elatio, *vid.* tumor animi.
Electio, 87. *tom. ſec.*
Elementum, 220. 221.
Eligere, 87. *tom ſec.*
Elydros, 261.
Eminenter 66.
Empyreum, 211.
Ens, 139.
Ens abſtractum à materiâ, 21.
Ens adæquatum, ſeu completum, 116.
Ens categoricum, eſt id quod vnius categoriæ limitibus continetur.
Ens indæquatum, ſeu incompletum, 118.
Ens partiale, *ibid.*
Ens per accidens. 142.
Ens per ſe, 141.
Ens rationis, 139.
Ens reale, *ibid.*
Ens rationis effectiuum; 139.
Ens rationis obiectiuum, 140
Ens rationis ſubiectiuum, *ibid.*
Ens totale, 116.
Ens tranſcendens, eſt quod categoriæ limitibus non coarctatur.
Enthymema, 161 *tom ſ.*
Entitas, 40.
Entitas latè, 40.
Entitas propriè, *ibid.*
Entitas ſtrictè, *ibid.*
Entitatiuè, 41.
Enunciatio, *vid.* propoſitio.
Erubeſcentia, 96. *to.ſe.*
Eruditio, 10.

Eſſe eſſentialiter, eſt ita eſſe vt impoſſibile ſit non eſſe.
Eſſe dependenter, *65.*
Eſſe independenter, *ibid.*
Eſſe in ſubiecto, 182. *tom. ſec.*
Eſſe potentiam, 33.
Eſſe potentiâ, *ibid.*
Eſſe in potentiâ, *ibid.*
Eſſe ſecundùm quid, *62.*
Eſſe ſimpliciter, *62.*
Eſſentia, 37.
Eſſentia corporis naturalis, 181.
Eſſentiale, 38.
Eſſentiale Metaphyſicum, *ibid.*
Eſſentiale Phyſicum, *ibid.*
Eſſentialiter, eſt ſpectari ſecundùm eſſentiam.
Eſſentialiter vt opponitur accidentariò, 41.
Eſſentialiter vt opponitur entitatiuè, *ibid.*
Ethica, *9. vid.* moralis.
Euagatio mentis, *55. tom. ſec.*
εὐβουλία, 52. tom. ſec.
εὐεργεσία, 56. tom. ſec.
Euectio, *254.*
Euidentia, 302.
εὐνομία, 112. tom. ſec.
εὐπιστεῖν, ibid.
Eutrapelia, *58. tom. ſec.*
Examen ſyllogiſmorum, *277. tom. ſec.*
Exemplar dianoëticum, 84.
Exemplar externum, 84.
Exemplar internum, *ibid.*
Exemplar naturale, 83.
Exemplaris cauſa, *ibid.*
Exemplariter, 97.
Exemplum, 82. *tom. pri. Item 260. tom. ſec.*
Exhalatio, 233.
Ex hypotheſi, id eſt, è ſuppoſitione.
exiſtentia, 39.
Exiſtentia accidentaria, 40.
Exiſtentia eſſentialis, *ibid.*
Expergefactio, 292.
Experientia, 11.
Experientia imperfecta, 1.
Experientia perfecta, *ibid.*
Extremum, 133.
Exultatio, *93. tom. ſec.*

F.

FABVLA, 54.
Factum, 74. *tom. ſec.*
Facultas, 32.
Facultas aſſimilatrix, 276
Facultas attractrix, *ibid.*
Facultas concoctrix, *ibid.*
Facultas expultrix, 276.
Facultas motrix, 294.
Facultas retentrix, 276.
Fæx, 265.
Falſitas, 106.
Falſitas rei, *ibid.*
Falſitas ſigni, *ibid.*
Falſitas propoſitionis, 243 *tom. ſec.*
Falſum, 106. 107.
Fames, 276.
Familia, 105. *tom. ſec.*
Familiares, *ibid.*
Fas, 73. *tom. ſec.*
Fatum, 60. 61. 62.
Fauonius, 251.
Ferrugo, 265.
Ferrum, 264.
Feſtiuitas, *vid.* eutrapelia.
fictitium, 43.
fideiuſſio, 71. *tom. ſec.*
fidelitas, 78. *tom. ſec.*
fides, 40. *tom. ſec.*
fiducia, 94. *tom. ſec.*
fieri, 26.
figura, 102. *tom. ſec.*
figura ſyllogiſmi, 267.
finalis cauſa. 75.
finaliter, 97.
finis, 74. 75.
finis apparens, 11. 12. *t. ſ.*
finis cuius gratiâ, 75.
finis cui, *ibid.*
finis intermedius, 11. *tom. ſec.*
finis operis, 75.
finis operantis, *ibid.*
finis proximus, *ibid.*
finis quo, *ibid.*
finis remotus, *ibid.*
finis verus, 11. 12 *tom. ſ.*
finis vltimus, *ibid.*
finis vltimus formaliter, *ibid.*
finis vltimus materialiter, *ibid.*
finitum, 121.
firmamentum, 211.
flatus, 238.
flumen, 225.
fluuius, *ibid.*
fluxus maris, 226.
fœcunditas, 207.

fœlicitas ſecundùm quid, 14. *tom. ſec.*
fœlicitas ſimpliciter, *ibid.*
folium, 268.
folliculus, 269.
fons, 225.
forma, 45. 174.
forma accidentalis, 174.
forma ſubſtantialis, *ibid.*
forma aſſiſtens, 46.
forma informans, 45.
forma externa, 46. 97.
forma interna, 45. 96.
forma materialis, 180.
forma ſpiritalis, *ibid.*
forma propoſitionis, 242. *tom. ſec.*
forma ſyllogiſmi, 266. 267. *tom. ſec.*
formalis cauſa, 94.
formam educi, 88.
fornicatio ſimplex, 60. *tom. ſec.*
fortitudo, 64. *tom. ſec.*
fortuna dicitur effectus homini contingens cuius ratio nos latet. *vid.* 57. 58.
foſſa, 229.
fractio, 207.
fraus, 53.
fretum. 229.
friabilitas, 232.
frigus, 230.
fructus, 268,
fruitio, 87.
frutex, 166.
fuga, 92. *tom. ſec.*
fulgur, 235.
fulmen, 236.
fundamentum diſtinctionis rationis ratiocinatæ, 131.
fundamentum proximum relationis, 192. *tom. ſec.*
fundamentum remotum relationis, *ibid.*
furor, 62. *tom. ſec.*

G.

GAGATES, 260.
Galactites, 261.
Garbinus, 251.
Gaudium, 93. *tom. ſec.*
Gelu, 238.
Gemini, 218.
Gemma, 261.
Generatio, 197.
Genus, 167. *tom. ſec.*
Genus interiectum, 169. *ibid.*
Genus intermedium, *ibid.*

Genus proximum, 170. ibid.
Genus remotum, *ibid.*
Genus ſubalternum, 169.
Genus ſupremum, *ibid.*
Geographia, 15.
Geometria, 14.
Glacies, 238.
Gloria, 99. *tom. ſec.*
Gnome, 53. *tom. ſec.*
Gradatio, 260. *ibid.*
Grando, 237.
Gradus, 207. 216.
Gratiarum actio, 79. *tom. ſec.*
Gratitudo, *ibid.*
Grauitas, 230.
Gula, 59. *tom. ſec.*
Gulæ effectus, *ibid.*
Guſtus, 288.

H.

HABITVS, 39. 197. *tom. ſec.*
Habitus acquiſitus, 198.
Habitus congenitus, 198. *tom. ſec.*
Habitus certus, 40. *t. ſec.*
Habitus incertus, *ibid.*
Habitus infuſus, 198.
Habitus laudabilis, 39. *tom. ſec.*
Habitus naturalis, 198. *tom. ſec.*
Habitus non laudabilis, 39. *tom. ſec.*
Habitus præternaturalis, 198. *tom. ſec.*
Habitus ſupernaturalis, *ibid.*
Habitus partis rationalis, 199. *tom. ſec.*
Habitus partis rationis expers, *ibid.*
Hæreditas, 108. *tom. ſec.*
Hæreſis, 39. *tom. ſec.*
Halinitrum, 258.
Halo, 236.
Hebdomada, 203.
Helena, 236.
Herba, 266.
Heros. 46. 82. *tom. ſec.*
Herus, 109. *ibid.*
Hierarchia, 151.
Hiſtoria, 54. *tom. prim.* 228. *tom. ſec.*
Holocratia, 114. *tom. ſ.*
Hominis bona ſimpliciter, 49. *tom. ſec.*
Hominis mala ſimpliciter, *ibid.*
Homo, 269.

Honeſtas,

Honeſtas, 97. *tom. ſec.*
Honeſtas vt eſt pars temperantiæ, 57. *ibid.*
Honeſtum, 10. *ibid.*
Honor, 98. *ibid*
Honorabile, 9. *ibid.*
Hora, 204.
Horologium, 2 8. *to. ſe.*
Humana fides, 40. *ibid.*
Humiditas, 231.
Humor, *vid.* humiditas, *vel* aqua.
Humidum primigenium, 273.
Humidum alimentitium, 274
Humidum aqueum, *ibid.*
Humidum radicale, *ibid.*
Humilitas, 57. *tom. ſec.*
Hyacinthus, 262.
Hydrargyrum, 265.
Hypocriſis, 61. *tom. ſec.*
Hypocrita, *ibid.*
Hypotheca, 70. *tom. ſec.*
Hypoſtaſis, 148.
Hypotheſis, eſt ſuppoſitio.

I.

IACTANTIA, 61. 78. *tom. ſec.*
Iaculum, *vid.* lancea.
Ianuarius, 203.
Iaſpis, 259.
Idea, 84. 85.
Identificari, 129.
Identitas, *ibid.*
Identitas propriè, *ibid.*
Identitas ſtrictè, *ibid.*
Idem eſſe, eſt identificari.
Idies, 85.
Ieiunium, 55. *tom. ſec.*
Ignauia, 68. *tom. ſec.*
Ignis, 221.
Ignis fatuus, 236.
Ignis lambens, *ibid.*
Ignorantia, 33. *tom ſec.*
Ignorantia directa, 35. *tom. ſec.*
Ignorantia indirecta, *ibid.*
Ignorantia negatiua, *ibid.*
Ignorantia priuatiua, *ibid.*
Ignorantia iuris, 34. *tom. ſec.*
Ignorantia facti, *ibid.*
Ignorantia actualis, *ibid.*
Ignorantia habitualis, *ib.*
Ignorantia antecedens, 37. 38 *tom. ſec.*
Ignorantia concomitans, *ibid.*
Ignorantia conſequens, *ibid.*

Imaginatio, *vid.* Phantaſia.
Imago, 86. 87.
Imago artificialis, 87.
Imago intentionalis, *ibid.*
Imago naturalis, *ibid.*
Imitatio, 88.
Immateriale, *vid.* ſubſtantia ſpiritalis.
Immunditia, 59. *tom. ſe.*
Immunitas, 136 *ibid.*
Immutabile, eſt id, quod nequit mutari.
Impar, 188.
Impenetrabilitas, 190.
Imperare, 27. *tom. ſec.*
Imperium, 28. 119. *to. ſ.*
Imperium deſpoticum, 28.
Imperium politicum, *ib.*
imperfectio, ſeu priuatio, *vel* negatio perfectionis, *vid.* defectus. *Item*, malititia.
imperfectum, 108.
imperfectum negatiuè, *ibid.*
imperfectum priuatiuè, *ibid*
impietas, 138. *tom. ſec.*
implicite, id eſt latenter, & in alio; *ſic* animalitas eſt in homine, *vid.* 185. *tom. ſec.*
impoſſibile, 33. 128.
impoſſibilitas Metaphyſica, 128,
impoſſibilitas Moralis, *ibid.*
impoſſibilitas Phyſica, *ib.*
impatientia, 66. *tom. ſe.*
Imperator, 124.
impreſſio, 233. *tom. prim.* 199. *tom. ſec.*
improbabile, 292. *to. ſ.*
improperium, 77. 78. *tom. ſec.*
imprudens, 55. *tom. ſec.*
imprudentia, 54. *ibid.*
impudicitia, 60 *tom. ſec.*
impulſio, 200.
impurum, eſt quid ſordibus infectum.
In actu exercito, *eſt* aliquid actu, & de facto per ſe poſſe *agere*, vel *pati*. Sic petrus loqui, vel mori poteſt in actu exercito.
In actu ſignato, eſt poſſe tantùm per aliud *agere*, vel *pati*. Sic ſenſus eſt univerſalium, in actu ſignato, non in actu exercito. Sic & homo eſt corruptibilis.

Digitized by Google

inadæquatum, 118.
Inadæquatè, id eſt partialiter, ſeu ſecundùm partem.
inæqualia, 191.
inæqualitas, *ibid.*
inane, 196.
inceſtus, 60. *tom. ſec.*
Inclinatio propriè, eſt propenſio in bonum.
inclinatio generalis, 199. 200.
inclinatio ſpecialis, *ibidem.*
includi, 150. *tom. ſec.*
incommunicabile, 146.
incompletè, *vid.* inadæquatè.
incompletum, *vid.* inadæquatum.
inconſideratio, 54. *to. ſe.*
inconſtantia, 55. 67. *tom. ſec.*
incontinens, 81. *tom. ſec.*
incontinentia, *vid.* incontinens.
incuria, 54. *tom. ſec.*
independenter, *vid.* eſſe independenter.
independentia, 71. 72.
independentia à cauſâ, *ibid.*
independentia à radice, *ibid.*
independentia à termino, *ibid.*
indeterminatio, 67.
indictio romana, 201.
indifferentia, 67. 68.
indifferentia negatiua, 31. 67.
indifferentia poſitiua, *ibid.*
indifferentia quoad exercitium actûs, 68.
indifferentia quoad indiuiduum actûs, *ibid.*
indifferentia quoad modum actûs, *ibid.*
indifferentia quoad ſpeciem actûs, *ibid.*
indignatio, 93. *tom. ſec.*
indiuiduatio, 45. *to. pri.* 173. *tom. ſec.*
indiuiduum, *ibid.*
inductio, 260. *tom. ſec.*
ineſſe identicè, 98.
inferius, 169. *tom. ſec.*
infimum, 133.
infinitum, 121.
infinitum categorematicum, *ibid.*
infinitum ſyncategorematicum, *ibid.*
infinitum per eſſentiam, *ibid.*
infinitum per participationem, *ibid.*

infinitum per additionem *ibid.*
infinitum per detractionem, *ibid.*
influere, 62.
influere eſſe ſecundùm quid, 63.
influere eſſe ſimpliciter, *ibid.*
infœlicitas, *vid.* miſeria.
infuſio, 10.
ingenuitas, 49. *tom. ſec.*
inhærens, 143.
inhærere, *ibid.*
inhumanitas, *vid.* obduratio cordis,
iniquitas, 122. *tom. ſec.*
iniquus, *ibid.*
iniuria, 76. *tom. ſec.*
inobedientia, 61. 78. *tom. ſec.*
inſenſibilitas, 66. *tom. ſ.*
inſitum, id eſt à naturâ inditum.
inſtans, id eſt momentum durationis.
inſtinctus, 293.
inſtrumentum, 179.
inſtrumentum artificiale, *ibid.*
inſtrumentum coniunctum, *ibid.*
inſtrumentum naturale, *ibid.*
inſtrumentum ſeparatum *ibid.*
inſtrumentum ſupernaturale, *ibid.*
inſula, 225.
intendi, 209. *tom. ſec.*
interpretatio, *vid.* propoſitio
intellectio, 155. 299.
intellectio abſtractiua, 156.
intellectio apprehenſiua, *ibid.*
intellectio comprehenſiua, *ibid.*
intellectio directa, 155.
intellectio intuitiua 156.
intellectio matutina, *ibid.*
intellectio reflexa, 155.
intellect. veſpertina, 156.
intellectus, 154.
intellect. humanus, 299.
intellectus practicus, *ibid.*
intellect⁹ ſpeculatiuus, *ib.*
intellectus agens, 302.
intellectus patiens, *ibid.*
intellectus moralis, 24. *tom. ſec.*
intelligentia, 40. 51. *tom. ſec.*
intelligibile, 104.
intelligibile apparenter; 105.
intelligibile realiter, *ibid.*

intelligibile nobis, *ibid.*
intelligibile quoad ſe, *ib.*
intelligibilitas, 105.
intemperans. 81. *tom. ſec.*
intemperantia, 59. *to. ſ.*
intendi, 109. *tom. ſec.*
intenſio, 87. 142. *tom. ſ.*
intentio, 142. *ibid.*
intentio formalis, *ibid*
intentio obiectiua, *ibid.*
inuentio, 10.
inuentio medij, 265. *t. ſ.*
inuidia, 93. *tom. ſec.*
inuoluntarium, 32. *to. ſ.*
ira, 36. 62. 96. *tom. ſec.*
ira antecedens, 36. *ibid.*
ira conſequens, *ibid.*
iræ ſurculi, 62. *tom. ſec.*
iratus, 96. *ibid.*
iſthmus, 228.
iucunditas, 110.
iucundum, 10. *tom. ſec.*
iudex, 123. *tom. ſec.*
iudicium, 299. *tom. pri.*
Item, 124. 237. *tom. ſe.*
iulus, 268.
iunius, 202.
iuramentum, 138 *tom. ſ.*
Iuriſprudentia, 24. *to. ſ.*
Ius. 73. 74. 122. *tom. ſec.*
ius ciuile, 74. *tom ſec.*
ius gentium, *ibid.*
ius naturale, *ibid.*
ius priuatum, 76. *tom ſe.*
ius publicum, 75. *ibid.*
iuſtitia, 68. 69. *tom. ſec.*
iuſtitia commutatiua, 69. *tom. ſec.*
iuſtitia diſtributiua, *ibid.*
iuſtitia legalis, *ibid.*
iuſtitia particularis, *ibid.*
iuſtitia vindicatiua, *ibid.*
iuſtus, 122. *tom. ſec.*

K.

KTῆμα, 111 *tom. ſec.*
Κατηγορία, 183. *ibid.*

L.

LACVS 224.
Læuitas, 232. 290.
Lancea, 134.
Langor corporis, 92. *tom. ſec.*
Lapillus, 261.

Laſciuia, 60. tom. ſec.
Latio, 199. tom pr, 231. tom. ſec.
Laus, 98. 138 tom. ſec.
Legis cauſæ, 118. to. ſec.
Legitimatio, 108. to. ſec.
Legitimum, 122. tom. ſec.
Lelaps, 242.
Lentitudo, 61. tom. ſec.
Lentor, 232.
Leo, 219.
Leuitas, 230.
Lex, 116. &c. tom. ſec. vid. æquitas.
Lex æterna, 119. tom. ſec.
Lex ciuilis, 120. ibid.
Lex conſularis, 118 ibid.
Lex diuina, 120. ibid.
lex eccleſiaſtica, ibid.
lex humana, ibid.
lex tribunitiua, ibid.
lex naturalis, 25. 120. tom. ſec.
lex participata, 120. ibid.
lex non ſcripta, ibid.
lex ſcripta, ibid.
lex tribunitia, 180. to. ſe.
liberalitas, 79. tom ſec.
libertas, 304 to pr. 36. tom ſec.
libertas à coactione, 39. tom. ſec
libertas ſimplici neceſſitate, ibid.
libertas ciuilis, 37. ibid.
libertas contradictionis, 38. ibid.
libertas contrarietatis, ibid.
libertas moralis, 37. ib.
libertas naturalis, ibid.
liberum arbitrium, 36. tom ſec
libido, 59. tom. ſec.
libra, 219.
libs, ſeu lips, 251.
lignum, 268.
linea, 189.
linea naturalis, 207.
lingurius, 262.
liquefactio animæ, 92.
lis, 124.
loci differentiæ, 192.
locus, 191
locus communis, 192.
locus dialecticus, 292. tom. ſec.
locus Mathematicus, 192.
locus naturalis, ibid.
locus proprius, ibid.
locus violentus, ibid.
locutio, 141. tom ſec.
locutio mentaliter, ibid.
locutio obiectiuè, 142. ibid.
locutio vocaliter, 141. ib.

locutio mentalis formaliter, *ibid.*
locutio mentalis terminatiue, *ibid.*
locutio obiectiuè primò intentionaliter, 142. *ibid*
locutio obiectiuè ſecundo intentionaliter, *ibid.*
logica, 9. *to. pr.* 140 *to. ſ.*
logica acquiſita 140. *to. ſ.*
logica naturalis, *ibid.*
logica docens, 140. *to. ſec.*
logica dogmatica, 149. *ibid.*
logica experimentalis, *ib.*
logica vtens, 140. *ibid.*
longanimitas, 66. *to. ſec.*
loqui, 158. *tom. ſec.*
loqui in creatis, 141. *tom. ſec.*
loqui in diuinis, *ibid.*
loqui propriè in homine, *ibid.*
lubricitas, 232. *tom. ſec.*
lumen, 158 283 *&c.*
lumen fidei, 158.
lumen gloriæ, *ibid.*
lumen naturæ, *ibid.*
lumen efficienter, *ibid.*
lumen formaliter, *ibid.*
luna, 213.
luſtrum, 202.
lux, 283.
luxuria, 59. *to. ſe.*
Luxus, 66 *tom. ſec.*

M.

MACVLA, 84.
Magnanimitas, 65. *tom. ſec.*
Magnes, 260.
Magnificentia, 65. *to. ſec.*
Magnitudo molis, 188.
Magnum ſtrictè, 189.
Majeſtas, 115. *tom. ſec.*
Major propoſitio, 264. *tom. ſec.*
Majus, 202. *tom. ſec.*
Majus extremum, 263. *ibid.*
Malitia, 112.
Malitia abſoluta, *ibid.*
Malitia relatiua, *ibid.*
Malitia vt opponitur prudentiæ, 54. *tom. ſec.*
Malum, 112.
Malum abſolutum, *ibid.*

Malum entitatiuè, *ibid.*
Malum formaliter, *ibid.*
Malum ſubiectiuè, *ibid.*
Malum relatiuum, *ibid.*
Mania, 62. *tom.ſec.*
Mancipium, *vid.* ſeruus.
Manumiſſio, eſt miſſio è manu, ſeu poteſtate ſuâ. 109.
Mare, 224.
Margarita, 161.
Martius, 202
Materia indiuidualis, 21.
Materia intelligibilis, *ib.*
Materia Metaphyſica, 22.
Materia prima, 172.174.
Materia ſecunda, 172.
Materia ſenſibilis, 21.
Materia ſyllogiſmi, 263. *tom.ſec.*
Materialiter, 97.98.
Materiale, *vid.* ſubſtantia corporea.
Mathematica, ſeu Matheſis, 14.
Mathematica impura, *ib.*
Mathematica pura, *ibid.*
Matrimonium, *vid.* coniugium.
Matrimonii dotes, 106. *tom.ſec.*
Maxima, 53. *to. pr* Item 292. *tom ſec.*
Mechanica, 14.
Medicina, 231. *tom. ſec.*
Medicinæ diuiſio, 222. *to. ſec.*
Medium, 76.
Medium demonſtrationis, 266. *to.ſec.*
Medium cognitionis, 301.
Medium cognitum, *ibid.*
Medium, ſeu mediocritas cauſaliter, 44 *to.ſec.*
Medium, ſeu mediocritas formaliter, *ibid.*
Medium per negationem, *ibidem.*
Medium per extremorum *ibid.*
Medium per participationem, *ibid.*
Medium, ſeu mediocritas, rationis, *ibid.*
Medium, ſeu mediocritas rei, *ibid.*
Medius terminus, 264. *tom. ſec.*
Medulla, 268.
Memoria, 293.
Memoria intellectualis, 302. *to.pri.* Item, 51. *to. ſec.*
Mendacium, 78. *to.ſec.*
Mens, 299.

Menſis Lunaris, 202.
Menſis Solaris, *ibid.*
Menſis vſualis, *ibid.*
Menſura, 134.
Menſura actiua, 190.
Menſura molis, 189.
Menſura paſſiua, 190.
Menſura virtutis, *ibid.*
Menſurabilitas, *ibid.*
Meretricium, 60. *to.ſe.*
Meritum, 98. *tom.ſec.*
Merum, 113.
Metaphora 248. *tom.ſec.*
Metallum, 263.
Metaphyſica, 9.20.*&c.*
Μετεμψύχωσις, 291.
Meteorum, 233.
Meteororum ſpecies, *ib.*
Methodus, 295. *tom.ſec.*
Methodus analytica, *ibid.*
Methodus diſpoſitiua, 298. *tom.ſec.*
Methodus inuentiua, 296. *ibid.*
Methodus ſynthetica, 295. *ibid.*
Metus, 32. 95. *tom.ſec.*
Metus cadens in conſtantem virum, 32 *ibid*
Metus non cadens, *ibid.*
Militare præſidium, 124. *tom.ſec.*
Militaris diſciplina, 50. *ibid.*
Minor propoſitio, 264. *tom.ſec.*
Minor terminus, 264. *t.ſ.*
Miraculum, 186.
Miſcibilia, 256.
Miſeria, 20.
Miſericordia, 93. *tom.ſec.*
Mixtio, 216.
Mixtum, 233.
Mixtum imperfectũ, 233.
Mixtum perfectum, 256.
Mobile, 197.
Modeſtia, 57. *tom. ſec.*
Modi imperfecti ſyllogiſmorum, 282. *tom.ſec.*
Modi perfecti ſyllogiſmorum, *ibid.*
Modi poſterioris, 213. *tom.ſec.*
Modi prioris, *ibid.*
Modi ſimul, 214. *ibid.*
Modus, 42.
Modus propriè, *ibid.*
Modus ſtrictè, *ibid.*
Modus ſyllogiſmi, 269. *tom. ſec.*
Modificabile, *vid.* res modificabilis.
Mœror, 93. *tom.ſec.*
Moleſtum, 11. *tom.ſec.*
Mollities, 232. *to.pri.* 63. *tom.ſec.*

Momentum, eſt inſtans temporis.
Monaſtica, 103. *to.ſec.*
Monarcha, 116. *to.ſec.*
Monarchia, 113. *ibid.*
Mons 229.
Monſtrum, 59.
Moralis, 9. *tom. pri.* 4. 5. *to. ſec.*
Mores, 4. *ibid.*
Moroſitas, 79. *to ſec.*
Mors, 273.
Mos, 4. *tom. ſec.*
Motio, eſt operatio cauſæ,
Motio Moralis, 78.
Motio Phyſica, *ibid.*
Motio Metaphorica, 75. 76.
Motor, 197.
Motus, eſt via ad quietem.
Motus latè, 197.
Motus populariter, *ibid.*
Motus adductiuus, 200.
Motus intellectus, 158.
Motus localis, 199.
Motus naturalis, *ibid.*
Motus productiuus, 200.
Motus voluntatis, 158.
Motus tardus, 200.
Motus terræ, 254.
Motus velox, 200.
Motus violentus, 199.
Mouens 76.
Multiloquium, 59. *to. ſ.*
Multitudo, 103.
Mundi cauſæ, 210.
Mundus, 209.
Mundus idealis, *ibid.*
Mundus vniuerſalis, *ibid.*
Mundus intelligibilis, *ib.*
Mundus ſenſibilis, *ibid.*
Munus Argumentantis. 302. *to. ſec.*
Munus Reſpondentis, 303. *ibid.*
Muſica, 14.
Mutari, 26.
Mutatio, 80. 197.
Mutatio accidentalis, *ib.*
Mutatio ſubſtantialis, *ib.*
Mutilum, 120.
Mutuum, 71. *to. ſec.*
Myſterium, 186.

N.

NAPHTHA, 258.
Natura, 37. 44. 182.
Natura actiua, 183.
Natura paſſiua, *ibid.*
Natura naturans, *ibid.*
Natura naturata, *ibid.*

Natura indifferens ad oppoſita, eſt ratio.
Naturale, 184. *to. pr.* 30. *tom. ſec.*
Nebula, 237.
Neceſſarium, 126.
Neceſſarium abſolutè, *ib.*
Neceſſarium hypotheticum, *ibid.*
Neceſſarium ex hypotheſi, 127.
Neceſſarium ſecundùm quid ſimpliciter, *ibid.*
Neceſſitas, *ibid.*
Neceſſitas antecedens, *ib.*
Neceſſitas conſequens, *ib.*
Nefas, eſt iniquitas aduerſus Deum, *vid.* fas.
Negatio, 47.
Negligentia, 52. 54. *to. ſ.*
Nix, 237.
Nobilis, 123. *to. ſec.*
Nobilitas, 128. *ibid.*
Nobile, 136. *ibid.*
Nobilitatis excellentia, 136.
Nociuum, 11. *to. ſec.*
Nolitio, 87. *ibid.*
Nomen, 217. *ibid.*
Non purum, 113.
Notus, 251.
Numerus, 103. 187.
Num. categoricus, 187.
Numerus impar, 188.
Numerus formalis, *ibid.*
Numerus materialis, 187.
Numerus par, 188.
Numerus categoriarum, 187. *tom. ſec.*
Num. vniuerſalium, *ibid.*
Nutritio, 275.
Nutritiua facultas, *ibid.*

O.

OBDVRATIO cordis, 80. *tom. ſec.*
Obedientia, 78. *ibid.*
Obex, 207.
Obiectiuè, 93.
Obiectum, 89.
Obiectum attributionis, 90.
Obiectum communitatis, *ibid.*
Obiectum formale, 92.
Obiectum materiale, *ibid.*
Obiectum partiale, *ibid.*
Obiectum per accidens, 90.
Obiectum per ſe, *ibid.*
Obiectum primariũ, 92.
Obiectum proximum, *ib.*

Obiectum remotum, *ibid.*
Obiectum ſecundarium, *ibid.*
Obiectum totale, 90.
Obligatio, 70 *tom. ſec.*
Obſeruantia 77. *ibid.*
Obſtinatio, *vid.* pertinacia.
Occaſio, 56.
Oceanus, 224.
Oculus, 279. 285. *to. pri.* 231. *tom. ſec.*
Odium, 92. *tom ſec.*
Odium abominationis, *ibid.*
Odium inimicitiæ, *ibid.*
Odor, 287. 288.
Odoratus, 287.
Oeconomia, 103. *tom. ſec.*
Oeconomica, *ibid.*
Ocra, 257.
Oligarchia, 114. *tom. ſec.*
Officia argumentantis, & reſpondentis, 301. *to. ſ.*
Officia vitæ, 4 *tom. ſec.*
Oblatio, 138. *to. ſec.*
Onix, 262. 263.
Opacum, 284.
Opalus, 262.
Operatio, 16. 26.
Operatio Dei ad extra, 80.
Opifex, *vid.* cauſa efficiens.
Opinio, 40 *tom ſec.*
Oppoſita, 209 *tom. ſec.*
Oppoſitio propoſitionum, 253 *tom ſec.*
Oppoſit. propoſition. contradictoria, 254. 255 *ib.*
Oppoſitio propoſitionum contraria, *ibid.*
Oppoſitio propoſitionum ſubalterna, *ibid.*
Oppoſitio propoſitionum ſubcontraria, *ibid.*
Oppoſitio ſimplex, 210. *ibid.*
Oppoſitio contradictoria, 210. 211. *tom. ſec.*
Oppoſitio contraria, *ibid.*
Oppoſitio priuatiua, *ibid.*
Oppoſitio relatiua, *ibid.*
Optica, 14
Optimum, 231. *tom. ſec.*
Oratio, 137. 216. *to. ſec.*
Oratio enunciatiua, 220. *tom. ſec.*
Oratio logica, *ibid.*
Oratio non enunciatiua, *ibid.*
Oratio non logica, *ibid.*
Ordinatio, 137.
Ordo, 132.
Ordo actiuus, 135.

Ordo actûs, 137.
Ordo arbitrarius, 136.
Ordo cognitionis confuſæ, 136.
Ordo cognitionis diſtinctæ, *ibid.*
Ordo doctrinæ, *ibid.*
Ordo generationis, 137.
Ordo naturalis, 136.
Ordo naturæ, *ibid.*
Ordo paſſiuus, 135.
Ordo effectuum ad cauſas, 69.
Ordo operationum intellectûs, & voluntatis circa finem, & media, 88.
Organum, *vid.* inſtrumentum.
Organum ſensûs, 279.
Organum actiuum, *ibid.*
Organum paſſiuum, *ibid.*
Organum externum, *ib.*
Organum internum, *ibid.*
Oſtentatio, 78. *tom. ſec.*
Oſtium, 228.

P.

PACTVM, 70. *to. ſec.* 298.
Palus, 224.
Panthera, 262.
Pappus, 269.
Par, 188.
Parabola, 54.
Paraſelene, 237.
Paralogiſmus, 293. *to ſec.*
Parcitas 54 58. *tom. ſec.*
Parelius, 237.
Parœmia 53.
Paronyma, *vid.* denominatiua.
Pars, 118.
Pars actualis, *ibid.*
Pars potentialis, *ibid.*
Pars eſſentialis Metaphyſica, 118.
Pars eſſent Phyſica, *ibid.*
Pars integralis 119.
Pars effectiua, 118.
Pars ſubiectiua, *ibid.*
Pars etherogenea, *ibid.*
Pars homogenea, *ibid.*
Pars entitatiua, 119.
Pars quantitatiua, *ibid.*
Partes diſtinctionis inter reſpondendum, 305. *tom. ſec.*
Partiale, *vid.* inadæquatum.
Partialiter, *vid.* inadæquatè.

Participium, 219. *t. ſec.*
Particulare, eſt id quod, partem capit.
Paſtoralis, 111. *tom. ſec.*
Paſſio, 89. 201. 203. *tom. ſec.*
Paſſiuum, 33.
Patibilis qualitas, 201. *tom. ſec.*
Patientia, 60. *tom. ſec.*
Pax, 234. *ibid.*
Peccare, 83.
Peccatum, *ibid.*
Peccatum ex ignorantia, 84. *tom. ſec.*
Peccatum ex infirmitate, *ibid.*
Peccatum ex purâ malitiâ, *ibid.*
Peccatum per exceſſum, *ibid.*
Peccatum per defectum, *ibid.*
Penetratio, 190.
Peninſula, 228.
Perduellio, 115. *tom. ſec.*
Perduellis, *ibid.*
Per accidens, 56. 90. 142.
Perfectio. 107.
Perfectio ſimpliciter ſimplex, 208.
Perfectio ſimpliciter, *ibid.*
Perfectio ſecundùm quid, *ibid.*
Perfectibile, 33.
Perfectiuum, *vid.* actiuum.
Perforatio, 255.
Periculum, 32. *tom. ſec.*
Periurium, 80. *tom. ſec.*
Per ſe, 90. *to. pr.* 228. *t. ſ.*
Perſeuerantia, 46. 67. *tom. ſec.*
Perſona, 147.
Perſpicuum, 284.
Pertinacia, 61. *tom. ſec.*
Phantaſia, 272.
Phiella, 242.
Philoſophia, 5. 8. 9. *tom. pri.* 235. *tom. ſec.*
Philoſophia coliuè, 8.
Philoſop. diſtributiuè, 9.
Philoſophia practica, 13.
Philoſophia ſpeculatiua, *ibid.*
Philoſophia moralis, 4. 5. *tom. ſec.*
Philoſophia moralis particularis, *ibid.*
Philoſophia vniuerſalis moralis, *ibid.*
Phyſica, 9. 168.
Phyſica æthiologica, 168.
Phyſica hiſtorica, *ibid.*
Phyſica generalis, *ibid.*

Phyſica ſpecialis, *ibid.*
Pietas, 77. *tom. ſec.*
Pignus, 71. *ibid.*
Piſcatoria, 111. *ibid.*
Piſces, 219.
Piſſaſghaltum, 258.
Pithahoras, 6.
Placiditas; 79. *tom. ſec.*
Planeta, 211
Planetarum diſpoſitio, *ib.*
Plato, 7.
Plebiſcitum, 118. *tom. ſ.*
Plumbum, 265.
Politia, 112. *tom. ſec.*
Politica, 111. 112. *ibid.*
Pluuia, 237.
Pœna, 69. 84. *tom. ſec.*
Poni directè, 186. *ibid.*
Poni explicitè, 185. *ibid.*
Poni implicitè. *ibid.*
Poni indirectè, 186. *ibid.*
Poni reductitiè, 185. *ibid.*
Populus, 76. *tom. ſec.*
Porphyrius, 260.
Portentum, 59.
Poſitiuum, 180. *to. ſec.*
Poſſeſſiones, 111. *tom. ſec.*
Poſſibile, 33.
Poſtprædicamentum, 209 *tom. ſec.*
Poſterius, 133.
Potentia, 28. *to. pr.* 199. *tom. ſec.*
Potentia actiua, 28.
Potentia conſummabilis, 32.
Potentia eductiua, 30.
Potentia inconſummabilis, 32.
Potentia naturalis, 28. 30.
Potentia negatiua 31.
Potentia obedientialis, 29.
Potentia obiectiua, 30.
Potentia paſſiua, 28.
Potentia poſitiua, 30.
Potentia primaria, 31.
Potentia proxima, *ibid.*
Potentia remota, *ibid.*
Potentia ſupernaturalis, 28.
Poteſtas, 32.
Poteſtates, 151.
Practicum, 13. 15.
Præceptum, 119. *tom. ſe.*
Prçceptum affirmatiuum, *ibid.*
Præceptũ negatiuum, *ib.*
Præcipere, 50 *tom. ſec.*
Præcipitatio, 54. *tom. ſ.*
Prædicabile, 187. *tom. ſec.*
Prædicamentale, *ibid.*
Prædicamentum, *ibid.*
prædicari, 239 *tom. ſec.*
prædicari abſolutè, 180. *tom. ſec.*

prædicari connotatiuè, *ibid.*
prædicari in quid, 168. *tom. ſec.*
prædicari in quale, ſeu adiectiuè, 169. *tom. ſec.*
prædicari in quale quid,
prædicatio, 240. *tom. ſec.*
prædicatio categorica, 241. *tom. ſec.*
prædicatio cauſalis, 240. *ibid.*
prædicatio directa, 241. *ibid.*
prædicatio effectualis, *ib.*
prædicatio formalis, 242. *ibid.*
prædicatio indirecta, *ibid.*
prædicatio in obliquo, 240. *tom. ſec.*
prædicatio in recto, *ibid.*
prædicatio nugatoria, 241. *ibid.*
prædicatio per concomitantiam, *ibid.*
prædicatum, 239. *tom. ſec.*
præmiſſæ, 264. *ibid.*
præmium, 98. *ibid.*
præmotio, 81.
præmotio Moralis, *ibid.*
præmotio Phyſica, *ibid.*
præſter, 235.
praxis, 16.
Precarium, 71. *tom. ſec.*
Prima intencio obiectiua, 143. *tom. ſec.*
Primario, 134.
Primò diuerſa, 129.
Primò intentionaliter, 143 *tom ſec.*
Primum, 133.
Primum in aliquo genere, 134.
Primum in executione, *ibid.*
Primum in intentione, *ib.*
Primum negatiuè, *ibid.*
Primum in omni genere, *ibid.*
Primum poſitiuè, *ibid.*
Princeps, 115. *tom. ſec.*
Principatus, 151.
Principia compoſitionis corporis naturalis, 171.
Principia corporis naturalis, 169. *&c.*
Principia externa actionum humanarum, 22. *tom ſec.*
Principia generationis corporis naturalis, 171.
Principia interna actionũ humanarum, 22. *to ſec.*
Principia Metaphyſica rei tam in *fieri*, quàm in *facto* eſſe, 24.

principia

Principia voluntarii, 32. *tom. ſec.*
Principium, 23. 24. 63.
Principium cognitionis, 23. 48.
Principium cognitionis ſimplex, 48.
Principium cognitionis complexum, *ibid.*
Principium compoſitionis, 23.
Principium productionis, *ibid.*
Priuatio, 46. 47. 180.
Priuatiua, *vid.* oppoſitio priuatiua.
Priuilegium, *vid.* immunitas.
Prius, 133.
Prius cauſalitate, 213. 214. *tom. ſec.*
Prius conſecutione, *ibid.*
Prius dignitate, *ibid.*
Prius naturâ, *ibid.*
Prius ordine, *ibid.*
Prius tempore, *ibid.*
Probabile, 292. *tom. ſec.*
Problemata topica, 291. *tom. ſec.*
Problema, 292. *tom. ſec.*
Probrum, 98. *tom. ſec.*
Procella, 241.
Proceſſus, 207.
Prodigalitas, 80. *to. ſec.*
Prodigium, 59.
Prodigus 80. *to. ſec.*
Proditio, 80. *to. ſec.*
Producere, 26.
Productio, *vid.* operatio,
Promontorium, 229.
Promulgatio, 117. *to ſec.*
Proportio, 35. *tom. pri.* 152. 153. *tom. ſec.*
Proportio arithmetica, 188.
Proportio geometrica, *ibid.*
Propoſitio, 237. *tom. ſec.*
Propoſitio abſoluta, 238. *tom. ſec.*
Propoſitio affirmans, 244. *ibid.*
Propoſitio complexa, 238. *ibid.*
Propoſitio conditionalis, 250. *ibid.*
Propoſitio contingens, 244. *ibid.*
Propoſitio copulatiua, 250. *idid.*
Propoſitio de primo adiacente, 237. *tom. ſec.*
Propoſitio de ſecundo adiacente, *ibid.*

Propoſitio de tertio adiacente, *ibid.*
Propoſitio disjunctiua, 250. *ibid.*
Propoſitio falſa, 245. *ib.*
Propoſitio impoſſibilis, 243. *ibid.*
Propoſitio indefinita, 245. *ibid.*
Propoſitio indubitata, 53.
Propoſitio modalis, 238. *tom. ſec.*
Propoſitio neceſſaria, 243. *ibid.*
Propoſitio negans, 244. *ibid.*
Propoſitio particularis, 245. *ibid.*
Proſitio ſimplex, 238. *ib.*
Propoſitio vera, 244 *ib.*
Propoſitio vniuerſalis, 245. *ibid.*
Proprietas, 99.
Proprietas entis complexa, 101.
Proprietas entis primaria, 100.
Proprietas ſecundaria, *ibid.*
Proprietas ſimplex, *ibid.*
Proprietates loci, 191.
Proprietates quantitatis, 191. *tom. ſec.*
Proprietates relationis, *v.* affectiones relationis.
Proprietates ſubſtantiæ, 190 *t. ſec.*
Proprium, 176. *tom ſec.*
Proprium genericum, 177. *ibid.*
Proprium *primo modo*, ib.
Proprium *quarto modo*, ib.
Proprium *ſecundo modo*, ibid.
Proprium ſpecificum, *ib.*
Proprium *tertio modo*, ib.
Prouidentia, 163. *to pr.* 52 *tom. ſec*
Prudens, 53. *tom. ſec*
Prudentia, 41. 42 *ibid.*
Prudentia carnis, 53. *ibid.*
Prudentia Metaphoricè, 48. 49. *ibid.*
Prudentia Moraliter completa, 49. *ibid.*
Prudentia Phyſicè completa, *ibid.*
Prudentia propriè, 48. *ibid.*
Prudentia ſtrictè, *ibid.*
Pruïna, 237.
Pſoloen, 236.
Pudicitia, 56. *tom ſec.*
Pudor, *ibid* *Item* 95. *ib.*
Pulchritudo 137.
Pulchritudo audibilis, 138

Pulchritudo intelligibilis, *ibid.*
Pulchritudo viſibilis, *ibid.*
Puſillanimitas, 54. 65. *tom. ſec.*
Punctum, 189.
Purum, *ſiue* putum, 113.
Puteus, 225.

Q.

QVÆ ad actionem, vel effectum ſpectant, 64.
Quæ ad motum ſpectant. 197.
Quælibet perfectio ſumitur, actualiter, aptitudinaliter, radicaliter, *vid.* 146.
Quænam ad virtutem requiruntur, 45. *tom. ſec.*
Quæſtio 264. *tom. ſec.*
Qualitas, 196. *tom. ſec.*
Qualitas propoſitionis, 242. *ibid.*
Qualitas tactilis, 290. *ibid.*
Qualitates primariæ elementorum, 229.
Qualitatis proprietates. 202. *tom. ſec.*
Qualitatis ſecundariæ, 229.
Quando, 206. *tom. ſec.*
Quantitas, 134 187. *tom. pr.* 191. *tom. ſec.*
Quantitas continua, 188.
Quantitas diſcreta, 187.
Quantitas molis, 134.
Quantitas permanens, 188.
Quantitas propoſitionis, 243. *tom. ſec.*
Quantitas ſucceſſiua, 188.
Quantitas virtutis, 134.
Quantitatis proprietates, 191. *tom. ſec.*
Quid, 139.
Quidditas, 37.
Quies, 200.
Quies negatiua, *ibid.*
Quies poſitiua, *ibid.*
Quomodo cognitum eſt in cognoſcente, 156.
Quomodo fiat in nobis cognitio, 300.
Quomodo paſſio mouet voluntatem, 23 *tom. ſec.*
Quot fieri poſſunt quæſtiones de quâlibet re perfectè ſciẽdà, 300. *t. ſ.*

Quot ſpectentur in cauſalitate, 64.
Quot modis aliquid ponitur in categoriâ, 185. tom. ſec.

R.

RADICALITER, 179 tom. ſec.
Radius, 207. 283.
Radix, 267.
Ramus, ibid.
Rancor, 54. tom. ſec.
Raptus, 60 tom. ſec.
Rarefactio, 198.
Raritas, 231.
Ratio; 299. tom. ſec.
Ratio entis, 37.
Ratio ſocietatis in hierarchiâ, 152.
Ratiocinatio, 257. to. ſe.
Ratiocinari, v. diſcurrere.
Reactio, 205.
Reale, 139.
Reatus, 83. tom. ſec.
Reciprocari, 175. 215. to. ſ.
Reciprocatio, vid. reciprocari.
Reductio oſtenſiua, 270. tom. ſec.
Reductio per impoſſibile, 273. tom. ſec.
Reductitiè, vid. implicitè.
Reflexio, 208.
Refractio, ibid.
Regula, 53.
Regulæ attributionis. 182 tom. ſec.
Regulæ generales ſyllogiſmorum, 278. to. ſec.
Regulæ particulares eorundem, 280. ibid.
Refluxus maris, 229.
Relatio, 123. to. pr. 192. 192. tom. ſec.
Relatio categorica, 125. to. pr. Item, 194. tom. ſec.
Relatio relationis, 194. tom. ſec.
Relatio realis, ibid.
Relatio tranſcendens, 125. to. pr. Item 194. tom. ſec.
Relationes æquiparentiæ, 194. tom. ſec.
Relationes diſquiparentiæ, ibid.
Relatiuum, 125.
Relatiuum accidentariũ, categoricum, merũm,

ſeu ſecundùm dici, *ibid.*
Relatiuum eſſentiale, non merum, ſecundùm dici, ſeu tranſcendens, *ib*
Religio, 77 137. *tom. ſec*
Religionis actus, 137. *ibid.*
Reminiſcentia, 302.
Remiſſio, *vid.* remitti.
Remitti, 210. *tom. ſec.*
Repaſſio, 205.
Repulſio, 255.
Repugnans terminus, *vid.* terminus.
Res, 43. 139.
Res diuinæ, 9.
Res humanæ, 9. *to. pr.* 24. *tom. ſec.*
Res Mathematicæ, 22.
Res Metaphyſicæ, *ibid.*
Res Phyſicæ, 22.
Res Modificabilis, 42.
Reſolui, 239. *tom. ſec.*
Reſpubl. *vid.* Politia.
Reſtrictio, 248. *tom. ſec.*
Reſurrectio, 298.
Retrorſum, 194.
Rex, 116. *tom. ſec.*
Rixa, 62. *tom. ſec.*
Ros, 237.
Rubigo, 265.
Ruina, 255.
Rupes, 229.
Ruſticitas, 58. *tom. ſec.*

S.

SACRIFICARE, 137. *tom. ſec.*
Sacrificium. *ibid.*
Sacrilegium, 60. *ibid.*
Sagacitas, 52. *tom. ſec.*
Sagittarius, 219.
Sal, 257.
Sanctitas, 68. *tom. ſec.*
Sapientia, 8. *to. pr.* 40. *tom. ſec.*
Sapientia in aliquo genere, *ibid.*
Sapientia in omni genere, *ibid.*
Saphyrus, 262.
Sapor, 288. 289.
Sardius, 263.
Sardonix, *ibid.*
Satietas appetitûs, 111.
Satiatiuum, *vid.* 111.
Saturnus, 214.
Scientia, 9. *to. pr.* 41. 289. *tom. ſec.*
Scientia media, 163.
Scientia ſimplicis intelligentiæ, *ibid.*

Scientia ſubalternans, 290. *tom. ſec.*
Scientia ſubalternata, *ib.*
Scientia viſionis, 163.
Scintillatio, 215.
Scopus ſophiſtarum, *vid.* ſophiſtarum ſcopus.
Scoria, 265.
Scorpius 219.
Scrupulus, 27. *to. ſec.*
Scurrilitas, 59. *ibid.*
Secta, 6.
Secunda intentio obiectiua. 143. *tom. ſec.*
Secundariò, 134.
Secundo intentionaliter, 143. *tom. ſec.*
Secundùm naturam, 186.
Segnities, 95. *tom. ſec.*
Semen, 277.
Senatus, 116 *tom. ſec.*
Senſatio, 279.
Senſatio formaliter, 282.
Senſatio obiectiuè, *ibid.*
Senſatio terminatiuè, *ib.*
Senſibile, 279.
Senſibile per accidés, 280.
Senſibile per ſe, *ibid.*
Senſibile commune, 280.
Senſibile proprium, *ibid.*
Senſorium, 279.
Senſus, 278.
Senſus communis, 292.
Senſus externus, 283.
Senſus internus, 292.
Sententia, 53. *tom. pri.* 86. *tom. ſec.*
Separatio, *vid.* diuiſio.
Septentrio, 250.
Seraphim, 151.
Series, *vid* ordo.
Sermo, 141. *to. ſec.*
Sermo exterior, *ibid.*
Sermo interior, *ibid.*
Sermocinari, *vid.* diſſere.
Seruitus, 110 *to. ſec.*
Seruitus perſonalis, *ibid.*
Seruitus realis, *ibid.*
Seruus, 109. *ibid.*
Siccitas, 231.
Signum, 48. 87.
Signum arbitrarium, 48.
Signum cœleſte, 215.
Signum demonſtratiuum, 49.
Signum formale, *ibid.*
Signum imperſonale, *ibid.*
Signum inſtrumentale, *ib.*
Signum memoratiuum, *ibid.*
Signum naturale, 48.
Signum practicum, 49.
Signum prognoſticum, *ibid.*
Signum ſpeculatiuum, *ib.*
Siliqua, 269.

Simplex, 114.
Simplex logicè, *ibid.*
Simplex Metaphyſicè, *ib.*
Simplex Moraliter, *ibid.*
Simplex Phyſicè, *ibidem.* *vid.* corpus ſimplex.
Simplicitas, 57 *tom. ſec.*
Simpliciter, *id eſt*, ſine addito.
Simul, 214. *tom. ſec.*
Simul definitione, 215. *ibid.*
Simul diuiſione, *ibid.*
Simul duratione, 214. *ibid.*
Simul naturâ, *ibid.*
Simulatio, 78. *tom. ſec.*
Singulare, 45.
Singularitas, 44.
Siniſtrorſum, 194.
Sinus, 227.
Siſterna, 225.
Sitis, 276.
Situs, 207. *tom. ſec.*
Situs arbitrarius, 208. *ib.*
Situs naturalis, 207. *ibid.*
Situs violentus, *ibid.*
Smaragdus, 462.
Sobrietas, 56. *tom. ſec.*
Socrates, 7.
Sol, 212.
ſolicitudo, *vid.* diligentia.
ſolicitudo futurorum, 53. *tom. ſec.*
ſolicitudo temporalium, *ibid.*
ſolis ortus, & occaſus, 217.
ſolſtitium, *ibid.*
ſomnium, 292.
ſomnus, *ibid.*
ſophiſta, 293 *to. ſec.*
ſophiſtarum ſcopus, *ibid.*
ſophiſtica, ars cauillandi, falſiſque ſyllogiſmis incautos decipiendi.
ſophiſma, 293. *to. ſec.*
ſordida parcimonia, 66. *tom. ſec.*
ſorites, *vid.* gradatio.
ſpecies, 172. *tom. ſec.*
ſpecies expreſſa, 281.
ſpecies impreſſa, *ibid.*
ſpecies infima, 173. *to. ſec.*
ſpecies intentionalis, 280. 281.
ſpecies obiectiua, *ibid.*
ſpecies prædicabilis, 172. 63. *tom. ſec.*
ſpecies ſubalterna, *ibid.*
ſpecies ſubiicibilis, *ibid.*
ſpecies, quandoque eſt rei apparentia.
ſpeculabile, eſt obiectum ſpeculationis.
ſpeculatio, 16.

ſpeculatiuum, 13.
ſpes, 94. *tom. ſec.*
ſphæra, 206.
ſphæra actiuitatis, *ibid.*
ſpiritale, *vid.* ſubſtantia incorporea,
ſpiritus, 149. 238.
ſplendor, 283.
ſponſæ dos, 106. *tom. ſec.*
ſpontaneum, 30. *to. ſec.*
ſonorum, 286.
ſonus, *ibid.*
ſtamina, 268.
ſtagnum, 224.
ſtannum, 265.
ſtatus, 249. *tom. ſec.*
ſtatus continentiæ, 45. *tom. ſec.*
ſtatus temperantiæ, *ibid.*
ſtatus Heroïcæ virtutis, *ibid.*
ſtella, 215.
ſtella cadens, 235.
ſtella currens, *ibid.*
ſtella volans, 234.
ſterilitas, 207.
ſtibium, 265.
ſtipula ardens, 234.
ſtipulatio, 71. *to. ſec.*
ſtolones, 267.
ſtudioſitas, 58. *tom. ſec.*
ſtudium, 5. 301.
ſtupor, *vid.* admiratio.
ſtupor vt opponitur temperantiæ, 58. *tom. ſec.*
ſubalternans, eſt id ſub quo, quid ponitur.
ſubalternatio ſcientiæ, 290. *tom. ſec.*
ſubalternatio, ſeu ſubordinatio, 70.
ſubalternatum, eſt id quod ponitur ſub altero.
ſubiectum, 47. *to. pr.* 239. *tom. ſec.*
ſubiectum denominationis, 47.
ſubiectum informationis, *ibid.*
ſubiectum inhæſionis, *ib.*
ſubiectum proximũ, 48.
ſubiectum remotum, *ibid.*
ſuperbia, 60. *tom. ſec.*
ſuperbus, *ibid.*
ſuperius, 169. *tom. ſec.*
Subſolanus, 251.
Subſtantia, 142. 145. 147. *tom pri.* 189. *tom. ſec.*
Suſtantia corporea, 149.
Subſtantia completa, 148
Subſtantia creata, 147.
Subſtantia incompleta, 148.
Subſtantia incorporea, 149.
Subſtantia increata, 147.

Subſtantia prima, 149. to. pri. 189. tom. ſec.
Subſtantia ſecunda, ibid.
Subſtantiæ proprietates, vid. Proprietates ſubſtantiæ,
Subſtare, 145.
Subſiſtere, ibid.
Subſiſtentia, 146. 148.
Subſiſtentia actualis, 146.
Subſiſtentia aptitudinalis, ibid.
Subſiſtentia radicalis, ibid.
Subtilitas, 132.
Subuerſio, 255.
Succinum, 259.
Succus, 257.
Suffrutex, 266.
Sulphur, 259.
Sum, es, eſt adiectiue, 244. tom. ſec.
Sum, es, eſt ſubſtantiuè, ibid.
Summum malum, 19. tom. ſec.
Superficies, 189.
Superficies concaua, ibid.
Superficies conuexa, ibid.
Superlatiua, 231. tom. ſ.
Superſtitio, 138. tom. ſ.
Suppoſitio, 51.
Suppoſitio logicè, 246. tom. ſec.
Suppoſitio collectiua, 247. ibid.
Suppoſitio communis, 246. ibid.
Suppoſitio confuſa, 247. ibid.
Suppoſitio determinata, ibid.
Suppoſitio diſtributiua, ibid.
Suppoſitio formalis, 246. ibid.
Suppoſit. materialis, ibid.
Suppoſitio Metaphorica, ibid.
Suppoſitio perſonalis, ib.
Suppoſitio pro generibus ſingulorum, 247. ibid.
Suppoſitio propria, ibid.
Suppoſitio pro ſingulis generum, ibid.
Suppoſitio ſimplex, 246. ibid.
Suppoſitio ſingularis, ibid.
Suppoſitum, 147.
Surſum, 193.
Sylla, 227.
Syllogiſmus, 262. tom. ſe.
Syllogiſmus communis, 283.
Syllogiſmus demonſtratiuus, 285. tom. ſec.

Syllogiſmus dialecticus, opinatiuus, ſeu topicus, *ibid Item*, 291. *ibid*.
Syllogiſmus expoſitorius, 283 *tom. ſec.*
Syllogiſmus logicus, 285. *ibid.*
Syllogiſmus pſeudographus, 293. *tom. ſec.*
Syllogiſmus pyraſticus, 285. *tom. ſec.*
Syllogiſmus Rhetoricus 283 *ibid.*
Syllogiſmus ſophiſticus, *ibid.* Item, 293. *ibid.*
Svmptoma, 184.
Syneſis, 52. *tom. ſec.*
Syntæreſis, 24. *tom. ſec.*

T.

TACTVS, 290.
Talio, 122. *tom. ſec.*
Talio arithmetica, *ibid.*
Talio moralis, *ibid.*
Taurus 118.
Temeritas *vid.* audacia.
Temperans, 45. *tom ſec.*
Temperantia, 55. *ibid.*
Tempus, 123. 203.
Tempus externum, 402.
Tempus internum, 205.
Tenebræ, 284.
Tenuitas, 232.
Termini connexi, 215. *tom. ſec.*
termini non connexi, *ibid.*
Termini pertinentes, 216
Terminus abſolutus, 179 *tom. ſec.*
Terminus, 43. *t. pr.* 145. *tom. ſec.*
Termin. abſtractus, 147. *ibid.*
Terminus actionis, 44.
Terminus ad quem, 197.
Termin. æquiuocus, 152. *tom. ſec.*
Terminus analogus, 151. *ibid.*
Terminus antecedens, 216. *ibid.*
Terminus à quo, 197.
Terminus categorematicus, 150.
Terminus categoricus, 180. *ibid.*
Terminus communis, 151 *ibid.*
Terminus communis diuiſim, 151. *ibid.*
Terminus communis indiuiſim, *ibid.*

Terminus complexus, 145. ibid.
Terminus concretus, 147 ibid.
Terminus connotatiuus, 179. ibid.
Terminus conſequens, 216 ibid.
Terminus denominatiuus, 152. ibid.
Terminus finitus, 180. ibid.
Terminus infinitus, ibid.
Terminus merè relatiu⁹, v. relatiuum accidentar.
Terminus mixtus, 150. ibid.
Terminus negatiuus, 180. ibid.
Terminus non communis, 150. ibid.
Terminus particularis, ibid.
Terminus poſitiuus, 180. ibid.
Terminus primæ impoſitionis, 146. ibid.
Terminus priuatiuus, 180 ibid.
Terminus reciprocus, ſeu conuertibilis, 215. to. ſ.
Terminus rei, 44.
Terminus relationis, ibid.
Terminus repugnans, 216. tom. ſec.
Terminus ſecundæ impoſitionis, 146. ibid.
Terminus ſimplex, 145. ibid.
Terminus ſingularis, 151. ibid.
Terminus tranſcendens, 180. ibid.
Terminus vniuocus, 151. ibid.
Terra, 228.
Terra figulorum, 257.
Terra foſſilis, 256.
Teraa lemnia, 257.
Terræ motus, 254.
Terraqueus globus, 223.
Throni, 152.
Timiditas, 68. 95. to. ſ.
Timocratia, 114. ibid.
Timor, 95. ibid.
Titubatio, 255.
Tonitru, 233.
Topaſius, 262.
Topica, vid dialectica.
Torpor circa præcepta, 54. tom. ſec.
Torrens, 225.
Totale, 116.
Totaliter, 117.
Totum actuale, ibid.
Totum cauſale, eſt cau-

ſa ſuâ fœcunditate continens effectus. Sic Deus dicitur entis totalitas
Totum eſſentiale, 117.
Totum etherogeneum *ib.*
Totum integrale, *ibid.*
Totum per accidens, 142.
Totum per ſe, 141.
Totum potentiale, 117.
Totum vniuerſale, *ibid.*
Tractio, 200.
Tranſparens, 284.
Triſtitia, 87 93. *tom. ſ.*
Truncus, 267.
Tumor animi, 62. 65. *tom. ſec*
Turbo, 235. 241.
Turpe, 11. 83. *tom. ſec.*
Turpitudo, 97. *ibid.*
Tyrannis, 114. *ibid.*

V.

VACVVM, 195 196.
Vacuum diſſeminatum, 196.
Vacuum ſeparatum. *ibid.*
Vapor, 233.
Vana gloria, 61. 66. *tom ſec.*
Vas, 191.
Vbi, 205. 206. *tom. ſec.*
Vbi circumſcriptiuum, 206. *ibid.*
Vbi definitiuum, *ibid.*
Vbi Sacramentale, *ibid.*
Vbique eſſe, eſt omnia replere loca.
Vectio, 200. 255.
Vegetare, *vid.* anima vegetans.
Venditio, 72. *tom. ſec.*
Ventorum affectiones, 252.
Ventorum cauſæ, 238.
Ventorum diuiſio, 241. 242
Ventus, 238.
Ventus communis, 241.
Ventus repentinus, *ibid.*
Venus, 214.
Veracitas, 105. *to. pr.* 78. *tom. ſec.*
Verbum, 218. *tom. ſec.*
Verecundia, 57. 95. *to ſ.*
Veriſimile, 104.
Veritas, *ibid.*
Veritas propoſitionis, 245. *tom. ſec.*
Veritas vt eſt iuſtitiæ, 78. *ibid.*
Veritas creata, 104.
Veritas increata, *ibid.*
Veritas rei *ibid.*
Veritas ſigni, *ibid.*

Vernula, 109. *tom. ſec.*
Verum, 104.
Veſper, *vid.* venus.
Veſtigium, 87.
Via lactea, 237.
Vigilia, 292.
Vindicatio, 78. *tom. ſec.*
Vindicta, 36. *ibid.*
Violentum, 199. *to. pr.* 31. *tom ſec.*
Violentum ſecũdùm quid, 199.
Violentum ſimpliciter, *ibid.*
Vir, 105. &c. *tom. ſec.*
Virgo, 219.
Virtualiter, 65.
Virtualis diſtinctio, 132.
Virtutes, 151.
Virtus, 32. 33. *to pr.* 43. 44. *tom. ſec.*
Virtus acquiſita, 43. *t. ſe.*
Virtus cardinalis, 47. *tom ſec.*
Virtus infuſa, 43. *to. ſec.*
Virtus integrans, 47. *tom. ſec.*
Virtus moralis, *ibid.*
Virtus potentialis, *ibid.*
Virtus ſubiectiua, *ibid.*
Virtus ſubordinata, *ibid.*
Virtus Theologica, *ibid.*
Virtus ſtatus,
Vis, 31. 124 *tom. ſec.*
Vir motrix, 304.
Viſio, 232. *tom. ſec.*
Viſus, 233. *tom. ſec.*
Vita, 273. *tom pri.* 234. *tom. ſec.*
Vita in actu primo, 272. 273.
Vita in actu ſecundo, *ibid.*
Vita illuminatiua, 152.
Vita purgatiua, *ibid.*
Vita vnitiua, *ibid.*
Vitij ſtatus, 81. *tom. ſec.*
Vitium, *ibid*
Vitriolum, *vid.* calchantum.
Vituperium, 98. *to. ſec.*
Viuens, 146. 266
Viuens per eſſentiã, 150.
Viuens per participationem, *ibid.*
Viuere, 274.
Vltimum, *ſeu* infimum, 133.
Vmbra, 284.
Vmbella, 269.
Volitio,
Voluntarium, 30. *tom. ſec.*
Voluntarium directum, *ibid.*
Volundarium indirectũ, *ibid.*
Voluntarium purum, 31. *ibidem.*
Voluntas, 159.

Digitized by Google

Voluntas humana, 303. 304.
Voluntas moralis, 27. tom. ſec.
Voluptas, vid. iucunditas.
Voluptas efficienter, 98. tom. ſec.
Voluptas formaliter, ibid.
Voluptas obiectiuè, ibid.
Votum, 138. tom. ſec.
Vox, 286. 287. tom. pr. 216. tom. ſec.
Vnio, 115. to. pr. 91. to. ſe.
Vnio moralis, 115.
Vnio Phyſica, ibid.
Vnitas, 101.
Vnitas analogiæ, 102.
Vnitas conformitatis, ib.
Vnitas generica, ibid.
Vnitas indiuiſionis, ibid.
Vnitas ſpecifica, 102.
Vnitas vniuocationis, ib.
Vniuerſale, 157. 160.
Vniuerſale complexum, ibid.
Vniuerſale formaliter, 162. tom. ſec.
Vniuerſale fundamentaliter, ibid.
Vniuerſale in cauſando, 157 tom. ſec.
Vniuerſale in eſſendo, 158. ibid.
Vniuerſale in prædicando, ibid.
Vniuerſale repræſentando, 157. ibid.
Vniuerſale in ſignificando, ibid.
Vniuerſale materialiter, 161. ibid.
Vniuerſale Peripateticorum, 159. ibid.
Vniuerſale Platonicorũ, 159. ibid.
VniuerſaleNominalium, 154. ibid.
Vniuerſale ſimplex, 160. ibid.
Vniuerſale Stoicorum, ibid.
Vniuerſalium affectiones, 164. ibid.
Vniuerſalium cauſæ, 153. ibid.
Vniuoca accidentaria, 151. tom. ſec.
Vniuoca eſſentialia, ibid.
Vniuoca vniuocantia, ib.
Vniuoca vniuocata, ibid.
Vnum, 102.
Vnum per accidens, 142.
Vnum per ſe, 141.
Vranologia, eſt deſcriptio cœleſtis regionis,

Vrbanitas 571 *tom. ſec.*
Vſus, 88. *tom. ſec.*
Vſus actiuus, *ibid.*
Vſus paſſiuus, *ibid.*
Vtile, 10. *tom. ſec.*
Vtile ſecundùm quid, *ibid.*
Vtile ſimpliciter, *ibid.*
Vulturnus, 251.

Z.

ZELVS, 91. *tom. ſec.*
Zelus amicitiæ, *ibid.*
Zelus concupiſcentiæ, *ib.*
Zelus inuidiæ, 92.
Zeno, 7.
Zephyrus, 251.
Zodiacus, 216.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MENDA SIC EMENDA.

PAG. 9. *transfer lin.* 20. quapropter hoc ſenſu Logica eſt, &c. *ſub vltimam lineam hujuſce paginæ.*

Pag. 26. *lin.* 12. qui dormit non videt *transfer particul.* Non *ad lin. Immediatè ſequentem, dicendo*, at non videt in actu ſecundo.

Pag. 48. *lin.* 2 . arbitrium, *transfer in locum*, naturale, *& viciſſim.*

Item pag. 151. *lin.* 22 Deo, *in locum* glo-, *& viciſſim*

Item pag. 198 condenſatio, *in locum* rarefactio, *& vice verſâ.*

Lin. 9. tranſitus à non eſſe viuentis, *&c. lege.* tranſitus ab eſſe viuentis, ad non eſſe viuentis.

Pag. 81. *to. ſec. lin. antep.* ſociorum exercitio lege actuum exercitio.

Pag. 161. *ibid.* canis non eſt quid vniuocum: *leg.* quid vniuerſale.

NOS infra-ſcripti, in ſacrâ Facultate Pariſienſi Doctores Theologi, teſtamur legiſſe librum cui titulus eſt *Summa totius Philoſophiæ, Authore* PETRO GODART, nec quicquam in eo deprehendiſſe quod bonis moribus, aut Religioni Catholicæ aduerſetur. In cujus rei fidem ſubſcripſimus. Datum Pariſijs Die Lunæ 10. Auguſt. Anno Domini 1665.

M. GRANDIN. ADR. LE VAILLANT. IAC. DE MAILLY. F. CLAVDE FRASSEN. Minor.

SVMMA PRIVILEGII

REGIS CHRISTIANISSIMI.

AVTHORITATE Regis cautum eſt ne quis in regno ſuo, aliiſue locis ſuæ Ditioni ſubiectis intra ſeptem annos proximos librum qui ſic inſcribitur. *Petri Godartij totius Philoſophiæ ſumma, &c.* Abſque Authoris permiſſu imprimat, aut diuendat, à Die publicationis horum exemplarium, qui ſecùs fecerit mulctâ indictâ, prout ampliùs, in diplomate Regio continetur, coercebitur datum Pariſijs Die 11. Nou. 1665.

Sic ſignatum de mandato Regis, PVCELLE.

Tradita ſunt exemplaria.

335

Digitized by Google

p.

Digitized by Google

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
1971
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google